Sum huius libri [illegible]
Josephus a [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]

Esto memor patris tui dum sis missus ab omnibus
Moribus et redeas cultus, et arte domini
Esto memor patris tui dum sis missus ab omnibus
Moribus et redeas cultus, et arte domini
Esto memor patris cur dum sis missus ab omnibus
Moribus

# Progymnaſmatum
# ELOQUENTIÆ
## PARS TERTIA.

*Docetur ratio Oratoriè deſcribendi*

COMPARATIONEM,
ETHOPOEIAN,
DISCRIPTIONEM,
THESIN,
LEGUMLATIONEM,
AMPLIFICATIONEM.

Ad Aphthonium Sophiſtam obſervabat in Illuſtri Stetinenſi Pædagogio

*M. ANTONIUS BURCHARDUS,*
*Lubecenſis, L. L. Prof.*

Addita eſt huic parti materies exercitiorum ad (100)



*STETINI*
Typis Kelnerianis, Jmpenſis Johannis Eichornij,
Anno Chriſti M. DC. XII.





*Nobilißimis & ornatißimis Juvenibus & Adolescentibus,*

Dn. Heinoni Raben/ Dn. Laurẽtio Reventlovv } Equitibus Megapolit.
Dn. Brunoni Ottoni, & Dn. Philippo Ernesto, } à Rammin.

Fratribus, O. F. EQ. Pom.

*Exdiscipulis meis Charißimis.*

*S. P.*



ORatoriam facultatem, mei Juvenes, solet mihi nonnunquam in mentem venire, videri cum illo quod in Mathematicorum circulis est centro comparandam esse. Et cum partes sanè hujus similitudinis multò plures sine dubio adduci possint, si quis ei rei cogitandæ operam tribuerit: nos unam alteram quæ nunc incidit, quæq; præsentis instituti fuerit, indicabimus. Et principio quidem constat radicem quasi ac basin circuli centrum esse: licet illa origo ἀπαιδεύτοις, & ad circuli delineationem inexpertis (si qui ejusmodi sunt) minus verisimilis videatur: quod scilicet inter centrum & circuli ambitum quædam intercurrat areæ interjectio. Fidem autem ei ortui facit; & circuli per circinum figuratio, & artificum in hoc genere ὁρισμοὶ. Qualis apud Euclidem extat; κύκλος ἐστὶ σχῆμα ἐπίπεδον, ὑπὸ μιᾶς

ἰσοθάθεσις.

γραμμῆς περιεχόμενον, ἣ καλεῖται περιφέρεια. Πρὸς ἣν ἀφ' ἑνὸς σημείου τῶν ἐντὸς τοῦ σχήματος κειμένων πᾶσαι αἱ προσπίπτουσαι εὐθεῖαι ἴσαι ἀλλήλοις εἰσί. Ubi centrum circulo eſt λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι, ac quaſi cor, qvod aiunt primum formari & hinc derivari ad reliquas partes vitam. Nam cum plures in plano poſitæ figuræ ſint, unâ lineâ abſolutæ: â centro unde æqualiter lineæ illius ambientis partes abſint, circulus conſtituitur. Neq; adeò ullis in hac re vel argumentis vel teſtibus opus fuerat, qvippè & quæ omnibus manifeſta ſit & à nemine impugnetur. Nunc illud videamus qvid in facultate oratoria eius generis eveniat: qvare cum circuli illa centro conferenda videatur. *ἀπόδοσις.*

Illud nimirum, qvod ex Eloquentiâ & facundiâ, tanquàm ex radice quadam ſuâ & fonte, omnes alias diſciplinas liberales quodammodo prognatas eſſe & exundaſſe non ita difficile ſit probare. Quamquam id fortaſſis non vero ſimile cuiquam videri poſſit, quod nonnulla, imò longe maxima inter diſciplinas reliquas, & inter ipſas & cum Eloquentia diſſimilitudo interveniat. Non abibo nunc ad priſca ſecula usq;: neq; Orpheum, Muſæum, Triſmegiſtum, Pythagoram, alios primos ſapientiæ humanæ propagatores ut creduntur, teſtes adhibebo: Quorum ſanè nemo quisquam ſapientis aut Philoſophi nomen abſtulit, quin Eloquentiæ alicujus in eodem certa eſſent indicia. Socratem mihi, Platonem, Ariſtotelem, reliquos Philoſophiæ, aliarumq; ingenuarum diſciplinarum authores & profeſſores cogitate: non tantum facundos fuiſſe deprehendetis ſingulos, ſed etiam cum Eloquentiæ Magiſtris ſuâ ætate de Eloquentiæ laude contendiſſe: Socratem & Platonem cum Sophiſtis, Ariſtotelem cum Iſocrate, & quanto oratore! Neq; quisquam adeò omni memoriâ profeſſionem hanc aut aggredi per verecundiam, aut ſuſtinere cum laude valuit, ſine facundiæ præſidio. Socratem primum Sophiſtarum odio, ſapienter ſentiendi & ornatè dicendi ſcientiam, re cohærentes diſputationibus ſuis ſeparaſſe, author eſt Cicero. *lib. 2. de orat.* Cum tamen eodem Cicerone teſte, idem Socra-
" tes omnium eruditorum teſtimonio, totiusq; judicio Græciæ, cum
" prudentia & acumine, & venuſtate & ſubtilitate: tum verò eloquen-
" tia, varietate, copiá quam ſe cunq; in partem dediſſet omnium facilè
" princeps exiſteret. Hunc, inquit Cicero, Profeſſoribus Eloquentiæ,
" cum appellarentur uno nomine, quod omnis rerum optimarum co-

gnitio

gnitio atq; in ijs exercitatio Philoſophia nominaretur, hoc commune nomen eripuiſſe. Hinc diſſidium illud extitit, quaſi linguæ atq; cordis; abſurdum ſanè & inutile, & reprehendendum; ut alij nos ſapere, alij dicere docerent. Ita tamen Socrates Sophiſtis eloquentiæ ea tempeſtate Magiſtris ſe oppoſuit: ut oratoribus oppugnandis ſe maximè oratorem eſſe probaret: Cum non niſi à majori & uberiori Eloquentiâ homines diſerti & eloquentes ſuperari potuiſſent. Ut non tam artem, quam artis in ejuſdem Profeſſoribus ignorantiam & abuſum ad oſtentationem, voluiſſe affligere videatur. Quare ex hujus ſcholâ, non tantum Plato, & Antiſthenes, Philoſophi ijdemq; facundiſſimi: Sed etiam Iſocrates, & Muſa illa Attica Xenophon, rei Oratoriæ duo vel lumina vel fulmina prodiere. Rurſum Plato, & ille quidem ſophiſtis infenſus, & omnium Rhetorum exagitator; Tamen Iſocratem diligebat atq; à Socrate admirabiliter laudari faciebat; & ipſe in dicendo uberrimus, & longè omnium quicunq, ſcripſerunt aut locuti ſunt Princeps & ſuavitate & gravitate à Cicerone perhibetur: Item non intelligendi ſolum ſed etiam dicendi graviſſimus auctor & Magiſter. Unde proverbio apud Græcos dictum fuerit: Jovem ſic loqui ut Plato ſi Græcè loquatur.

*In oratore. De opti: genere oratorum. In oratore. in Principio in Bruto.*

Ariſtoteles Porrò non tantum ſuavitate dicendi omnibus cæteris à Cicerone præfertur & dicitur flumen orationis aureum fundere, fide digniſſimo in hac re arbitro: Sed etiam arti Rhetoricæ plurima adjumenta ſubminiſtraſſe. Et ex ſchola hujus non tantum alij Philoſophi plurimi, ſed & nobiles oratores, & in his Theophraſtus ille exijt, qui ab eloquendi Divinitate nomen ſortitus eſt. Superſedeo pluribus adducendis. Illud nunc admonendum: Quorſum hæc allata ſint: de philoſophis nobiliſſimis, qui ijdem omnes eloquentiſſimi fuerint, & non tantum Philoſophos, ſed oratores etiam clariſſimos, ex ſua diſciplina emiſerint.

*l. 2. de inv. l. 1. de inv. 4. Acad. qv.*

Atq; adeò neminem ferè nobilem Oratorem niſi à Philoſophorum Præceptis imbutam extitiſſe concedendum eſt, niſi Ciceroni fidem derogare voluerimus: qui & de ſe fatetur, & de reliquis item affirmat. Sed quorſum hæc inquam? Ut intelligatur, obſtetricatu quaſi functam eloquentiam inprimis illis Philoſophiæ authoribus, ut aut nullam hanc, Philoſophiam dico, aut non ad eam maturitatem

*In oratore.*

quasi adultam habituri fuissemus, nisi & partum primum adiuvisset, & deinde culturæ eiusdem eloqventia præfuisset. Sed video occurri hic mihi posse. Illud potius docendum fuisse, ex Rhetorum institutione Philosophos eductos: qvam à Philosophis Eloquentes prodijsse. Cum non hoc disceptandum propositum sit, scil:] Eloqventiam debere Philosophis originem: sed ex Eloqventia Philosophiam ipsam profluxisse: & præterea non constet ex cuiusqvam Rhetoris officinâ progressos qvi aliqvo essent in Philosophia nomine. Itaq; ut magis sensum meum aperiam: ne qvis me mihi non constare suspicetur, dico & ab Eloqventia Philosophiam & ab hac tamen etiam Eloqventiam exortam esse. Orbis ut annuleus trahiturq; trahitq; volutus.

Vel ut alia similitudine declarem, qvemadmodum ex cerasi nuculâ, arbor cerasus pullulat: Et rursum eadem cerasus arbor ingentem pomorum cerasorum, & nucularum copiam profundit. Ita mirum videri non debet, si à Philosophis eloqventes discipulos factos, jmo hos non nisi ex istorum institutione extare potuisse affirmaverimus. Interim manet illud fixum ac firmum, Philosophos informatores Eloquentium illorum discipulorum, non nisi Eloqventiæ beneficio neq; Philosophorum nomen tueri, neq; in erudiendis sive in Philosophia, sive Oratoria facultate discipulis officio fungi potuisse. Qvare ut redeat unde digressa est oratio: quemadmodum Circulus qvod acri qvadam imaginatione tacitâ comprehendendum est, hoc pacto effici videtur si ex centro tanqvam fonticuli angustissimis qvibusdam initijs undiqvaq; coherenti fluxu in omnes partes se copia qvædam diffundat: qvam postea coërceat rotundæ marginis circuitio: Ita puto ex illo eloqvendi divina virtute omnem philosophiam in eam rerum ac scientiarum amplitudinem dimanasse: quod ubertas illa sermonis ex mentis adytis ac penetralibus, facilè aliud atq; aliud scientiæ genus eliceret & ad aliorum memoriam derivaret. Quod autem Eloquentiæ Professores ex se philosophiæ nomine claros non gignunt, etiam hujus rei non obscura ratio est. Scilicet postquam à Socrate à philosophia Eloquentia segregata est: Inde factum adeò ut quasi solitaria nihil pareret. Quod idem philosophis accidere credendum est, ut scilicet ab Eloquentia minus instructi, nec magnoperè Philoso-

phos,

phos, nec Eloquentes diſcipulos habituri ſint. Vel ut ἐκ τοῦ κύκλου afferamus: Punctus ille noſter undiquaq́; ſe diffundens innumerabilem quandam ex ſe procreabat multitudinem punctorum: Neq́; tamen hi ſinguli item centra ſunt: niſi item ad radicis ſuæ modum in æqualem quandam planitiem circumquaq́; quaſi diffluxerint. Ita Præceptoris Eloquentia quidem, & Eloquentes & Philoſophos, & alijs doctrinæ nominibus inſignes progenerat: Qui tamen ijdem alij aliud arripere potuerunt, quo ad præceptoris eruditionem pænè accedere videantur: Interim ſi non omne eruditionis genus complexi fuerint & à præceptore hauſerint, vel ſi non Eloquentiæ & reliquarum doctrinarum ſtudia conjunxerint, fieri non poteſt ut ſatis feliciter vel Eloquentia vel Philoſophia ab his ad alios diſſeminetur. Etenim tā multa, tam comprehenſione ſunt difficilima, docenda incidunt ut & judicio accurato, & per philoſophiam ſubacto: Tum ingenio uberrimo & per Eloquēdi facultatem quaſi verſatili atq́; unde qualibet abundanti opus ſit: ut & obſcura eruere, & contracta explanare, & latentibꝰ atq́; abditis lucem inferre, adeoq́; & tuam intelligentiam explicare atq́; evoluere, & alijs quæ tu dexterrime apud animum perceperis, quaſi clara luce & coram aſpiciendum ſiſtere valeas. Sed de his ſatis verborum. Accedamus ad aliam hujus comparationis partem. Ubi veniâ mihi intelligo opus eſſe τῶν μαθηματικῶν: Si ad populares ſenſus orationem accommodans, fortè ab illorum formulis diſceſſero. Videtur igitur circuli quaſi quædam regula & menſura eſſe centrum noſtrum: Ut ſi qua circuli partium ab ea Regula ſua, præ reliquis partibus inæqualius abfuerit, aut abſceſſerit longius aut propius acceſſerit, inde ſtatim circuli figura turbari, & abnorme quiddam commiſſum eſſe, & illa deformitatis hujus origo abolenda eſſe videatur, ut circulo ſuo conſtet integritas. Imò ex centro eodem cauſa exiſtere videtur, quamobrem nunc anguſtiori aliquo ſpatio, nunc ampliſſimis circumfuſa ambagibus circuli area appareat: Scilicet pro ut ſe ex centri quaſi foraminulo copia quædam extulerit. Quid hæc ad Eloquentiam: Ita in promtu eſt cuivis cogitare ut paucis ſaltem hic attingendum ſit. Etenim etiam Eloquentia regula ac norma quædam eſt, idq́; jure meritoq́; quodam ſuo, omnis alius liberalis eruditionis. Ut tantum ſcire quisq́; judicetur, quantum oratione non ineptâ & mediocriter di-

παράθεσις.

ſerta in medium proferre valeat. Et ſi quid oratione aut barbarâ aut exſuccâ conceptum ſit: Aut ingenij hebetis, aut operæ in literis ignavæ & plane exilis in ſcriptore eruditionis argumentum habeatur. Quam multi, non à ſeipſis tantum ſed ab alijs etiam prudenter æſtimantibus, & ingenio & eruditionis progreſſu quam feliciſſimo prædicantur: qui tamen latent, abduntur, in honoribus mandandis prætereuntur: neq; tamen aliud magnopere præter facundiam deſideratur? Ubi alij & quam multi illi quidem, qui vix quicquam aliud literarum deguſtarunt, aut his non adeò penitus inmerſerunt ſe, tamen & in honorum dignitate, & doctrinæ æſtimatione, & nominis celebritate facile prærogativam ac primas obtinent. Hi docti audiunt, hi honoribus onerantur, hi officijs poſcuntur: & ſi quid arduum, ſi plenum difficultatis, ſi grave & honeſtum negotium conficiendum eſt, hi maximè pares, apti, & digni omnino judicantur. Adeoq; quo quis facundior, tantò & doctior habetur, & majori admiratione eſt & omninò vir precio meliori. Quantum autem cuiq; ab Eloquentiæ opinione deceſſerit; tantum etiam de eruditionis æſtimatione & in honorum præmiorumq; diſtributione decedet.

Prætereo alia multa quæ non inepte huc accommodari poterant, quod ſatietatis & modi habendam mihi eſſe rationem video. Verbi cauſa: quod quemadmodum centrum cum punctum ſit circulo ſuo & ſic fluxu quantitatẽ omnem & figuram largiatur: Tamen ipſum his omnibus caret: neq; enim in longitudinem extenditur: neq; in amplitudinem aliquam patet: neq; curvitate aut rectitudine aliqua præditum eſt, neq; ulla alia deprehenditur ſpecie: Ita idem fiat in eloquentiæ facultate. Cum enim Matereaſit vel obſtetrix ſaltem ut dicebamus omnis reliquæ eruditionis: Omnibusq; diſciplinis eam dignitatem conciliet ut nomen Philoſophiæ vel eruditionis tueri, & in diſciplinarum numero accenſeri poſſint: tamen ipſa Eloquentia inter Philoſophiæ partes & eas diſciplinas quarum & certa ſcientia quædam eſt & quibus animus noſter rerum cognitione nobili perficitur quas Principales diſciplinas appellamus: in his inquam Eloquentiæ non annumeratur. Scilicet κατὰ τοὺς ἐκτὸς περιπάτου: quorum jure meritoq; in Philoſophia principatus eſt. Præſertim cum ei ſententiæ ſua manifeſta & clariſſima conſtet ratio. Neq; enim ullam earum re-

3 παράθεσις.

rum

rum cognitionem Eloqventia profitetur, quas humanæ ſapientiæ excolendæ cauſa aut in natura aut in humana vita DEus contemplanda propoſuit: ſed ſermonis orationisq́; compendia qvædam ab artificibus in hoc genere obſervata habet, quibus in diſcendis docendisq́; reliqvis diſciplinis opera noſtra fiat expeditior, elegantior omninò, ac commodior, quam rudium in ijsdem compendijs. Neq́; illud niſi tribus attingam? quod quemadmodum centro eodem planè circuli non decem, non centum. Sed infinito numero extrui poſſunt, alij alia magnitudine: 4 παράθεσις. Neq́; in his quisquam ita ampliſſimè diffunditur neq́; rurſum alius ad tantas anguſtias contractus eſt, quin omnibus centro ſuo opus ſit: Idem in Eloquentia noſtra accidat. Ut hujus beneficio & illa quæ extant artes omnes inventæ, & plurimæ aliæ inveniri poſſe videantur: Et hujus aliquà comparata facultate nulli non rei, quæquidem ingenio conſtet & percipiendæ & ad alios proferendæ accommodatus eſſe videaris. Ut huic Eloquentiæ dico, ſplendidiſſimæ atq́; ampliſſimæ ſcientiarum facultates maximam ſui ſplendoris & amplitudinis partem debere ſe non invitæ fatebuntur? Hac, Eloquentiâ dico, artes item minutilæ, quæq́; ex ſeipſis parum commendationis afferunt: aut obſcuritatę aut difficultate aliqua à omnibus hominum ſtudiis abhorrent, etiam eæ inquam artes Eloquentiæ lepore quaſi quadam mangonis ab arte interpolatæ emtorem vel cultorem potius alliciunt; & qua parte obſcuritas & difficultas, quædam illas abijciebat, ab Eloquentia lucem & facilitatem quandam mutuantur. Rurſum illud eminus aſpiciendum propono nec poſſum nunc euoluere, 5. παράθ. quod ſecundum Ariſtotelis ἱστορίαν lib: 1. Ethic: Centrum noſtrum eum virtute commune habet: ſcilicet quod ut magnæ artis ſit, non exſtante centri veſtigio aut puncturâ centri ſedem oſtendere, ἢ τοῦ μέσου ἅπτεσθαι. Atqui ſi quicquam aliud Eloquentiæ cum centro convenit, hoc convenit maximè. Cum enim in medio propoſita Eloquentiæ palma ſit: cum nec ita difficiles ad eam aditus videantur: Cum rerum non ab aliqua ingenij ſubtilitate expectandarum, ſed in vulgari poſitatum cognitione, copiam complectatur, cum ſummis atq́; ampliſſimis premijs invitemur; tamen non niſi maximo negotio, Exemplo rariſſimo, & felicitate plane divina contingit, ut vel unusquisquam & laudabilem aliquem in Eloquentia progreſſum aſpiret.

στοχάστεσις. Neq; illud tango quod quemadmodum ex lineæ anfractu centrum versus quasi te receptans: si à centro aberraveris, alia quidem parte ad eundem tamen lineæ foris extantis anfractum relaberis: ita contemtis Eloquentiæ studijs aut infeliciter susceptis: frustra videamur ab ignorantiæ salebris emergere conari. Illud non possum quin pluribus persequar: qnod imprimis in Circulo & centro hujus animadverti volunt: tanquam ἀκρόαμα aut θέαμα princeps & hujus spectaculi caput.

στοχάστεσις. Scilicet quantoquanto numero linearum extensiones à circuli ambitu rectà centrum speculatus feceris: & omnes eæ centrum attingent, & tantâ porrò inter se longitudinis æqualitate deprehendentur, ut nulla vel apiculæ punctio intersit. Ut si forte Dædalus aliquis aut Labyrintho aut alij alicui ædificio circulj figurã ac rotunditatem accommodet: ut in ædificij medio pro centro Cænaculum forte sit aut topiarium: Sepes viva peripherias loco, aut alio aliquo artificio contextum vallum vel sepimentum: Hic à primo illo aditu & septi quacunq; parte si rectâ progressus fueris aut progredi poteris, pari atq; æquali undiq; compendio ad cænaculum vel topiarium perveneris. Atqui hac parte credo inter centrum nostrum de quo jam dudum verba facimus, & Eloquentiam quam conjunctissimè convenire: Ut vix lac lacti quod ajunt. Etenim si mentem cogitationesq; ad artificum, rethorum volo dicere, instituta ac præceptiones reiecerimus: Labyrinthus quidam aut aliud κυκλοειδὲς videri nobis videbitur. Ita varijs, & singuli penè diversis vijs, ejusdem artis Professores, & eundem hunc speculantes scopum, Eloquentiam scil: ad hanc provehi nos posse contendunt. Isocratem Eloquentiæ patrem, magnum & nobilem Rhetorem, atq; adeò Magistrum omnium, cujus domus Eloquentiæ quædam officina habita est, et q. quidam Græciæ ludus patuit, hunc inquam Isocratem Cicero author est pernegasse, ullam esse dicendi artem. At quî hoc in mentem venir Isocrati potuit vel dubitare? Quod tamen etiam affirmare & defendere ausum esse ex Cicerone habemus. Interim idem Isocrates non tantum supra vulgus dicendi arte valuit: Sed etiam eò inventis varijs artis hujus elegantiam perfecit: Ut facilè qui ante Isocratem vel dixerunt vel de arte præceperunt, præ Isocrate sordeant: Qui verò hujus cogitatis aliquid ultra addere

aggres-

aggressi sunt, in mollitiei effæminatæ cujusdam suspicionem ac crimen inciderint. Nam numerorum oratoriorum, in quibus magnus oratoriæ Elegantiæ pars sita est, inventionem & culturam Isocrati certè debemus. Tum quanta & acutè excogitandi, & prudenter collocandi excogitata, & his omnibus decentem accommodandi verborum sententiarumq; venustatem: harum omnium rerum maximarum quanta in Isocrate facultas sit, quis satis æstimare poterit? Hæc itaq; absq; arte facta esse qui suspicabimur? Si scilicet quæ multitudo imperita, aut temerè aut consuetudine quadam facit, eorum modos & compendia investigaveris & imitari didiceris: τὸ τοιοῦτον πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν, τέχνης ἔργον εἶναι: inquit Aristoteles; i. e. *lib. 1. Rhet.*

Hoc ab arte esse nemo sanè quisquam diffiteri poterit. Iam vero constabat profectò Isocrati ratio scriptionis suæ, cur hoc elegans illud minus: Cur illud commovere hoc non item; cur illud placere etiam eruditis possit, hoc aliquo pacto reprehendi: & omnino quare illud rectè & decenter positum aliud secus. Neq; ille temerè ut in buccam venerant & loquendi brutâ quadam consuetudine profundebat verba: quod ita educatione assuefactus esset: Sed suæ illius suaviloquentiæ ipse inventor ipse excultor extiterat. Ex quibus omnibus, artem aliquam dicendi tenuisse Isocratem, obscurum non est. Siquidem secundum Aristotelem ἡ τέχνη, λόγος τοῦ ἔργου ἄνευ τῆς ὕλης ἐστί: Ars est ipsa operis pulchri alicujus forma, ab operis materia abjuncta: in hominis artificis mente scil. Quod si verum est, de quo fortassis dubitandum non erit: quid? opus pulchellum & perelegans aliquod, nonne materiei quædam erit cum artificis mente combinatio? Unde porrò consequitur, quale cujusq; opus sit, inde de artificis mente atq; arte certissimam dijudicationem fieri posse. Nihil addo, quilibet poterit subjungere, nō potuisse artificiose scribi, h. e. ut ego interpretor doctè accuratè, melius vulgari sapientiâ, Isocratis orationes, nisi ita scribendarū illarum hic artem quandā mente comprehendisset. Quid igitur est quod negat Isocrates, esse aliqua dicendi præcepta? Quid? ipse hujus facultatis studiosis, quos domi dicere docebat, quid his dabat inquam si non dicendi præcepta dabat? Quid hos docebat, si non artem docebat? Quo pacto dicendi aliquam facultatem illo- *l. 1. de Partibus anim.*



rum

rum animis ingenerabat: ſi non dicendi rationem leges, viam quaſi
atq́; aditum aperiebat. Hoc igitur eſt quod ſuſpicior Socratem volu-
iſſe monere diſcipulos: quod vellet ac faceret, qui jaculandi artem
profiteretur. Moneret ſcil: eos qui apud ſe exercerentur ne ſemper
eodem arcu, ſagitta eadem, reliquis inſtrumentis quibus fortè opus eſt
ijsdem uterentur: Neq́; eodem conſiſtentes loco perpetuò collinea-
rent: quod ſcilicet: facilè adhæc quibus frequentius utimur animo
quaſi adhæreſcamus tanquam ad ſcopulum quendam: Et inde veram
artis rationem parum perſpiciamus.

Hæc, inquiet, noveris eſſe imprimis neceſſaria. Ut ſcopum pro-
bè ſpeculeris: ut ne quid manus tibi titubent, ut exploraveris robur
arcus tui, quanto ille ſpatio ſagittam excutere valeat. Caput autem
diſcendi eſt, ut frequentibus & ſi fieri poteſt quotidianis exercitijs ani-
mum, digitos, oculos, & te totum adeo ad artem noſtram emollias;
atq; artes Hæc diceret fere ἀρχακοντιστής. Hæc eadem Iſocratem
diſcipulos admonuiſſe, non multum â veritate abhorret. Mei diſci-
puli, inquibat, miſere & ætatem & operam veſtram perdetis, ſi ab ijs
perſuaſi fueritis, qui in docenda quam profitentur dicendi facultate, eâ
inſiſtunt viâ, ut alias atq́; alias Rhetorum præceptiones, nunc brevio-
res illas, nunc fuſiores: nunc à perſpicuitate iterum ab authoris fama
& ingenio commendatas prælegant, easq́; ſuis quibusdam δευτέραις
φροντίσιν illuſtrent atq́; ornent, vel onerent atq́; ad prolixitatis mole-
ſtiam addant potius. Ne putetis in variarum iſtiusmodi præceptio-
num memoriâ aut artem conſiſtere, aut vos hinc quicquam adjutum
iri. Bona cauſa inquiunt tribus verbis: ita ars aliqua ſi præceptor com-
modus obtigerit non adeò multis Canonibus abſolvi poterit. Caput
eſt, quod quia magni laboris eſt pleriq́; defugimus, multa ſcribere, ſæ-
piuſculè declamare, adeoq́; quotidianum & perpetuum aliquod rei o-
ratoriæ opus facere. Neq́; inquibat ille, ita hæc accipietis quaſi qui
nullum artis locum putem: brevem illam eſſe volo & inter exercen-
dum admoneri pleraq́; potius quam absq́; exercitatione iſtis diſcendis
neſcio quam aut neceſſarijs aut utilibus operam atq́; ætatem prodigi.

Deniq́; regi vos ab arte volo, non à vobis in artis ſubtilitatem ac
longè diffuſam amplitudinem inquiri: Oculi non manus inſtar vo-
bis eam eſſe volo. Ut quemadmodum oculus manum quo ſagitta di-

rigenda sit, & si quid illa erret fortè, admonet; Ipso tamen jaculandi & sagittæ excutiendæ labore atq; opere, non oculus sed manus fungitur: Ita ab artis institutione quid sit quo studijs vestris contenditis admoneri vos oportebit, itemq; ut rem rectâ aggrediamini via: Sed ut simul cogitetis non nisi ab exercitijs, Eloquentiæ comparandę spem suppeditare. Discedamus tandem ab Isocrate; scripsit præcepta Rhetorica Aristoteles; scripsit Hermogenes; scripsit Demetrius Phalereus, scripserunt alij Græci: Et in latinis Cicero, Quintilianus: Et nostro seculo quam multi? omnes tamen ita scripserunt ut præter artis nomen idem, vix quicquam aut non ita multum inter se commune habeant. Aristoteles in morum affectuum, argumentationum locis multus est: Ut in his summam artis collocatam putaverit; Laudant hunc reliqui omnes, sequitur nemo. Hermogenes ideas suas potissimum excolere & urgere voluit, quæ ad Elocutionem pertinent: ut in hac parte præsidium potissimum collocaturus artis fuisse ille videatur: Cicero & Quintilianus in generibus causarum distinguendis discernendis orationis partibus potissimũ sibi laborandum esse censuerunt. Ramea secta relegat omnem inveniendi artem ex Rhetoricis. Voëllus & retinet hanc & lepidissimo complectitur compendio, ferè unius verbi aut saltem perpaucissimorum scilicet ut controversiam in subjectum & prædicatum distribuas, & ex ijs quæ de his singuli dici possunt excogites argumenta. Plutarchus in vita Decem oratorum Andocidem memorat oratorem nobilissimum usum simplici oratione, quæq; omni apparatu & ornamentis figurarum caruerit. Quare hic orator eam artis partem superfluam: aut saltem aliâ ad laudem Eloquentiæ posse perveniri judicabat. Rursum Lysiam habuisse vim ad persuadendum maximam, interim summa usum orationis brevitate. Quod quid aliud est, quam absq; orandi facultate oratorem summum extitisse? Et cum dicere nesciret dixisse quam optimè. Scilicet si se secundum Ciceronem, Eloquentia copiosè loquens sapientia est, Adeò hic Lysias diversam ingressus est, Eloquentiæ obtinendæ rationem, ut cum reliquis artificibus in Copia quadam Eloquentia posita esse videatur, ille copiæ fuga & devitatione Eloquens evaserit. Iseum Chalcidensem Lysiæ discipulum primum figuras adhibuisse, ex eodem Plutarcho discimus: Itaq; hæc pars prioribus oratorib. nec contemnen-

dis illis, tamen spreta fuit. Quemadmodum ab Hipperide non ignobili oratore, Platonis discipulo, Demosthenis adversario pathologia, sive pars de affectibus visa est ex Rhetoricis ableganda: atq; adeò ipse orator maximi nominis absq; fuco ad populum orabat, & reb. ut e-rant gestæ narrandis contentus erat.

*lib. 2. Rhet. c. 23.*

Et quod magis liceat mirari, ex Aristotele constat, præclaros quosdam Rhetorices scriptores, vel in uno aliquo argumentationis Dialecticæ loco universam hanc artem affixisse. ἐπειδὴ ἐπὶ τῶν πλεί-
στων συμβαίνει, ὥστε ἕπεσθαί τι αὐτοῖς ἀγαθὸν καὶ κακόν, ἐκ τοῦ ἀκο-
λουθοῦντος προτρέπειν ἢ ἀποτρέπειν, καὶ κατηγορεῖν ἢ ἀπολογεῖσθαι,
καὶ ἐπαινεῖν ἢ ψέγειν. Ὁ τόπος οὗτός ἐστιν ἡ Καλλίππου τέχνη.

Quoniam in plærisq; rebus ita fit, ut eas comitetur aliquid commodi & incōmoditatis: si ex eventibus instituas adhortatione aut dehorta-tionem: item accusatione aut defensionem: item laudem aut vitupe-rium: Is locus est ars Callippi. Non multò pòst: σκοπεῖν τὰ προτρέ-
ποντα καὶ ἀποτρέποντα, καὶ ὧν ἕνεκα καὶ πράττουσι καὶ φεύγουσι.
Ταῦτα γάρ ἐστι ἃ ἐὰν μὲν ὑπάρχῃ, δεῖ πράττειν. οἷον, εἰ δυνατὸν καὶ
ῥάδιον καὶ ὠφέλιμον ἢ αὐτῷ, ἢ φίλοις, ἢ βλαβερὸν ἐχθροῖς καὶ ἐπιζή-
μιον, ἢ ἐλάττων ἡ ζημία τοῦ πράγματος. καὶ προτρέπονται ἐκ τούτων
καὶ ἀποτρέπονται ἐκ τῶν ἐναντίων. ἐκ δὲ τῶν αὐτῶν τούτων καὶ κατη-
γοροῦσι καὶ ἀπολογοῦνται. ἔστι δὲ ὁ τόπος οὗτος ὅλη τέχνη ἡ Παμφίλου &c.
Cogitare ea oportet quæ adducuntur in adhortando & dehortando: & propter quæ eadem homines negocia suscipiunt, aut deponunt: Item ea quæ si adfuerint tum non dubitant negocium aggredi. Exempli gratia, hortantia, & propter quæ agimus voco; Utile, aut nobis aut amicis: aut damnosum inimicis: aut in quo facile plus commodi quam incommodi est. Hæc voco impellentia ad agendum; possibile, facile &c. Horum contraria adhibentur in dehortando, & deterrent ne agas. Possunt eadem adhiberi etiam in accusando & defendendo. Et hic locus est tota ars Pamphili. Adde Aphthonij.

Eodem capite. ἐκ τῶν ἁμαρτηθέντων κατηγορεῖν, ἢ ἀπολογεῖ-
σθαι. ἔστι δ' ὁ τόπος οὗτος ὅλη ἡ προτέρα Θεοδώρου τέχνη: Si accuses aut defendas ex errore causæ vel falsà causa: vel ex conjecturis ambiguis undiq; collectis: Hic locus est tota prima ars Theodori. Est autem

is lo-

is locus quem vocant ex Signis. Putasse Theodorus videtur omnem inventionis artem referri posse ad signa illa.

Ita c. 24. ostendit Aristoteles Coracem primum artem composuisse ex uno loco, παρὰ τὸ ἁπλῶς καὶ μὴ ἁπλῶς. Et eandem etiam Protagoram professum esse: quanquam non sine multorum stomacho, quod manifesta fraus fieret. Captabat Corax circumstantias: e. g. Si quis forte robustus accusatus esset alium percussisse: hic verisimile est, robustum istum esse reum. *Rhet. scriptorem.*

Corax verò si huic reo defensor ipse extitisset: ulterius hæc componebat: Non esse inquit verisimile ut hoc auderet iste facinus, quod adeo verisimile vel manifestâ suspicione in ipsum accideret. Et contrà, infirmiorem ita accusabat: verisimile videri, inde huic animum additum esse ad facin9 aliquo pacto perficiendum quod videretur impunè habiturus, cum vix sibi quisquam persuaderi passurus sit ab infirmiori male mulctatum robustiorem. Feci longius quam proposueram. Itaq; de nostrâ ætate uno verbo: quis vel suo exemplo homo paulo facundior id quod dixi comprobat? Scilicet, centrum esse Eloquentiam, ad quam vijs varijs detur pertingere, modò rectâ, h. e. non insulsa quâdam ratione ambules. Ita homines disertissimi omnium ordinum, ubi perreptarunt omnes omnium Rhetorum officinas scholasticas, longè abjectis de inventione, dispositione & reliquis παραγγέλμασι: in periodis, & λέξεως ornamẽtis ab Eloquente aliquo Scriptore capiunt exemplum sibi: verũ cætera suo omnia excogitant, collocãt, fingunt omninò ac fabricant, ingenio, more ac modo: Et exercendo sentiunt se aut unicè aut magis quam institutione proficere. Unde in multis vix paucos crediderim, posse, artificiose sanè à se dictorum aut scriptorum, rationẽ reddere: ne illos quidem qui quod has nuces nondum abjecerint, omnia ad suum illud ἀλφάβητον subjecti, adjuncti, materiæ, &c. referunt. Neq; enim nisi sapientis est τὴν αἰτίαν θεωρεῖν, ut vocat Aristoteles παιδείαν vel methodum illam, quâ possis τρόπον ἐπιστήμης explicare. Sed hic desino nugarum: & ad vos, Mei Juvenes. Cum ita persuasus sim, exercitio potius quam arte Eloquentiam constare: unde etiam Antiphon orator præstantissimus suopte eam ingenio consecutus esse à Plutarcho; Et Isocrates non viâ ac ratione usus, sed solâ exercitatione discipulos docuisse ab eodem narratur: *1. Rhet.* *In Vita X. Rhet.*

Et Æſchinem tantum Oratorem ex ſcriba factum idem author eſt. Volui igitur pro meâ virili occaſionem aliquando exercendæ in eâ juventutis etiam à me extare.

Itaq; in præceptis perparcus, niſi ubi rerũ utilitas monebat ut brevitatis obſcuritati aliqua ulterioris interpretationis lux adhiberetur: Exercitiorum autem ad captum ætatis hujus accommodatorum copiam mediocrem adjungere volui. Deniq; vobis hanc tertiam partem inſcripſi: quod etiamſi dudum ex noſtra inſtitutione exieritis, tamen non minus vos etiam nunc abſentes, oportere, à me charos haberi, quam olim & vos, & alios quibus reliqua inſcripti, præſentes ex veſtrâ pietate confirmor.

Valete, & ſtudium noſtrum pro facultatem tenue fortaſſe à verâ tamen erga vos animi benevolentiâ profectum, boni conſulite: & olim in patriam & ad ſuos quisq; quam maximè pij, docti, probi, & omnibus modis ornatiſſimi revertimini.

Stetini ex muſæo. Anno 1612. ipſo æquinoctio autumnali.


V.
ſtud.

*M, Antonius Burchardus,*





# In Progymnaſmatum APHTHONII obſervationes à Doctiſſimo viro Dn. M. Antonio Burchardo editas.



*Rtifices Nulli naſcuntur, Nullus ab ortu*
*Artem primævo ſecum, habitumvè (trahit.*
*Et quamvis multos faciat Natura lo- (quentes:*
*Eloquio nullos attamen illa beat.*
*Fortaſſe exiſtat Naturâ Garrulus; atqui*
*Expers præcepti Nemo diſertus erit.*
*Ergo magnopere ANTONI BVRCHARDE labores*
*Laudo tuos, acris vimq; probo ingenij,*
*Qui dextrè promteq; id, quod Natura negav it*
*Omnibus, arte docent ſinguli ut accipias,*
*Artis nec tantum præceptis, quomodo longam*
*Sermonis telam texere ritè queant:*
*Verum exercitijs Habitum Oratoris, abundè*
*Ut crebris valeat quisq; parare, doces.*
*Sintq; tibi pergrata, hortor, Studioſa Iuventus,*
*Hæc ſcripta, aſſiduâ volve revolve manu,*

*Ac mecum quævis Autori fausta precare,*
*Quò dicat, scribat, plurima grata DEO.*

M. Joachimus Prætorius Ecclesiastes & Professor Stetinensis.

*IN PROGYMNASMATA*
*Dn. M. Antonij Burchardi. &c.*



Aspirat temerè præcox ad magna Iuventus,
Et spretis imis dogmata sũma petit.
Vult oratorum tentatq; theatra: requirunt
Annos quæ certos, acreq; judicium.
Error hic est Juvenum: sua nam Gymnasmata curas
Rhetoricas præeunt, quæ tenuisse decet.
Frustra præcelsas audet molirier arces
Ignarus parvam composuisse casam.
Sic parvis prius, hinc magnis facundia gaudet:
Parva tenens magnis invigilasse potest.
Ergo labor gratus tuus ô Burcharde Iuventæ:
Quo sternis medijs ad meliora viam.

*M. Christoph. Hunichius Rector Jllustr. Pædag.*

## In Præexercitationes Oratorias Viri Præstantiss. Dn. M. Antonij Burchardi, Ill. Gymnasij Stetin. Profess. Amici & Collegæ sui Opt.



*Ente quis hac habitat, lepidus novus unde (sub auras*
*Prodijt iste liber? Num Dea, vel Deus (est?*
*Quidq, quod insolita me relligione moveri*
*Sentio, quod nasci carmina sponte mihi?*
*Seu Dea, seu Deus hîc habitat. Namq, hoc quoq, menti,*
*Hoc operi quiddam Numinis esse probat.*
*Et Deus hæc & Diva colit sacraria mentis,*
*Suaviter hîc sedem fixit uterq, suam.*
*Quis Deus? Interpres Divûm, fandiq, magister,*
*Qui molle arguto pollice pulsat ebur.*
*Quæ Dea? Suadentis quæ præstat flumine linguæ,*
*Res habitu comens, verba nitore juvans.*

*Divis macte animis, dulcis Collega, tuere*
*Isthæc facundûm pectore regna ducum.*
*Hi quicquid dices, scribes, meditaberis unquam,*
*Ornabunt culti dotibus eloquij.*
*Hinc tibi surget honos, hinc fama parabitur ingens,*
*Gloria Gymnasii nec minus hujus erit.*

M. Henr. Kielmannus, P. C. Ducalis
Pædagogij Stet. ConR.

IN PROGYMNASMATA
*Clarißimi Viri, Dn. M. Antonij Burchardi.*


Ui cupit Evepies benè cultas conde-
(re fruges,
Et Suadæ eloquij flore polire ge-
(nus.
Quem cribrum Pithus movet, & facundia lin-
(guæ,
Quiq; suo magnum ſperat ab ore decus.
Rhetorices legat hæc BURCHARDI dogma-
(ta; promunt,
Omnia quæ doctum Rhetora ſcire juvat.
Scilicet eloquij formam profitentur & Uſum,
Et quicquid dulcis Suada leporis habet.

*Petrus Neomarcus. P. L. & Jll. dica-
ſterij Stet. Advocatus & Procur.*



PRO.



# PROGYMNASMA DECIMUM COMPARATIO.

## ΟΡΟΣ ΣΥΓΚΡΙΣΕΩΣ.

Σύγκρισίς ἐστι λόγος ἀντεξεταστικὸς, ἐκ παραθέσεως συνάγων τῷ παραβαλλομένῳ τὸ μεῖζον, ἢ τὸ ἶσον. δεῖ δὲ συγκρίνοντας, ἢ καλὰ παραθεῖναι χρηστοῖς, ἢ φαῦλα φαύλοις, ἢ χρηστὰ πονηροῖς, ἢ μικρὰ παραθεῖναι τοῖς μείζοσι. Καὶ ὅλως, ἡ σύγκρισις διπλοῦν ἐγκώμιόν ἐστιν, ἢ λόγος ἐξ ἐγκωμίου συγκείμενος. Καὶ πᾶς μὲν τόπος συγκρίσεως, δεινὸς καθάπαξ καθέστηκε. Μάλιστα δὲ ὁ τὰ μικρὰ παραβάλλων τοῖς μείζοσι. Τοσαῦτα δὲ συγκρίνειν προσήκει, ὅσα καὶ ψέγειν καὶ ἐγκωμιάζειν, πρόσωπά τε καὶ πράγματα, καιρούς τε καὶ τόπους, ἄλογα ζῶα, καὶ πρὸς τούτοις φυτά. οὐ δεῖ δὲ συγκρίνοντας, ὅλῳ παραβάλλειν, ὕπτιον γὰρ καὶ οὐκ ἀγωνιστικὸν, ἀλλὰ κεφαλαίῳ κεφάλαιον, ἀγωνιστικὸν γὰρ τοῦτό γε. ἐπεὶ τὸ διαιρεῖν ἐγκωμίου τρόπος, οὐ συγκρίσεως. Σύγκρισις δὲ ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν, ἐπείπερ ὅλον ἐστὶ τὸ προγύμνασμα σύγκρισις:

Comparatio est oratio, quasi mutui rerum examinis causâ instituta; & per collationem infert atque attribuit rei per comparationem illustrandæ maius vel æquale quid. Oportet verò inter comparandum aut bona bonis componere, aut mala malis: Aut etiam mala & bona, parva & magna inter se comparare. Est verò comparatio quasi geminum Encomiũ, aut saltem Oratio admistam habens laudationem. Et sanè comparatione accedente increscit orationis vehementia: Præsertim si fiat comparatio à minori ut vocant: Sive si alia præ re nostra extenuentur. Et eædem omninò res illustrantur comparatione quibus laus aut vituperium adhibentur: scil: personæ &, negotia, tempora, loca, brutæ bestiæ & prætereà plantæ.

Porrò in comparando non tantum totum toti committendum, quod nullo negotio fieret: Sed partes partibus opponendæ, ubi majori in- dustria opus erit.

Demum partes orationis huc adhibendæ in Laudatione expli- catæ sunt: cujus portio quædam est comparatio.

## COMMENTATIO.

De hoc Progymnasmate tria docet Autor.

1. *Quid sit vel definitionem.*
2. *Materiam proximam vel terminos.*
3. *Usum.*

## DE PRIMO.

*Definitio.*

Σύγκρισίς ἐστι λόγος ἀντεξεταστικός ἐκ παραθέσεος συνάγων τῷ παραβαλλομένῳ τὸ μεῖζον ἢ τὸ ἶσον id est, Comparatio est Oratio, quasi mutui rerum examinis causa instituta, quæ per collationem in- fert atque attribuit rei per comparationem illustrandæ majus vel æqua- le. Genus, est oratio sed remotius, propius genus erit Enthymema vel Syllogismus Oratorius: quia omnis oratio in qua ponuntur quædam, & ex his aliud infertur, id est, omnis probatio est Syllogismus, Analyt. priorum c, 1. Syllogismus autem ex verisimilibus & signis est Enthy- mema 2. Priorum Analyt. cap. 27. Ex verisimilibus id est propositioni- bus probabilibus quæ ita pronunciant, ut res plerumque fiunt. e, g.

*Genus Enthymema.*

*Quid sit Enthymema.*

Matres amant liberos. Ex signis id est circumstantijs probabili- ter indicantibus alterius alicujus rei præsentiam vel absentiam in eo- dem subjecto. E, g. expalluit. E. æger est aut conscius sibi est. Enthy- mema ex verisimilibus erit, si ponatur eiusmodi pro- positio universalis vel probabilis & inde argumentemur. En- thymema ex signo erit, si ponatur eiusmodi signum: ubi tamen uni- versalis propositio solet subticeri propter nimis perspicuam inconse- quentiam vel falsitatem E,g: Ægri expallescunt. Item qui conscij sibi sunt expallescunt.

Hic

Hic expallet.

E. Æger aut conscius sibi est (Est Syllogismus affirm: in 2. fig.)

Si Majorem velis convertere; Omnis qui expallet conscius sibi est aut æger: erit perspicua falsitas. Talia sunt Enthymemata, sc. Imperfecti Syllogismi, fiunt affirmativi in secunda figura; vel ex propositionibus verisimilibus, hoc est ad speciem universalibus sed reverâ particularibus, loco majoris propositionis usurpatis in 1. figura. Et his utuntur Rhetores vel oratores. Quod autem Comparatio sit Enthymema sic patet, quia est probatio: & quidem oratoria, & ex signis ferè e, g. Ajax majores habuit meliores, quam Ulysses E. est melior hoc ex signo est. Itaque Comparatio est Enthymema.

Potest autem comparatio esse plurium partium: ut potest Ajax præferri Ulyssi, & ratione parentum, & naturæ, & educationis, & morum & rerum gestarum plurium, & successûs rerum. Hic partes illæ singulæ sunt Synonymæ & inter se & cum toto: id est, singulæ sunt Enthymema, & ipsum totum vel Comparatio est Enthymema, id est, probatio oratoria, sicut & partes singulæ sunt comparatio & totum item est comparatio: nisi quod differant magnitudine vel multitudine partium: quod accidens est probationis. Idem accidit in scientiâ. (e,g. Mathematicâ, Physicâ.)

Differentia Comparationis est composita, 1. Ex fine comparationis qui est duplex: finis ᾧ vel subjectum in quo: apppellatur τὸ παραβαλλόμενον res comparatione illustranda. Hæc poterit esse quælibet res vituperanda aut laudanda. Suprà appellabatur τὸ κατηγορούμενον. Alter finis est finis οὗ vel res efficienda scilicet ut παραβαλλόμενον appareat majus vel æquale scilicet rei magnæ cum qua confertur. Sive Enthymemate hoc probandum, vel concludendum est per Enthymema, quod res illa proposita, sive subjectum conclusionis sit major, sive vehementius laudanda aut vituperanda. Sic hi duo termini conficiunt conclusionem comparationis. Primus scilicet τό παραβαλλόμενον vel res comparatione illustranda est subjectum conclusionis. Alter terminus τὸ μεῖζον ἢ τὸ ἴσον est prædicatum conclusionis: Unde dicit autor noster comparationem συνάγειν hanc partem id est concludere & inferre. Altera differentiæ pars est forma consequentiæ vel proba-

*Differentia*



tionis

tionis hic peculiaris: quæ appellatur ab autore παράθεσις Appositio, Conjunctio, Collatio. Item appellatur ἀντεξέτασις mutua collatio vel mutuum examen quando scilicet dicitur com paratio λόγος ἀντεξετασικός. Exponit autem nomen hoc medium terminum, & rationem connectendi hunc cum terminis quæstionis, vel cum majori & minori. Debet fieri παράθεσις & ἀντεξέτασις, collatio termini nostri minoris, cum alio quodam simili, sive de quo idem prædicatum quod in nostra conclusione est dici potest, etiamsi aliter fortè, nempe secundum magis aut minus. In qua collatione oportet afferri causam quare idem prædicatum hoc insit diversis istis terminis. Sic quatuor fient termini 1. Subjectum conclusionis 2. Prædicatum 3. Subjectum παραθέσεως vel res illa quæ confertur cum nostro themate 4. Causa. Eg. Sit Thema, præferendus Romulo est Cicero : quia ille initia Romanæ urbis condidit: hic florentem cum homines improbi evertere conati essent conservavit. Hic Cicero (1. terminus) præferendus vel majore laude dignus (2. terminus) Romulus (3. terminus vel subjectum παραθέσεως) Alter ædificavit initia, Alter florentem conservavit (4 terminus causa cur majori laude sit dignus Cicero) Sunt igitur duæ in comparatione omni consequentiæ vel duo Syllogismi aut Enthymemata. Primus videtur construi ex subjecto παραθέσεως & prædicato conclusionis ultimæ (e.g. Romulus est laudandus) & ex una parte causæ (nempè ædificavit primum urbem) Alter Syllogismus componitur ex subjecto conclusionis ultimæ item prædicato ejusdem, & altera causæ parte (Cicero valde laudandus, quia conservavit.) Conseq: talis est. Romulus ædificavit urbem & assecutus est magnam laudem E. Cicero qui eandem conservavit & quidem ab improbis oppugnatam atq; evertendam, majori laude dignus erit. Intervenit autem Propositio Hypothetica. si qui minora præstat laude dignus est E. majori laude dignus erit qui majora. Intervenit inquam inter primum & secundum Syllogismum. Primus Syllogismus est : Romulus magnam laudem assecutus est: Romulus primum fundamentum ædificavit. E. Qui fundamentum locat magnam laudem meretur.

*Quatuor termini, in Comparatione.*

Hic dico intervenit hypothesis illa, vel interponitur à mente nostra

ſtra ſcilicet qui plura præſtat plura meretur: Cicero plura præſtitit ſcilicet urbem florentem conſervando: itaqueCicero majora meritus eſt.

Hoc igitur eſt comparatio; Enthymema, vel probatio oratoria ex ſignis & veriſimilibus. Tale autem Enthymema in quo vel in cujus concluſione majus aut æquale ſive major vel æqualis laus, aut vituperatio probatur adeſſe rei, per comparationem illuſtratæ; Probatur autem hoc per παράθεσιν vel talem compoſitionem propoſitionum quam ſuperius fecius.

Notentur duo 1. Oratores in comparatione has tres potiſſimum propoſitiones exprimunt E. g. Primam, Romulus eſt laudandus. Secundam Romulus hoc & hoc fecit: vel cauſa laudũ Romuli. Tertiam, Cicero fecit idem vel majus: vel aliud ſimile aut majus: quæ eſt cauſa laudum Ciceronis. His ſubjungitur demum concluſio. *Duo notãda*

II. Si dubium fuerit, utrum cauſæ illæ laudum ſint pares vel impares: accedet tertia probatio E. g. Quæ probabit conſervare urbem Romam eſſe majus quàm ædificare. Sic autem hæ partes poterunt appellationibus diſtingui 1. Erit Concluſio 2. παράθεσις Et παράθεσις ſic dividitur Primum in tres propoſitiones. Prima propoſitio habebit laudem vel vituperationem ſubjecti παραθέσεως. SecundaPropoſitio habebit cauſam laudum aut vituperationis. Tertia Propoſitio habebit cauſam laudum aut vituperationis rei per comparationem illuſtrandæ (παραβαλλομένου) Deinde deductionem vel amplificationem cauſarum iſtarum vel ſic: 1. Concluſio 2. Laus vel vituperatio rei collatæ vel exempli adducti, 3. Cauſa laudis vel vituperationis huius 4. Cauſa laudatæ vel vituperatæ rei principalis, 2. Deductio vel Amplificatio cauſarum.

## DE SECUNDO.

Termini in comparatione nunc ſunt eiusdem: nunc diverſæ qualitatis aut quantitatis. Qualitatem hic intelligo bonum eſſe vel malum, laudandum aut vituperandum. *De terminis.*

Quantitatem magis vel minus vel æqualiter. Termini alij ſunt ſubjectum ut Cicero & Romulus, alij prædicatum & hoc duplex.

Prædicatum conclusionis ultimæ: & prædicatum in propositi-
onibus. Prædicatum conclusionis ultimæ semper est qualitas e, g.
Cicero est magna laude dignus Et hoc idem prædicatum ponitur et-
iam in propositionibus majoribus. In propositionibus minoribus
prædicatum est causa laudis aut vituperationis, nempe factum aliquod
aut aliud quid, quare vel Romulus vel Cicero i. e. res illæ comparatæ
sint laudandæ aut vituperandæ. Subjecta item differunt. Aliud est
subjectum conclusionis ultimæ, ut Cicero, appellabitur res compara-
tione illustranda. Aliud est subjectum prioris Syllogismi ut Romu-
lus: appellabitur res collata. Si termini isti eodem modo se habeant
i. e. sint ejusdem qualitatis aut quantitatis erit comparatio, similium
vel parium: & talis quidem E, g. Romulus magna laude dignus:
Romulus benè meritus est de Repub: & Cicero bene meritus
est de Repub: Igitur etiam Cicero magna laude dignus est. Hi termini
autẽ similes possunt esse inter probos ut in dato Exemplo: vel inter im-
probos: ut Galli pessimi homines erant & hostes Reipub: Galli everte-
bant Rempbl: Catilina item vult evertere Rempub: Ergo Catilina
pessimus nequam est & hostis Reipublicæ.

*Divisio. Comparatio similium & dissimilium*

Aliquando termini isti sunt diversæ qualitatis vel dissimiles: sci-
licet cum bonis improbi, aut cum improbis boni comparantur i. e.
res collata est bona fortè: Res comparatione illustranda est mala. Jlli-
us causa item est bona hujus causa item est mala.

Sic etiam major terminus consequitur similis utriq; i. e. illam
laus, hanc vituperatio: ut Achilles fuit vir optimus: Achilles reddidit
Priamo filium Hectorem interemtum. Filius hujus Neoptolemus in-
terficit filium in conspectu Parentis. Ergo Neoptolemus est pessimus
& indignus tali Parente. Aut res collata est mala vel malè se habet. Et
res comparatione illustranda est bona: Sic illius causa item erit
mala vel causa vituperationis: hujus causa item erit bona vel causa
laudum. Sic etiam Major terminus consequitur similis utriq; i. e. il-
lam vituperatio, hanc laus.

Exempli gratia.

Cherea patrizat, fugit ocia, delicias, ruri degit & opere faciundo
se exercet, Itaq; dignus est patre optimo filius & quem Pater amore
complectatur. Æschines vivit in delicijs atq; ocio & luxurie profundit

bona. Igitur eſt indignus Parente optimo, filius degener, & olim ſentiet rei familiaris difficultatem magnam. Res collata eſt Cherea bene ſe habens: cauſa eſt vita hujus: Major terminus, laude dignus eſt vel dignus eſt Parente. Res comparatione illuſtranda eſt Æſchines, malè ſe habens: cauſa vita hujus diſſimilis ſuperioribus vel item malè ſe habens. Major terminus vituperatio. Sic erit exemplum comparationis inter rem bonam & malam. Sin invertantur termini, & vituperetur Æſchines, ut inde illuſtriores fiant laudes Chereæ: erit exemplum comparationis inter rem collatam malam, & rem comparatione illuſtrandam bonam. Porro ijdem termini nunc ſunt pares nunc impares. Pares i. e. eadem laude vel pari aut etiam vituperatione digni. Impares, quandó res collata minori, res comparatione illuſtranda majori laude eſt digna. Hic etiam conſequentur ſingulis cauſæ & major terminus pares. E, g. Cicero pro Murena: ad ſtudiorum atq; artium contentionem veniamus. Quî poteſt dubitari, quin ad Conſulatum adipiſcendum plus conferat dignitas rei militaris, quam Juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille ut eò quo intendit mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitat. Tu actionem inſtituis: ille aciem inſtruit. Tu caves ne tui conſultores, ille ne urbes aut caſtra capiantur. Ille tenet ac ſcit ut hoſtium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur. Jlle exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.

*Comparatio parium & imparium.*

*Conclusio.*

*Probatio.*

## DE TERTIO,

SIve uſu comparationis, qui eſt finis vel utilitas. Quia comparatio eſt inſtrumentum, probationis ſcilicet: ideo hactenus definitio, deinde fabrica hujus conſiderata fuit, nunc utilitas inſpicienda eſt. De uſu iſto autor noſter tria docet. 1. Quis ſit finis ōū Internus & externus, ſive quid efficiat comparatio immediate & mediate, ſive proximè & remotè. 2. De fine ῷ ſive quarum rerum ſit comparatio, ſive quæ res poſſint illuſtrari comparatione. 3. De partibus, quibus adornanda eſt comparatio.

*Uſus.*

### DE PRIMO.

Finis ȣ̃ Internus eſt cujus gratiâ inſtituitur comparatio, ut hunc in ſe ipſa efficiat immediatè: qualis eſt Medico conficere Φάρμακα,

*Finis ȣ̃ internus.*

cultro

cultro secare calceo munire pedem.Ille est in comparatione duplex vel gemina laudatio. Adde duplex vel gemina vituperatio vel etiam oratio composita ex vituperatione & laudatione. Laudatio & vituperatio : quia hujus causâ instituitur comparatio, ut probemus rem comparatione illustrandam esse valde laudandã aut vituperandam. Gemina autẽ vel duplex : quia primo in Conclusione & omnino in posteriori Syllogismo comparationis laudatur vel vituperatur res cõparatione illustranda, Laudatur E.g. Cicero est ingenti laude dignus quia conservavit Rempub : Vituperatur E. g. Catilina est homo pessimus & supplicio dignus quia evertere voluit patriam & Rempublicam quidem & Romanam h. e. Imperium orbis, perfugium gentium. Deinde in Comparatione laudatur vel vituperatur res collata in prioriComparationis Syllogismo E. g. sit Thema Cicero est laudandus. Hic Comparatio similium erit Romulus Rempublicam condidit atq; ea re æternitatem nominis consecutus est. Hic item laudatur res collata Romulus sc: Sin institues comparationem dissimilium, hic vituperabitur res collata E. g. Lentulus & socij conspirationis voluerunt Rempub: evertere, quos Senatus Romanus censuit ac jussit in carcere suspendi inusitato in Principes supplicij genere. Quippe indignos judicabat ea luce, quam Patriæ suæ ereptum iverant.

Loci igitur comparationis,vel causæ laudum aut vituperationis, sunt hic eadem cum locis laudum aut vituperationis superiori Progymnasmate expositis. Vel in Comparâtione ea sunt afferenda & prædicanda de rebus comparatis quæ solent prædicari de rebus laudandis aut vituperandis, quia sc. comparatio est laudatio & vituperatio sed composita vel gemina.


*Finis 8 externus*

Finis 8 externus est utilitas, quam non immediatè efficit comparatio sed remotè : neq; est in hujus potestate semper efficere. Qualis medico est sanitatem restituere, morbum depellere. Calcei est talis finis defendere à frigore atq, alijs oblæsionibus : Cultri talis finis est, defendere à vi etc. Hic est in comparatione vehementer movere animos auditorum. Ut assensum præbeant, esse rem magnam vel magnopere laudandam vel vituperandam rem illam comparatione illustratam ; vel esse veram conclusionem comparationis. Imprimis hoc facit comparatio imparium vel à minori : si res collata alias valde

illu-

illustris &c. Insignes habens causas laudis aut vituperij: tamen dicatur vix comparari posse ad nostram hanc, vel longè impar & minùs vituperanda aut laudanda esse. E. g. volo docere fortè quod sit magna & valde vituperabilis immisericordia illius divitis in Evangelio, qui ferre poterat ante ædes suas fame emori, mendicum Lazarum. Cogito igitur exemplum aliquod singularis alicujus & inusitatæ feritatis: & incidit de Caino fratricida. Hic conandum, ut quanquam summum hoc scelus est: tamen major & fædior sit illa immisericordia. E. g. Scelestissimum oportet fuisse Cainum, qui cum unicum ejusdem humanæ naturæ, & ijsdem parentibus natum socium ac fratrem nactus esset, Abelum scilicet cum eundem optimorum esse ac suavissimorum morum explorasset: cum nulla ne verbi quidem injuriâ aut acerbitate provocaretur: solâ invidâ concitatus ad profusionem innocentissimi sanguinis, scelere immanissimo prorupit. Quid creditis Auditores an majus ab homine in se concipi flagitium poterit? Potuit ab hoc epulone. Etenim Cainus quidem, cnm nullo exemplo didicisset, neq; per animi commotionem satis cogitaret, quantum aut â percussione ad vitam periculum, aut in morte fratri allata dimanaturum esset ad parentes malum, aut in homicido commisso â se perpetraretur peccatũ: inde prolapsus est ad tanti sceleris atrocitatem. Verum epulo noster & Caini & plurimorum homicidarum atq; immisericordium cum exemplis tum pœnis monitus erat: tum nullâ animi commotione in facinus aliquod præcipitatus est, sed cum sat multis continuis diebus eam rem meditari posset, cum perpetuæ Lazari flebiles voces & per misericordiam Dei obtestationes animum istius attentarent: tamen obstinate homini misero penitus perdendo operam dedit. Cainus uno ictu aut altero: hic longo cruciatu vitam abstulit. Comparentur hîc mortis genera: scilicet quanto acerbius sit fame mori quam gladio vel vulnere. Tantò sc. grandius epulonis peccatum. &c.

Finis $\tilde{\omega}$; est uno verbo, omnis illa rerum turba, enumerata progymnasmate 8. & 9. scilicet. Quæ laudari & vituperari possunt: eorundum laus aut vituperium potest comparatione illustrari.



## De Partibus Tractationis :

*De partib9 proprijs Tractationis.*

DUo hîc docet Autor. Primum de partibus Comparationis proprijs.
Secundò de partibus accessorijs.

De partibus proprijs dicit, non esse res universas cum universis comparandas, sed partes singulas singulis. Id est non esse tantum in genere dicendum hanc rem esse illi similem vel parem, vel minorem aut majorem. Exempli gratia: Ajácem esse deteriorem Ulysse, aut æque dignum Achyllis armis! Sed explicandum est per partes, quibus in rebus, & quam multis Ajax sit vel par vel deterior. Unde autem hæ sint sumendæ res vel partes Autor non indicat. Possumus tamen colligere ex ijs quæ secundo membro dicta sunt; Nempe quia comparatio est laudatio quædam igitur eosdem habebit locos, vel easdem partes cum laudatione.

*Loci.*

In laudatione autem sunt explicati loci quibus personæ collaudari possunt. Itaq; ijdem hic erunt utiles quoties personæ comparabuntur: Scilicet ut conferantur,

I. Primum: Ratione Originis, hoc est, Patriæ, Majorum, Parentum, cognatorum.

II. Secundò; Ratione naturæ vel educationis, hoc est ratione inclinationis naturalis, indolis, studiorum puerilium, artium, morum.

III. Tertiò; Ratione rerum gestarum, secundum animum, secundum corpus, secundum fortunas. Horum usus talis est.

Utriq; personæ attribuuntur circumstantiæ illæ: Vel similes: sic erunt ipsæ personæ similes: Vel diversæ, sic erunt ipsæ personæ dispares.

*Similes; Exempli Gratia.*

Ajax habet in majoribus suis JOVEM, item Ulysses habet in majoribus suis Jovem. Ajax multa fortiter gessit pro populo Græco; Item Ulysses multa fortiter gessit. Ajax solus Hectorem sustinuit cum nemo hoc auderet; Ulysses solus missus est qui Palladis simulacrum ex Troiana urbe clam auferret.

### Dissimiles vel dispares Circumstantiæ varijs modis distribuuntur.

De altera persona affirmando, de altera negando. E. g. Ulysses est fraudulentus, omnia ex insidijs agit. Ajax non item. I.

Secundò, Contraria affirmando de personis comparatis, e. g. Ulysses est timidus & fugax. Ajax est fortis & imperterritus. II.

Tertiò de una persona affirmando de altera tacendo vel dissimulando: E. G. Ulyssis majores sunt homines scelerati, nempè Sisyphus qui Saxum volvit apud inferos. Vel sic, Aiacis majores & cognati non sunt scelerati homines qui Saxum volvunt apud inferos. III.

Quartò; De una persona majora de altera minora affirmando. E. G. Ajax habet majores fortissimos viros & præclarissimè meritos de Republi: Ulysses quidem honestos homines sed non comparandos cum illis. IV.

Et in hoc quarto genere non semper perspicua est differentia illa vel excellentia circumstantiæ alterius. Itaq; accedunt prosyllogismi, vel ulteriores probationes quibus probatur, hos mores esse meliores istis, hanc rem gestam esse meliorem altera, hanc naturam esse meliorem altera, &c. E. G.

Ulysses pugnavit adversus Trojam, Item Ajax pugnavit adversus Trojam. Volo autem probare quod Ajax sit melior cum tamen res gestæ sint pares.

Dico, quod Ulysses coactus & invitus ad hoc bellum profectus sit; Ajax sponte sua. Ergo opera Ajacis est honestior. Horum Prosyllogismorum inveniendorum quosdam locos tradidit, Aristotel: lib: 1. Rhetor: & Cicero lib: Top:

Ex Cicerone notabimus quosdam.

In comparatione inquit spectantur hæc: Numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. *Loci ex Cicerone.*

Numero sic comparabuntur ut plura bona paucioribus anteponantur, pauciora mala pluribus, diuturniora bona brevioribus: latè & longè pervagata, ex quibus plura bona propagentur, quæq; plures imitentur & faciant, angustis.

Specie autem comparantur, ut anteponantur quæ propter se expetenda sunt ijs quæ propter aliud: Et ut innata atq; insita, assumtis

& adventitijs, integra contaminatis, jucunda minus jucundis! honesta ipsis etiam utilibus; proclivia laboriosis; Necessaria non necessarijs! sua alienis, rara, vulgaribus: Desiderabilia, ijs quibus facilè carere possis? Perfecta inchoatis; Tota partibus; Ratione utentia: rationis expertibus: Voluntaria necessarijs: Animata inanimatis: Naturalia non naturalibus: Artificiosa non artificiosis:

VIS autem in comparatione sic cernitur: Efficiens causa gravior, quam non efficiens; quæ se ipsis contenta sunt, meliora quam quæ egent alijs; Quæ in nostra quam quæ in aliorum potestate sunt: stabilia in certis; Quæ eripi non possunt ijs quæ possunt.

Affectio autem ad res aliquas est hujusmodi; Principum commoda majora quam reliquorum: Itemq; quæ jucundiora; quæ pluribus probata quæ ab optimo quoq; laudata.

*Usus istorum locorum Ciceronis:*

*Usus.* Loca ista Ciceronis sunt verisimilia quædam, id est, ponuntur loco majoris propositionis: Exempli Gratia.

In quo sunt plura bona, illud est melius. Quæ sunt nobis propria sunt meliora alienis. Sed hæ propositiones sunt minus universales Philosophicæ & remotæ à vulgi intelligentia: Quare in oratione non sunt exprimendæ. In juventione tamen sunt utiles; ut scilicet singulas illas excutiamus & attendemus num possimus aliquid subsumere, quod expediat in comparatione præsente. Subsumere voco minorem propositionem ponere: quæ fit ex rebus comparatis, & ex medio isto termino. E. G.

Aiax & est nobiliori genere; & conjunctior Achilli; & clarioribus factis & plurimorum meritorum; Ergo est melior.

Cæsar mansuetudinis laudem habet propriam: victoriorum autem laudem cum multis communem; Ergo laus mansuetudinis est melior quam victoriarum. Hæc subsumtio vel minor propositio vere sola ponitur in oratione omissa majori: Et est duarum partium. PRIMA appellatur, πρότασις vel propositio. Altera, ἀπόδοσις vel redditio.

πρότασις habet rem collatam & medium terminum. E. G. Cæsaris victoriæ sunt illi communes cum alijs multis.

ἀπόδοσις habet rem comparatione illustrandam itemq́, cum medio termino: Exempli Gratia. Sed modestiæ laus est Cæsaris unius propria, non communis cum militibus, aut cum centurionibus, aut cum fortuna: Et hic varietas spectanda est.

*Varietas.* Ut, aliquando multa multis, aliquando multa uni, aut unum multis: aliquando unum uni respondeat: Aliquando una tantum exprimatur pars πρότασις scilicet vel ἀπόδοσις: altera dissimulatur.

Multa multis Comparantur, E. G.

Ajax pugnavit cum Hectore: depulit flammas & incendium à classe Græcorum: item alia insignis roboris monumenta & specimina edidit.

Ἀπόδοσις. Sed comparate nunc quanto majora ab Ulyssis virtute profecta sint facinora. Ulysses enim quod nemo Græcorum ausus est intra Trojæ mœnia hostis accessit, Palladium sive Divæ Palladis simulacrum abstulit, sine quo capto Troja capi non poterat. Cum tamen Ajax contra Hectorem sane steterit, verum in ea pugna quam alij novem Græci Principes sibi deposcebant, & in his Ulysses etiam. Ut non Ajax propter virtutem prælatus: Sed fortunæ incerto atq; inconstanti moderamine ad illud duellum extrusus sit. Pugnavit verò, sed quo eventu, longe scilicet inferiori, ut cum Ulyssis capto Palladio conferri possit. Nihil enim non tantum roboris & virium Trojanis ex ea pugna detractum est, sed ne gloriæ quidem & laudis bellicæ decessit. Atq; eadem planè ratione si reliquam vitam componere placuerit accidisse reperietis. Ut Aiacis quidem merita plus audaciæ habuisse, Ulyssis autem plus salutis in Rempubl: contulisse compareant: Ille quidem manu & robore præpolluisse, hic verò consilio & prudentia plus præstitisse videantur.

*Unum uni opponitur.*

*Exempli Gratia.*

Aiax est cognatus Achilli, Sed Ulysses est magis charus Achilli propter majora in Rempub: merita: Quare hic est dignior Achilleis armis.

*Multa uni opponuntur primùm ut in προτάσει multa, in ἀποδόσει unum. E. G.*

Ajax habet in majoribus ſuis Jovem in cognatis Achyllem, Pa-
trem Telamonem clariſſimum virum. Ulyſſes etiamſi hoc eodem fa-
miliæ ſplendore non careat: tamen eo potiſſimum nomine Aiace præ-
ferendum ſe cenſet, quod virtute antecellat. Vel ſunt multa in ἀπο-
δόσει & unum in περιστάσει, ut Ajax ſemel Hectorem ſuſtinuit: Vlyſſes
ſæpius profuit, quando Achyllem invitum ad expeditionem pertra-
xit: & Palladium cepit: & Dolonem ac Rheſum in caſtris interfecit: &
Diomedis equos abegit. Et hæc vel multa vel una inter ſe oppoſita a-
liquando ſunt ijdem planè termini; ſed nunc affirmati nunc negati, ut
Ajax eſt indoctus & hebes, Vlyſſes non eſt indoctus & hebes. Ajax
nihil valet ingenio; Vlyſſes valet ingenio. Vel ſunt oppoſiti termini,
Vt Ajax eſt indoctus miles; Vlyſſes eſt doctus & peritus imperator.
Aliquando ſunt diverſæ ſpeciei, Vt Ajax eſt fortis manu; Sed Vlyſſes
eſt eloquens. Aliquando ſunt diverſi planè generis, Vt Ajax eſt nobi-
lis; Vlyſſes eſt virtute clarus: Aliquando una tantum pars exprimi-
tur: idq; vel diſſimulationis vel obliquæ criminationis cauſa. Diſſi-
mulationis quando noſtræ partis virtutes tantum prædicamus, alterius
tacemus & diſſimulamus. E. G.

Aiax habet Patrem Telamonem qui Trojam cepit ſub Hercule
duce & in expeditione Archonautica in Colchidem navigavit. Avus
fuit Æacus celeberrimus judex apud inferos. Proavus Juppiter. Diſ-
ſimulatur autem hic quos majores aut parentes habuerit Vlyſſes. Aut
quando alterius rei mala & incommoda tantum enumeramus, noſtris
malis præteritis: E. G.

Vlyſſes Palamedem falſo crimine prodidit. Philoctеten reliquit.
Obliquæ criminationis cauſa unam partem exprimimus tantum: qua-
do mala vel crimina de parte noſtra vel negamus, ut auditor i-
pſe ſecum colligat obijci ea alteri perſonæ comparatæ: licet id non ex-
primatur. e. g. Vlyſſes non habet Patrem parricidam vel qui fra-
trem interfecit. Hic relinquitur auditori intelligendum Ajacis Pa-
trem interfeciſſe fratrem ſuum. Vel detrahimus adverſario laudem
aliquam; ut auditor ipſe tacite colligat nobis eam attribuendam eſſe,
e. g. Vlyſſis corpus in bello non eſt ferendum tanto armorum oneri,
quæ magnum robur fortis viri requirunt. Relinquitur intelligendum,
Ajax poteſt ferre arma, ergo eſt dignior.

Porro usus locorum Ciceronis duplex est. 1. In amplificandis circumstantijs rerum collatarum. E. g. Ajax habet nobiles parentes item Vlysses. Hanc circumstantiam possumus amplificare vel probare parentes Vlyssis maiori ipsi laudi esse quam parentes Ajaci, idq; ex his locis. 2. Vtiles sunt hi ijdem loci ad inveniendas circumstantias si scilicet aliæ res quam personæ comparentur. e. g. Si fortitudinem, comparemus cum mansuetudine, Hic enim non sunt utiles loci personarum.

*Vsꝰ duplex.*

Monstrabimus: Primò usum horum locorum in his circumstantijs inveniendis, unde per se primus usus perspicuus erit. Sit igitur θέμα: Quod melius sit iram posse domare quam hostem vincere. Probo ex loco 1. Nam victoria adversus hostem à sola fortitudine proficiscitur. Sæpè ne ab hac quidem, sed à fortuna suppeditatur. In iræ autem moderatione omnis fere conspicitur virtus: Tum innumera commoda consequuntur. Est enim & hæc animi quædam fortitudo, si adversus iram tanquam domesticum hostem, eoq; periculosiorem, ea animi constantia contra venias, ut fracto & superato hoste superior dec[illegible]as. Tum qui hoc poterit, etiam reliquis cupiditatibus imperare noverit, & sic à temperantia ornabitur. Præterea idem modestissimus apparebit, quippe qui sui contemtum, unde omnis existit excandescentia, moderatissimè ferre poterat.

*Vsus exempla.*

*Plura bona paucioribus anteponuntur.*

*Ex loco secundo.*

Victoria Constat vulneribus, vitæ periculo, & invidiâ, In iræ autem moderatione, & reliqua absunt incommoda, & nemo invidebit, quod gloriæ splendor desideretur. Sola adest difficultas iræ coërcendæ: Quæ quo major est eo honestius fuerit, labore & contentione eam vincere.

*Pauciora mala anteponēda pluribus.*

*Ex loco Tertio.*

Victoria adversus hostes unico ferè prodest tempore, quo cum hoste congrederis, ut scilicet ex illo intentato mortis periculo te expedias: Laus vero inde consequens facilè oblivione obteritur: Nec semper novi hostes sunt, ut eam laudis recuperandæ materiam non semper in promtu habeas. Verum facultas animo imperandi totâ vitâ utilissima est. Cum quod adversus sensuum & affectuum quasi seditio-

*Diuturniora bona brevioribus antep.*

nes & tumultus bellum gerimus, nunquam finiatur. Vt semper vigilare, prudentiæ armis instructos nos esse oporteat, & mansuetudinis laudem acquirendi semper occasio in promtu ac parata sit.

*Ex loco Quarto.*

*Latè & longè pervagata antep.*

Belli tantum tempestate usui aliquando est fortitudo illa, iræ autem temperatio in omnib. vitæ partibus plurimum affert emolumentum. In amicitia primum: Quando nemo cum iracundo conversari potest. Deinde in magistratu, cujus præcipuum robur est clementia, quæ nihil aliud quam peritia & consuetudo iræ moderandæ. Item in parentibus magna officij pars est, ut noverint frena iracundiæ pro re nata, & ex salute liberorum vel remittere vel continere. Sic in præceptoribus, &c.

*Ex loco Quinto.*

*Ex quibus plura bona propagantur.*

Est victoria contingit corona aut præconium, aut lucelli aliquid ex spolijs. Verum ex iræ moderationibus primum animus exornatur, quippe cui salvum asseritur quod ipsi debetur in reliquum hominem imperium: Vita redditur tranquilla & homo prudens. Secundo, corporis valetudo confirmatur, quæ gravissimè per iracundiæ vehementiam affligitur. Demum fortunæ bona augentur: Famæ, amici: Benevolentia hominum, honores.

*Locus Sextus.*

*Quæ plures faciunt & imitantur sunt anteponenda angustis.*

Fortes viros omnes laudamus & miramur quidem, non tamen cupimus imitari, idem facere, similes esse, ut Samsonem omnes laudamus, sed nemo facilè cupit, ut item possit mille occidere sicut Samson. Verum mansuetos ita laudamus, ut valdè exoptemus idq; studiosè operam demus omnes, ut eorum similes evadere valeamus. Unde ad illud genus vitæ quo fortitudo exercetur, sex ferè hominum se applicat: Mansuetudinem autem omnium ordinum homines consectantur.

## CLASSIS SECUNDA LOCORUM.

*Si ex specie Petatur argumentum.*

EX ſpecie h. eſt, ſi res ipſo genere vel natura ſua differant.

*Locus Primus.*

Quod per ſe eſt expetendum, &c. Fortitudinis experimenta, qualia ſunt arma hoſtilja à ſe depellere, hoſtem frangere, urbes hoſtium evertere: Hæc nemo paulò humanior expetit per ſe h. e. niſi exigat vitæ paciſq; tuendæ ratio. Verum iracundiæ comprimendæ facultatem omnes ſanæ mentis homines exoptant, ipſius hujus virtutis pulchritudine allecti ad eiusdem amorem, etiamſi nihil commoditatis hinc conſecuturum ſperent.

*Locus Secundus.*

Innata ſunt meliora adventitijs. Fortitudinis uſum hominum & temporum malitia introduxit; Vnde nihil magis naturæ adverſum quam hominem occidere; Verum ad iracundiæ moderationem, omnes ſemper à natura homines invitamur. Cum propterea cum mente imperatrice nos naſcamur, ut affectibus dominemur. Jidem inermes in mundum prodimus, ut ad pacem non ad bella natos nos eſſe meminerimus.

*Locus Tertius.*

Integra ſunt meliora contaminatis, h. e. in quibus nihil eſt vitij & imperfectionis ſunt meliora illis in quibus aliquid eſt. e. g. A fortitudine vix abeſſe videtur crudelitatis quædam ſpecies, e. g. in Ænea, quod Turno ne ſupplici quidem parcit. In ira autem coercenda, nullius adhæreſcit vitij macula.

*Locus Quartus.*

Jucunda minus jucundis meliora ſunt. In certamine illo hoſtili, totus homo commovetur, pallet, tremit, horret, torquetur metu, fervet iracundia. In manſuetudine autem ſumma oboritur delectatio & ex præſenti affectuum obſequio, rationi obtemperantium; Et ex irrito adverſarij conatu, qui obnixe operam dat, ut te commoveat ſed fruſtra; Et ex memoria prudentiæ illius ſi poſt rem geſtam conſideres quot & quanta mala declinaveris eâ iræ compreſſione.

*Locus Quintus.*

Honeſta ipſis utilibus ſunt meliora, e. g. In hoſte vincendo ſem-

per fortuna, nonnunquam robur corporis rarò virtus animadvertitur, tum propter ſpoliorum aut pacis conſtituendæ commodum magis commendatur victoria quam virtutis ſpectatæ admiratione. In animi ut vocant, vel iracundiæ compoſitione, unicus eſt quem miramur quemq; prædicamus decor. Propterea pulchrum eſt iracundiam cohibere, quia honeſtum eſt, vel quia à recta ratione illud jubemur, nec quicquam aliâs hinc lucri promanat.

*Locus Sextus.*

Proclivia vel facilia laborioſis ſunt meliora, e. g. ut hoſtem vincas non fit abſq; manifeſto periculo, ne & ipſe vincaris: ut hoſtem occidas, propriæ mortis aleam ſubeas neceſſe eſt: ut hoſti regionem eripias, prius de tua regione periclitandum eſt. Verum hæc adverſus iracundiam victoria, non ſine ſanguine ſolum, ſed omni plane periculo obtinetur.

*Locus Septimus.*

Neceſſaria ſunt meliora non neceſſarijs. Vt hoſtem ipſe oppugnatum eas non omni homini neceſſario occumbit, quippe cum & alia ſint media partes conciliandi ſcilicet æquis conditionibus. Aut ſi omnino belligerandum ſit, ſæpè alij mitti poſſint. Accedit, quod in bello ferè fortunæ noſtræ appetuntur: vita, aut ſaltem anima, ad quâ hominum manus non pertingunt, extra periculum poſita eſt. Verum in ira moderanda propria opera tua deſideratur, nec alijs conditionibus, niſi pugnando tranſigi, neq, ab alio quam à te ipſo pugnari poterit.

Finis autem contentionis eſt ipſius animæ incolumitas.

*Locus Octavus.*

*Sua ſunt meliora alienis, &c.*

Ex hoc loco ſcripſit Cicero orationem pro Marcello. Victoriæ adverſus hoſtem ſunt alienæ, Partem aliquam ſibi vendicat fortuna; partem centurio; Partem cohors vel miles. Sed manſuetudo eſt propria, nihil hinc ſibi vendicat Centurio, miles, fortuna.

*Locus Nonus.*

Rara ſunt meliora vulgaribus. e. g. Victoriæ adverſus hoſtem

ſunt vulgares & frequentes; A multis etiam ignavis reportatæ ſunt. Iræ moderatæ rariſſimæ ſunt, non tantum noſtris temporibus, ſed omni antiquitatis memoria Exempla, quæ tanquam gemmarum quidam theſaurus aſſervantur.

### *Locus Decimus.*

Deſiderabilia ijs quibus carere poſſumus. e. g. Vincere ſane nemo deſiderat ſi alias pace frui poſſit. Dum deſint pugnæ, deſit quoq́, cauſa triumphi: Hæc ducibus bello gloria major erit. Verum omnes malunt domitam habere iracundiæ effervescentiam, quam ejusdem motibus vexari.

### *Locus Undecimus.*

Perfecta inchoatis, e. g. Si victoriam adverſus hoſtem obtinueris, pacis tantum fundamenta jacta ſunt. Poſſunt enim ingentes belli manere reliquiæ, quas non quidem foris adverſus externum, ſed domi aduerſus te ipſum geras inanimi extirpandis vitijs. Verum per manſuetudinem omnis affectuum repugnatrix vis, quaſi ad conditiones accipiendas & imperata facienda cogitur: Et pax planiſſime conſtituitur.

### *Locus Duodecimus.*

Tota, partibus meliora. Fortitudo eſt quædam iræ moderandæ particula. Illi enim verè fortes ſunt, qui in pugnâ adverſus hoſtem non nimis præcipiti ira efferuntur, & ſic aut imprudentia ſe in periculum conijciunt, aut crudelitate peccant. Verum Manſuetudo latius præterea patet, & ad omnes vitæ partes ſe diffundit. Vt qui Manſuetus ſit, ille fortis quidem eſſe valeat, ſed & alijs honeſtatis officijs fungi poſſit, in quibus nulla Fortitudo ſpectatur. Fortis autem ſi quid laude dignum præſtitit, hujus univerſa commendatio à manſuetudine petitur.

### *Locus Decimus Tertius.*

Ratione utentia, &c. Vel in quibus major eſt rationis uſus, e. g. in Manſuetudine. Hujus omnia opera à ratione naſcuntur, nihil enim eſt Manſuetudo aliud, quam rationis adverſus iram contentio & imperium. Verum in fortitudine exiguus rationis uſus eſt propter turbationum multitudinem. Primum autem adverſarum rerum ſenſus dolore afficit. Impendentium periculorum expectatio metu tor-

quet: ſperatæ vindictæ dulcedo, falſi gaudij imagine titillat, injuriæ hoſtilis cogitatio ad iram accendit. Tum corporis viribus & impetu potiſſimum, labor ille militaris perficitur; cum iræ moderatio ingenio conſtet.

*Locus Decimus quartus.*

Voluntaria neceſſarijs. e. g. In prælia & ad pugnam neceſſitate detrudimur, cum aliter nos, noſtri, patria, res, vita, decus ſalva eſſe non poſſint: aliàs n: libenter omnes ab armis abſtineremus; Quoniam nulla ſalus bello (ut inquit Poeta) Verum iræ moderatio tanquam inſigne animi humani ornamentum, nulla cogente vi ſponte ſua ab honeſtis & virtutis amantibus ſuſcipitur.

*Locus Decimus quintus.*

Animata inanimatis, I. Fortitudo vincit, animam homini eripiendo, manſuetudo animum confirmando & exornando. Fortitudo hoſtem armis deijcit ferreis. Manſuetudo armis vivis ſive mentis. Fortitudo ſtatuit Trophea lapidea, Manſuetudo in ſua & aliorum hominum memoria, immortalia ſuorum facinorum monumenta erigit.

*Locus decimus ſextus.*

Naturalia non naturalibus: A bellica victoria & digladiatione illa armatâ, & ſanguinis humani effuſione, naturâ omnes abhorremus, ad iræ autem moderationem omnes natura propendemus.

*Locus Decimus ſeptimus.*

Artificioſa non artificioſis, e. g. hoſtes ſæpè vincuntur à rudi milite, verum ut iram domare poſſis, nonniſi magna arte, longa aſſuetudine, diligenti præceptorum obſervatione, omni deniq; ſtudio comparatur:

## CLASSIS TERTIA.

Locus I. Cauſa efficiens eſt gravior quam non efficiens, id eſt ſi utramq; rem commoda quædam conſequantur, ſed alteram tanquam cauſam alteram non: illa erit melior, e. g. Fortitudo Pacem externam & cum alijs, Manſuetudo pacem internam & tecum ipſo in-

troducit,

troducit. Verum illa pax non tam à fortitudine proficiſcitur, quam etiam ſine fortibus factis à divina clementia indulgetur. Sed animi pax quanquam & hæcDei donum eſt tamen non alio medio quam hujus virtutis Manſuetudinis dico ſtudio divinitus conceditur.

### Locus Secundus.

Quæ ſe ipſis contenta ſunt &c. Si hoſtem vincas non tamen propterea vir melior es: imò nihilo felicior; Tamen egebis manſuetudinis aliarumq; virtutum ornamentis. Verum qui manſuetus eſt, vir bonus & felix cenſebitur: Neq; poterit huic facilè quiſquam hoſtis eſſe: & ſic neq; fortitudine magnopere egebit.

### Locus Tertius.

Quæ in noſtra poteſtate ſunt. Vt hoſtem vincas non in te tantum, ſed in commilitonibus, in duce, in ſocijs, in auxilijs, in temporum locorumq; oportunitate, in rerum neceſſariarum copiâ, in alijs deniq; multis ſitum eſt. Verum ut iram deijcias, univerſum in manu tua poſitum eſt: Nihil hic opus eſt exercitu, nihil expectatione aliorum, nihil fide ſociorum, nihil deniq; apparatu bellico.

### Locus Quartus.

Stabilia incertis. Certus eventus eſt pugnæ adverſus iram; Niſi enim tu per mollitiem cedere mavelis non poteris non ſuperior decedere. Verum victoriæ adverſus hoſtem eventus incertiſſimus eſt.

### Locus Quintus.

Quæ eripi non poſſunt. Gloria ex hoſte devicto non ſemper eſt perpetua. Sæpè etiam victis redit in præcordia virtus. Accedit quod hic fortuna dominatur, cujus nota eſt mutabilitas. Quorum omnium non periculum tantum, ſed metus etiam ab ira moderanda abſunt quam longiſſimè.

## CLASSIS QUARTA.

Locus 1. Commoda principum. Fortitudo eſt etiam vulgi & plebeculæ virtus: verum clementia quæ eſt manſuetudo quædam, principum propria virtus eſt.

### Locus Secundus.

Jucundiora jam supra considerata.

### Locus Tertius.

Quæ pluribus probata sunt. Omnes laudant si quis iræ modum adhibuerit; si hostem vicerit, non item: alij exhorrescunt ad narrationem istius cædis hostilis, alij aliud reprehendendum censent.

### Locus Quartus.

Quod optimis viris probatur: Optimi viri mansueti pleriq; sunt, alieni ab exercitijs bellicis.

### Secundus usus horum locorum, in Amplificandis Circumstantijs.


*Secundus usus.*

Quando duæ personæ comparantur, conferuntur secundum circumstantias, Patriam, Parentes, Educationem. Ex his circumstantijs, si non appareat perspicuè excellentia alterius partis: ulterius possumus progredi comparando illas circumstantias, secundum loca hæc Ciceronis, e. g. Ulysses fuit mansuetus Ajax fortis. Hic possum digredi in comparationem Mansuetudinis & fortitudinis.

## DE PARTIBUS ACCESSORIIS.

*Partes accessoriæ.*

Partes accessorias voco, quæ solent in alijs progymnasmatis addi, Exordium, Propositio, Epilogus, &c. Has dicit Autor se nullas nunc tradere. Quod comparatio sit pars quædam Progymnasmatis alterius, vel soleat scribi in alijs Progymnasmatis tanquam pars. Nempe Laudatione, Vituperatione. Loco communi. Præterea non opus erat hic singularibus præceptis. Si enim in Exercendo Exordium addere libet, item reliquas partes satis jam dictum est, unde hæ inveniantur.



PRo-

# PROGYMNASMA Undecimum.

## ΟΡΟΣ ΗΘΟΠΟΙΙΑΣ.

Ἠθοποιΐα ἐστὶ μίμησις ἤθους ὑποκειμένου προσώπου. διαφοραὶ δὲ αὐτῆς εἰσὶ τρεῖς, εἰδωλοποιΐα, προσωποποιΐα, ἠθοποιΐα. Καὶ ἠθοποιΐα μὲν, ἡ γνώριμον ἔχουσα πρόσωπον, πλαττομένη δὲ μόνον τὸ ἦθος, ὅθεν καὶ ἠθοποιΐα προσαγορεύεται. Οἷον, τινὰς ἂν εἴποι λόγους Ἡρακλῆς Εὐρυσθέως ἐπιτάσσοντος. ἐνταῦθα ὁ μὲν Ἡρακλῆς ἔγνωσται, τὸ δὲ τοῦ λέγοντος ἦθος πλαττόμεθα. εἰδωλοποιΐα δὲ, ἡ πρόσωπον μὲν ἔχουσα γνώριμον, τεθνεὸς δὲ καὶ τοῦ λέγειν παυσάμενον, ὡς ἐν δήμοις Εὔπολις ἔπλασεν. Καὶ Ἀριστείδης ἐν τῷ ὑπὲρ τῶν τεσσάρων, ὅθεν καὶ εἰδωλοποιΐα προσαγορεύεται. Προσωποποιΐα δὲ, ὅταν ἅπαντα πλάττηται, καὶ ἦθος καὶ πρόσωπον, ὥσπερ ἐποίησε Μένανδρος ἔλεγχον. Ὁ γὰρ ἔλεγχος, πρᾶγμα μὲν, οὐ μὴν ἔτι καὶ πρόσωπον, ὅθεν καὶ προσωποποιΐα προσαγορεύεται. Πλάττεται γὰρ μετὰ τοῦ ἤθους καὶ πρόσωπον. Ἡ μὲν οὖν διαίρεσις αὕτη. Τῶν δὲ ἠθοποιιῶν, αἱ μέν εἰσι παθητικαὶ, αἱ δὲ ἠθικαὶ, αἱ δὲ μικταί. Καὶ παθητικαὶ μὲν αἱ κατὰ πάντα, πάθος σημαίνουσαι. Οἷον, τινὰς ἂν εἴποι λόγους Ἑκάβη κειμένης τῆς Τροίας. ἠθικαὶ δὲ, αἱ μόνον ἦθος εἰσφέρουσαι: οἷον ἂν εἴποι λόγους ἠπειρώτης ἀνὴρ, πρῶτον θεασάμενος θάλασσαν. Μικταὶ δὲ αἱ τὸ συναμφότερον ἔχουσαι. Οἷον, τινὰς ἂν εἴποι λόγους Ἀχιλλεὺς ἐπὶ Πατρόκλῳ κειμένῳ, βουλευόμενος πολεμεῖν. Ἦθος μὲν γὰρ ἡ βουλὴ, πάθος δὲ φίλος πεσών. ἐργάσῃ δὲ τὴν ἠθοποιΐαν χαρακτῆρι σαφεῖ, συντόμῳ, ἀνθηρῷ, ἀπολύτῳ, ἀπηλλαγμένῳ πάσης πλοκῆς τε καὶ σχήματος. Καὶ διαιρήσεις ἀντὶ κεφαλαίων τοῖς τρισὶ χρόνοις, ἐνεστῶτι, παρῳχηκότι καὶ μέλλοντι.

## *Interpretatio.*

Ἠθοποιΐα est imitatio morum cujuslibet personæ. Species tres sunt εἰδωλοποιΐα, προσωποποιΐα, ἠθοποιΐα. Propriè sic dicta. *Divisio prima.*

Et

*Definitio.*

Et hæc quidem Ethopœia est quæ personam aliquam notam introducit, cujus saltem mores effingit: Unde dicta est Ethopœia quasi morum fictio vel deformatio, e. g. si excogites verba quibus Euristheo iniqua imperanti occurrerit Hercules, est Ethopæia, quia hic Hercules quis sit notum est: Saltem mores Herculis illâ oratione, quasi imagine depinguntur.

εἰδωλοποιΐαν verò vocant; Quando item notum hominem facimus loquentem, sed illo tempore quo mortuus est & cum dudum loqui desierit. Vt Eupolis in Comædia quadam, Populi, & Aristides in oratione quadam Pro quatuor. Et hinc etiam εἰδωλωποιΐας nomen attributum est, q. e. simulacri vel spectri introductio.

Προσωποποιΐα est quando ficta sunt, non solum mores, verum etiam persona. Verbi causa, Menander produxit in theatrum Elenchum, Elenchus quidem est res sed non persona. Hinc dicta est προσωποποιΐα i. e. effictio personæ: quod præter mores, etiam persona quædam ficta adornetur. Et hactenus quidem de illâ divisione: Iam verò Ethopœiæ aliæ sunt Patheticæ, sive vehementiores: aliæ Ethicæ sive remissiores, aliæ mixtæ vel mediæ.

*Secunda divisio*

Vehementiores sunt in quibus tantum sunt πάθη affectus vel commotiones & perturbationes animi: Ut si fingas orationem Hecubæ eversa Trojâ. Remissiores quæ habitus morum, vel consuetudinem hominis ante oculos ponunt. Ut si pingas quid dicturus sit aliquis in meditullio natus & educatus cum primum mare conspiciat. Mixtæ vel mediæ sunr: Quæ utraq; illa complectuntur, e. g. Si exprimas orationem Achyllis Patroclo cæso, quâ de prælio adeundo secum deliberat. Quatenus enim deliberatio describitur mores efformantur. Quatenus amici obitus attenditur, affectus scilicet dolor oratione adumbrandus est.

*Elocutio.*

Elaborabimus verò Ethopœiam genere dictionis perspicuo, brevi, florido, soluto, & alieno ab elegantiori cultura figurarum.

*Dispositio vel inventio*

In dispositione, capitum vel partium loco erunt, tria tempora, Præsens, præteritum & futurum.

# COMMENTATIO

## Partes Quatuor.

PArtes quatuor sunt hujus progymnasmatis. 1. Definitio. 2. Duæ divisiones. 3. Elocutio. 4. Dispositio.

### DE PRIMO.

Ethopœia est imitatio morum cujuslibet personæ. Genus est imitatio. Est autem imitatio similitudo expressa aut descripta & extans alterius cujusdam rei in re altera. Ut in pictura, e. g. imago cæsaris est imitatio vultus cæsarij i. e. similitndo quædam quâ eadem lineamenta, eadem figura oris quæ in Cœsare est etiam in tabella vel imagine deprehenduntur. Sic igitur in ἠθοποιία animus quasi pictus ante oculos sistitur & agnoscendus præbetur, quemadmodum Cœsar in imagine. *Definitio. Genus.*

Differentia sumitur ex objecto vel re quam per Ethopœiam imitamur: nempe mores imitamur; sive exprimimus, similitudine adumbramus, conspiciendos quasi ante oculos ponimus. Et sic Ethopœia est morum imitatio vel pictura. Sumitur autem vocabulum Mores hic quidem generaliter; Et significat quamlibet animi facultatem internam; Quæ triplex est, Natura, affectus, & mores proprie sic dicti. Natura vel indoles, ingenium, sive ut in Scholis loquuntur, naturalis potentia & impotentia, e. g. Fœminarum ingeniositas, puerorum simplicitas, masculorum animi præsentia, rusticorum ruditas, nobilium generositas. h. e. proclivitas quædam ad has virtutes & vitia. *Differentia* *Quid mores in genere. Natura.*

Affectus, e. g. ira, misericordia, invidia, pudor, metus, spes, gaudium, dolor. Habitus sunt facultates acquisitæ studio ac diligentia, & sunt duplices, intellectuales ut Philosophia, Poëtica, Jurisprudentia, & reliqua eruditio: 2. Morales, quæ sunt virtutus & vitia e. g. Fortitudo, Liberalitas, Modestia, Timiditas. Avaritia. Hæc ergo posse exprimere: nempe naturam hominis, affectum aliquem; eruditionem, virtutem & vitia, vel ita pingere hominis animum oratione, ut quasi oculis videri videatur, est Ethopœian facere. *2. Affectus. 3. Habitus.*

Duo videntur desiderari in hac Definitione: nempe I. modus imitationis istius aut medium, quo imitamur illos mores. Tum 2. *Definitio perficitur.*

Finis, quorſum iſta fiat imitatio, addi potuiſſet magis perſpicuæ declarationis cauſa. Modum & medium animadverto duplex eſſe apud Authores uſitata:

*Additur 1. Modus & medium duplex* I. Orationem & ſermonem Perſonæ cujus fingimus mores: II. Res geſtas quasdam ſingulares quotidianas quas characteres morum vocant. Author noſter tantum præcipit hic de primo modo, ſive quomodo mores pingendi ſint per orationem quandam perſonæ ejus moribus convenientem. Alterius autem modi Exemplum elegans habetis lib. 4. ad Herennium.

*2. Finis.* Finis Ethopœias eſt perſuaſio, quia iſtæ picturæ morum vel delectando vel commovendo perſuadent, Delectando Ethopœiæ remiſſiores; Commovendo Ethopœjæ vehementiores. Itaq; plena ex his partibus definitio erit: Ethopœia eſt probatio quædam per orationem affictam perſonæ, moribus ejusdem ſimillimam.

## DE SECUNDO.

*Diviſiones.* Diviſiones duæ traduntur. 1. à Differentia perſonarum quæ loquentes inducuntur. 2. à Differentia morum qui oratione illa finguntur. *Prima.* Diviſio prima eſt, quod alia ſit Idolopœia &c. Ratio diviſionis eſt, diſcrimen perſonarum, quæ introducuntur loquentes. Nam poteſt induci perſona vel vera vel ficta. PERSONA autem i. e. ſubſtantia intelligens ſingularis ut, Homo, Angelus, Deus. Perſona vera e. g. Hercules, Socrates, Priamus, &c. Perſona ficta e. g. Mors, Nemo, fides, Sol, Paupertas, Lux, Luxuries, Febris in Marſupio, Ignavia, virtus &c. Si hæc fingantur loqui, dicitur induci ficta perſona. Iterum vera perſona, vel inducitur loqui ea, quæ olim loqui potuerit dum in vivis eſſet, e. g. Si excogitem orationem quâ Lucretia uſa ſit ſecum, abeunte Tarquinio. Vel inducitur loqui de rebus poſt mortem, & quas nunquam vidit aut cognovit, e. g. ſi fingam orationem quâ Lucretia uti poſſit, ſi nunc reviviſcat, & videat noſtri ſeculi mores. ETHOPOEIA igitur proprie ſic dicta excogitat orationem perſonæ alicujus moribus convenientem, quâ hæc olim uti potuerit. IDOLOPOEIA reducit homines mortuos quaſi ab inferis, tribuit orationem moribus illorum quidem convenientem ſed quâ illi nunquam uſi ſunt, verum finguntur ſaltem uti poſſe ſi nunc reviviſcant. PROSOPOPOEIA

eſt

est quæ orationem affingit rebus quæ non loquuntur aut non sunt personæ, ut brutis aut inanimis, Item mundo, Patriæ, virtutibus & vitijs.

Altera divisio est, quod alia Ethopœia sit vehementior, alia remissior, alia mixta. Ratio divisionis est, discrimen illud morum prima patre traditum, Aliquando enim affectus pingimus per ethopœiam, e. g. iram, gaudium, dolorem, amorem, metum, misericordiam &c. Hæc appellantur πάθος motus vehemens, commotio. Quia scilicet totum turbant hominem, & mentem ab officio deijciunt. Quare Ethopœiæ quæ hos affectus exprimunt dicuntur vehementiores vel Patheticæ: & hinc oratio pathetica. *Altera divisio.*

Iterum aliquando naturam vel ingenium hominis vel prudentiam aut sapientiam, aut calliditatem, aut liberalitatē, aut avaritiam, aut reliquorum morum aliquid repræsentamus. Hæc omnia sunt sedata, quieta & attentâ ratione constant & exercentur. Itaq; appellantur, remissi mores vel absq; animi cōmotione vel turbatione: & Ethopœiæ quæ hos exhibent appellantur remissæ aut Ethicæ. Demum licet utrumq; observare & utriusq; quædam vestigia in oratione ponere: Nempe affectuum & præterea naturæ atq; habituum. Sic appellabitur Ethopœia mixta.

## DE TERTIO VEL DE ELOCUTIONE.

De hac præcipit Author noster, quod hic observandum sit certum quoddam genus dictionis: hoc est formulæ certæ quædam & figuræ verborum & sententiarum.

Non enim hic liberum est quo libet eloquendi uti genere.

Tale autem est, quod huc convenit dictionis genus.

1. Ut sit perspicuum, h. est facilis intelligentiæ, verbis ex quotidiano usu sumtis.

2. Sit breve, id est Commaticum sive frequentioribus commatis & intercisis distinctum: non debent hic texi longæ periodi; sive ambitus verborum, longiusculè diducti.

3. Floridum erit genus dicendi in Ethopœia i. e. quasi vivens & excitatum, sive crebris affectuum figuris distinctum: Quales sunt Repetitiones, Anaphoræ, Exclamationes, Apostrophæ, Prosopopœiæ.

4. Solutum & alienum ab omni implicatione, ſcilicet erit genus ſententiarum & verborum in Ethopœia. Hoc præceptum videtur coincidere cum ſecundo. Nam implicata oratio vel circumducta vel circumflexa: eſt cujus longiora ſunt membra, & hæc inter ſe connexa & cohærentia, ut diu expectandus ſit eventus & complementum vel integra ſententia, e. g. Quamquam multo jucundiſſimus conſpectus veſter (Cicero pro Leg: Manil.) eſt viſus Quirites, & hic locus ad dicendum ampliſſimus, & ad agendum digniſſimus eſt viſus, tamen ab hoc aditu laudis, non tam mea me voluntas, quam certæ vitæ rationes me abſtinuerunt. Solent hujusmodi orationes cohærere per Quamquam, Tamen, Etſi, Tamen. Si, tunc, Quemadmodum, ita, &c. Hæc implicata dicendi ratio non convenit Ethopœiæ: Quia propter prolixitatem, requirit animum præſentem & quietum: In Ethopœia autem præſertim in affectibus exprimendis animus eſt turbatus. Itaq; hic utimur oratione ſolutâ, crebris commatis & interſpirationibus diviſâ.

5. Alienum â figuris vel elegantiori figurarum cultura. Intelliguntur hic figurarum illæ deliciæ: Quæ venuſte cultam & comtam efficiunt orationem e. g. Metaphora frequens & apta, Metonymia, Synechdoche, Allegoria, Paræmia &c. quæ ſcilicet non abſq; meditatione inveniuntur. Hæc non conveniunt affectui exprimendo, e. g. non videtur ſimul idem & iræ indulſiſſe & cogitaſſe quomodo orationem ſuam elegantibus figuris poſſet exornare. Et ſic in reliquis affectibus non videtur eodem tempore locus eſſe perturbationi & curæ de ſermonis elegantiâ.

## DE QUARTO VEL PARTIBUS ETHOPOEIAS.

Author monet tria tempora eſſe inſpicienda, præſens, præteritum, & Futurum, & ſecundum hæc eſſe excogitandam dicendi materiam. Quid autem hoc eſt? i. e. fortuna, ſive bona & mala, unde affectus excitantur, in quibus mores occupati ſunt, & in quibus hæc ſpectantur, & quaſi oculis repræſentantur: Illæ fortunæ inquam quæ ſcilicet acciderunt perſonæ introductæ, ſecundum temporum diſcrimen ſunt diſtribuendæ, oratione exponendæ & inter ſe conferendæ.

*Exercitium.*

## ETHOPOEIA GAUDII QUO AFFICIEBATUR *Filius perditus in gratiam receptus.*

Cum filius perditus non ſolum in paternam gratiam priſtinam admitteretur, pretioſiſſimis veſtibus ornaretur, omnis peccati memoriam abolitam videret; verum etiam parentes ſummo gaudio perfuſos animadverteret: tanta támq; ſubitâ & vehementi lætitiæ copiâ affectus eſt, ut lacrymæ homini caderent, ut verba quibus eam gaudij ſui vim teſtaretur deeſſent, ut ipſe vix ſibi apud ſe eſſe ſatis videretur, ſomniare potius ſuam eam felicitatem quam experiri ſuſpicaretur. Primus ille veſper inter oſcula matris, parentis complexus, cognatorum ſalutationes & gratulationes, omnium ſummam lætitiam conſumtus eſt. Præterea ut fit in ea animorum hilaritate largius ſe invitabant poculis, vix quiſquam niſi bene potus ex illo convivio diſcedere poterat. Mane cum noſter adhuc dum à crapula æger, ſummâ luce evigilaſſet: *Aditus vel κατάστασις à deſcriptione.*

Hei mihi inquit quæ me ſuavia iſtâ nocte miſerum ſomnia vexarunt? Qui enim ita longe à patria abſum, non in ædibus tantum paternis in parentum conſpectu, ſed in ipſis parentum complexibus vivere, atq; amantiſſime haberi viſus mihi ſum. Atqui etiam nunc id perſuadent mihi oculi? veruntamen vix videor etiam his fidem tuto habere poſſe ſi quam indignus eâ fortunâ ſim mecum cogitem. *1. Cogitatio temporis præteriti.*

Peſſimus enim hominum homo qui vivunt, quam impie de utroq; parente meritus ſum; Quam nequiter rem ampliſſimam alieno parentum labore partam dilapidavi, ô belliſſimum parentem! ô exoptatiſſimam matrem! ô optimos cognatos qui & veniam tantorum delictorum facile dediſtis: Et majori etiam nunc amore impuriſſimum me complecti videmini. Valete nunc furfures & porcos paſcite: Valete harpyiæ imò furiæ infernales, mendaciſſimæ meretriculæ, quæ me ſtolidum adoleſcentem in iſtam exitii voraginem abſtraxiſtis: Quæ perdidiſſetis etiam niſi clementiſſima Dei manus è veſtris inſidijs liberaſſet.

O me tunc ſatis prudentem! ubi tam felicem meam conditionem agnoſcere & inde ſatis magno ac digno gaudio effici valebo,

Quid enim me erat miserius cum nobilissimi viri filius ad subulcos detruderer? Cum lautissimis epularum delicijs educatus ne fame pereundum esset metuerem: Cum hæreditatis non tantum possessione amissa, verum etiam spe deperdita amplissimæ, paupertate & nuditate, infra omnes infimos abjectus essem; Cum parentibus quibus carissimus esse debebam, & eum fuisse me olim memineram, nunc maximè invisus esse meruissem.

*2. Cogitatio temporis præsentis.*

Quis nunc igitur me fortunatior aut venustior, qui & isto metu expeditus sim, & malis evolutus maximis? amicissimo præterea parentum, suavissimo amicorum, & cognatorum vultu, sermone, animo, studijs exhilarer? O pulvinaria, lectuli, cervicalia, spondæ, laquearia, pavimenta, aurea, venustula, bellula. In paradisum si ex illâ paupertate meâ subito translatus fuissem: Vix puto suavius aut mollius, ex inusitato illarum rerum sensu permulceri potuissem, quas illic percipi ajunt &c. Sed heus Domine prodige hæc dies alios mores aliam vitam postulat, Atq; utinam mihi terra dehiscat potius, quam à parentum obedientiâ ad pristinæ vitæ mores abeam. O mater mater! quantis obsequijs ego te demerebor! ô pater, quam pium ego me geram! ut quo hactenus indignior visus sum, quem vos paterno amore prosequeremini; eò plus vos de me meriti videamini, qui vestro beneficio, ad tam serium pietatis studium me obstrinxeritis.

*3. Cogitatio temporis futuri.*

Δευτέρα Φροντίδες.

## Caput I. Quid sit.

*Tres modi persuadendi.*

Ethopœia est modus quidam persuadendi per mores adumbratos. Est modus persuadendi i. e. probatio vel instrumentum Rhetoricum quo utuntur Oratores ad persuadendam alijs suam aliquam sententiam. Nam tres sunt modi faciendæ fidei apud Aristotelem 2. Rhetor. cap. 1. fictio morum in personis causam agentibus 2. captatio affectuum in auditore excitandorum: & tandem argumenta rerum. Et in his fictio morum habet potissimam persuadendi efficaciam. Per mores adumbratos i. e. per morum obliquam significationem. Hoc medium persuasionis est huic Ethopœiæ singulare ac proprium: nempe mores adumbrati, vel obliquè significati & per signa quædam singularia

gularia insinuati in animos auditorum, absq; ulla argumentatione. Et secundum hoc differt Ethopœia ab argumentatione & captatione affectuum. Argumentatio persuadet per aliquam allatam rationem e. g. Sit thema: Mulieres sunt meliores, argumentatio est quia minus sunt deditæ ebrietati. Captatio affectuum persuadet per rem aliquam singularem, ad auditores pertinentem, gratam illis vel ingratam, ut ista mentione commoveantur e. g. si sic dicam cavete ne quid contumeliosè adversus fæminas constituatis: etenim etiam in sorores & matres vestras hæc redundabit injuria. Hoc enim audito pudor incutitur. Et hic facit ut libenter assentiamur sententiæ, cui contra dicere ita turpe videtur. Ethopœia verò per signa quædam morum persuadet. Signa verò id est singulares quasdam res unde innotescunt mores animi. Hæc sunt sermo, gestus, & facta quædam singularia. Itaq; Ethopœia sermonem gestum & facta quædam singularia ita conformat & describit, ut inde qui mores in animo lateant perspicuum fiat. Nam qualis cujusq; animus sit ex sermone potissimum, gestibus, factis vel consilijs & institutis perspicitur. Quæri autē potest quonammodo hæc persuadeant? Respondeo ex hoc principio; omni viro bono & nostri amanti libenter assentimur: ei verò qui contrario modo affectus sit omnem fidem abrogamus. Item illum amamus, hos odimus Item ex moribus signum capitur, & verisimile fit, authorem facinus aliquod conveniens istis moribus commisisse. Itaq; oratores fingunt mores suos potissimum in exordiis, & adumbrant optimos, ut sic fidem suæ orationi apud auditores colligant. Item introducunt personas alias graves quibus suam sententiam dicendam attribuunt, ut sic authoritate istarum persuadeant. Item oratores adversario affingunt hujusmodi orationem, & facta singularia: unde fides isti abrogetur & odium auditorum concitetur.

## CAPUT II.

### *Divisio & species Ethopœias.*

Primum quædam Ethopœia est absq; figura, quædam est figurata. Figuram voco peregrinam quandam orationis formam cum ornatu & elegantia conjunctam. Itaq; figurata Ethopœia est in qua *Divisio.*

com-

*Ethopœia absq; figura.*

communis & usitata orationis forma mutata est e. g. si Respub. introducatur loquens. Absq; figura est: in qua orationis forma nihil mutata est à communi consuetudine e. g. quando orator suos ipsius mores pingit ut commodum est ad persuasionem: quod potissimum fit in exordijs; ut, sit thema: mulieres esse meliores. Exordium fiet ex significatione bonorum morum, potissimum modestiæ, quæ adumbrabitur sententijs super hac controversia e. g. Prudentissimè semper dictum existimavi à Poeta: ita posse sine invidia laudem parari si nemini adversus sis, aliorum studijs dedas te, cum quibuscunq; una fueris. Itaq; nunquam placere mihi potuerunt contentiones, quibus quorundam ingenia nimis delectantur: ut alios præ alijs ordines aut vituperent aut collaudent &c.

*Secunda divisio, Ethopœiæ figuratæ.*

Figuratæ Ethopœiæ iterum variè dividi possunt. Primum ratione signorum. 2. Ratione personarum introductarum. 3. Ratione rerum adumbratarum.

Signi loco aliquando potissimum gestus aut consilia describuntur. Vocant προσωπογραφίαν lib. 4. ad Heren. vocatur Notatio. Dico, potissimum; quia immiscetur aliquando quid locutus sit ille, qui describitur. Aliquando signi loco potissimum oratio attribuitur. Dico potissimum: quia etiam hic inseritur notatio personæ, & frequenter ab hac Notatione fit orationis initium. Et hoc genus iterum est multiplex: Aliquando enim plures introducuntur personæ loquentes. Vocant διαλογισμὸν vel sermocinationem. Aliquando unus continuè loquitur. Idq; nunc directo sermone, nunc obliquo casu. Tertio ratione personarum introductarum distinguuntur Ethopœia, Idolopœia & Prosopopœia. Ethopœian vocant hic, si cuidam oratio attribuatur, quam verisimile est illum eundem olim habere potuisse, ut Catoni & Lælio in libris de senectute & amicitia.

Idolopœia est si quis ab inferis excitetur quasi per oratorem & huic oratio de rebus præsentibus affingatur.

Prosopopœia si alijs rebus loquelæ expertibus assignetur persona & oratio: ut Reip.

4. Ratione rerum adumbratarum: aliæ Ethopœiæ sunt leniores aliæ vehementiores, aliæ mixtæ.

LENIORES sunt in quibus mores natura & ingenium describuntur.

buntur. VEHEMENTIORES in quibus animi quædam turbatio exprimitur h. e. ira, misericordia &c. MIXTÆ in quibus utraq; illa concurrunt.

## CAPUT III.

### *De inventione Ethopœias quæ est absq; figurâ.*

*Inventio Ethopœias absq; figura*

Ethopœia absq; figura fit vel in persona oratoris, vel adversarij, vel alterius, cujus mores notatos volumus. Orator de se significabit potissimum tria: virtutem, prudentiam & benevolentiam erga auditores. Nam quibus hæc adsunt ijs libenter omnes assentimur: si quid autem horum desideretur: fit plerumq; ut frustra demonstratio per argumenta fiat. Significabit autem duabus rebus: 1. sententijs super re vel argumento præsenti: 2. factis quibusdam singularibus eodem pertinentibus. *Aristot. 2. Rhet. cap.1*

*Virtutes significandæ in oratore.*

Virtutes sunt potissimum, scilicet quas in oratore requirimus, modestia vel humanitas, urbanitas, Iustitia, veracitas vel candor.

MODESTIÆ est vereri aliorum judicia: & velle omnibus probatum studium & propositum suum, ideoq; hujus causas reddere: sentire de se tenuiter, de alijs honestissimè: subijcere se aliorum voluntati, libenter supplicem fieri.

URBANITAS est facultas dicendi ea quæ faciant alijs risum, vel quæ aliàs jucunda accidant, quod conjuncta sint ferè cum adversarij aut nostra aliqua turpitudine mediocri.

JUSTITIÆ est fugere fraudes & dolos: cupere ut sua cuiq; salva atq; integra sint, odisse malitiam, defendere velle innocentes. Item studium pacis & Reip. videtur huc pertinere.

VERACITAS vel candor est, si apertè dicas quod res est etiam cum periculo.

PRUDENTIA est peritia rerum earum, quæ fiunt nostro commodo, & quarum usus est in vita communi.

BENEVOLENTIA est amor & favor erga auditores: quod horum rebus bene cupimus, & nos cum his conjunctissimos esse optamus.

Significamus, inquam, istas res duobus medijs: 1. sententijs 2. factis. Sententijs h. e. oratione, propositionibus, judicijs, talibus sci- *De medijs significandi*

licet in quibus perſpiciuntur iſta tria: virtus, prudentia & benevolentia. Vel hujusmodi ſententijs, quas vir prudens virtute præditus & benevolus uſurparet. Et ijs quidem ſententijs conceptis ſuper præſenti argumento, tempore, perſona, & reliquis circumſtantijs. *Sententia.*

Sunt eæ ſententiæ vel univerſales vel ſingulares.

Univerſales vocant γνώμας e. g. Ita nos in vita comparare debemus, ne quid præ alijs ſapere videamur.

Particulares vocant νοήματα e. g. Ita me ſemper in vita comparavi, nequid præ alijs ſapere viderer.

*Inventio ſententiarũ.* Has ſententias ſic inveniamus. 1, Si cogitemus quid de præſenti argumento aut controverſia ſecundum modeſtiam & reliquas virtutes ſentiri aut dici poſſit. 2. Item num quid auditores ſiniſtrè ſuſpicari poſſint, de argumento aut de nobis aut alia circumſtantia. Illud ſignificemus: hoc præoccupemus & occurramus concedendo vel cauſam exponendo, & ſolvendo rationem contrariam. Et hæc ferè fiunt in Exordijs, ſed non ſunt negligenda in reliquis orationis partibus imò argumentis & verbis ferè ſingulis, quæ ſenſu incommodo accipi poſſent.

*Facta.* Facta ſingularia noſtra item exponimus, quæ ſignificent curam noſtram, & fidem in præſenti negotio. In adverſarij moribus notandis contraria ſunt fingenda: nempe vitia, & ſtoliditas, & animus inimicus: potiſſimum hæc ex factis notamus: item alias perſonas ferè in narratione ita deſcribunt oratores, ut de horum moribus aptum fieri judicium poſſit. *Adverſarij mores.*

## *Exemplum Ethopœias ex oratione Ciceronis pro Quintio.*

*Exemplum ex Cicerone*

Exordium hujus orationis eſt Ethopœia, ſive pingit mores oratoris & adverſariorum. In oratore pingitur modeſtia, cujus præcipuus in Exordijs uſus eſt. Hujus ſignificationem dat orator ſententijs quibusdam ſuper præſenti argumento. Has invenit conſiderando ſe, reum, adverſarios, tempus, judicem. Item dum verbum imprudens corrigit, & γνώμας loquitur. Item adverſariorum pingit mores, qui iniquiſſimè & indignis modis accuſent. Hinc igitur exordium excogitatur his ferè conſtans ſententijs: homines gratioſiſſimi eidemq; e-

loquen-

loquentiſſimi adverſarij noſtri ſunt, atq; inde magnus nobis metus incutitur. Nos autem non ſumus cum illis comparandi.

Præterea non datum fuit nobis ſatis temporis ad cogitandum: quo tamen eò magis egeo quò minus ingenioſus ſum. *2 Sententia* Quapropter vos judices oramus homines juſtiſſimos, ut innocentiam noſtram defendatis. *3.* Quod non debetis eò accipere, quaſi dubitemus de veſtra fide: ſed primum magnum eſt noſtrum periculum. *4.* Jam verò omnes quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius illud cogitant quid poſſit is cujus in ditione ac poteſtate ſunt, quam quid debeat facere. *γνώμη.* Porrò adverſarij ſunt potentiſſimi: & abutuntur potentiá ad opprimendam noſtram innocentiam. *5.* Curarunt enim ut nos qui defendimus, qui iſtorum accuſationi reſpondemus, priori loco diceremus.

Quare P. Quintus orat atq; obſecrat vos, ut ſe injurijs oppreſſum adjuvetis.

### *Imitatio iſtius exempli.*

Sit Thema: an mulieres ſint meliores.

Exordium habebit Ethopœian modeſtiæ & prudentiæ in oratorie, loquacitatis in adverſario. *Imitatio.* Modeſtia deſcribatur ſententijs ſuper præſenti argumento, quæ excogitentur ex conſideratione vel collatione noſtri cum adverſario, & noſtri extenuatione item à cogitatione temporis & auditorum. Sit ergò prima ſententia: Quæ res in omni controverſia diſceptanda maximè metui poſſunt, eæ contra me faciunt in hoc tempore: ſententiæ ſcil: cui contradicis vulgaritas, & in adverſario dicendi facultas &c.

Mea verò ſententia abhorrere videtur à vulgi auribus, & ego etjam minus virium in me agnoſco, ad eam defendendam. *2. Sentent.*

Illud quoq; mihi accedit incommodum quod temporis vix ſatis habui, ut rem multis difficultatibus implicatam poſſem cognoſcere. *3.*

Quæ quo plura ſunt Auditores, eò vos meliori mente noſtra verba audire oportebit: ut oneris hujus gravitate debilitata verecundia mea, veſtrâ æquitate refrigeretur. *4.*

Non eò hoc dico quo mihi veniat in dubium veſtra in judicando prudentia & facilitas. *5.* Sed primum hoc mihi nonnihil timoris creat, quod de vobis ipſis quodammodo judicare videbimini, quan-

do de sexuum præstantia arbitrari jubemini.

γνώμη. Omnes autem in ijs quæ ad nos pertinent causis non iniquum nobis judicium facere videmur, si æquiores nobis ipsi quam alijs judices existamus.

6. Porrò adversarius loquacitate suâ pessimè totam causam corrupit, itaq; multa obiecit: Ut in his dissolvendis omne tempus mihi attributum insumendum, & laudibus fæminarum dicendis nullus locus relinquatur.

7. Tot itaq; tantisq; difficultatibus affectus in vestra benevolentia omnem spem fixam atq; collocatam habeo. &c.

# Caput IV.

## *Aliud Exemplum Ethopœias per Narrationem factorum.*

*Exemplum alterum ex Cicerone.*

In eadem oratione pro Quintio Cicero eleganter pingit ingenium & mores Caij & Publij Quintiorum: Item Nevij. Illos describit simplices justos & patientes: Hunc fraudulentum. Ut sic verisimile fiat judicibus istos ab hoc deceptos esse. Continentur autem hæc in Narratione: 1. Ponitur propositio. 2. Notatio. Propositio est gemina. Prima pars est laus Caij Quintij cum Ironica correctione e. g. Cajus Quintius est prudens, nisi in una re quando cum Nevio societatem inijt.

Secunda pars vituperatio Nevij cum ironia & simulatâ μειώσει e. g. Nam hic Nevius est vir bonus, sed non ita institutus, ut nosset jura & officia.

Sequitur Notatio 1. pars à natura, fortunâ & arte: per ἄρσιν καὶ θέσιν e. g. Non quod ei ingenium desit: quia est facetus scurra: Sed quia pauperculus est, homo imperitus & loquaculus, ideo se contulit ad artes malas. 2. parte Quintius describitur humanus e. g. nihil lucri potuit ab ipso sperare Quintius: tamen propter familiaritatem eum socium sibi adjunxit rerum in Gallia comparatarum. 3. Pars describitur ingenium Nevij in hoc negotio vel societate à principio medio & fine: nempe avarum, plenum fraudibus & dolis, & iniquissimum.

In principio: Nevius in Galliam abiens, ſemper lucra domum ſuam ſevocabat: hic fuit admodum diligens. Nolo omnia commemorare. Probatur hoc tribus noëmatis: 1. locum non ingenium mutabat Nevius in Galliam profectus. 2. Semper ab adoleſcentulo quæſtum ſine impendio inſtituit: poſtquam ergò aliquid impendit, non potuit mediocri quæſtu contentus eſſe. 3. Vocem venalem habuerat: igitur ea quæ acquiſiverat voce voluit ſibi valde eſſe lucroſa.

Sequitur Medium. Moritur Cajus Quintius, cui Nevius ſuſpectus fuerat; quod non poſſet rationem reddere. Publius Quintius frater fit hæres. Erga hunc magnam ſimulat benevolentiam Nevius: Cum auctionari vellet Quintius æris alieni diſſolvendi cauſa. Ut ſic omnia huic crederet Quintius, quod putaret eum qui orationem bonorum imitaretur, facta quoq; imitaturum. Poſtea cum pecunia ſolvenda eſſet, negat Nevius, ſe aſſem ſoluturum eſſe, niſi prius ſibi de quibusdam, quæ fingebat, debitis ex ſocietate caveretur. Ut ſic in ipſo articulo hominem opprimeret.

Finis. Tandem in jus itum eſt, de vadimonijs actum. Sed dilata ſunt vadimonia donec tandem abeſſet Quintius in Gallia. Hic Nevius impetravit per iniquitatem Prætoris, ut damnareturQuintius, quod ſe judicio non ſtitiſſet. &c.

*Imitatio Ethopœias Ciceronianæ illius.*

Depingatur homo ebrius & ſobrius, 1. propoſitio. 2. Notatio ponentur. Ebrius appellabitur Cajus: ſobrius Titius. aliàs humaniſſimus vir, ſed in eo aliquantulum aſperior ſemper viſus eſt, quod Caij familiaritate minus delectaretur. 2. Vituperatio Caij. Nam hic ſane eſt vir bonus, ſed in eò infelicior, quod frequentiſſimâ ſiti vexatur. Notatio 1. pars à natura fortunâ & arte: per ἄρσιν καὶ θέσιν: non quod non poſſit ſuæ cupiditati imperare, nam patientiſſimè novit dolores ferre, quod nuper probavit, quando exhauſtis in, neſcio quo, tempeſtivo convivio multis trollis, tamen altero mane caput ſibi dolere pernegavit. Quid igitur eſt? cum ei natura præter garrulitatem nihil dediſſet, parentes autem nihil præter inopiam reliquiſſent: garrulitate ad artes adulatorias abuſus eſt, inopia autem coactus eſt, ut niſi ſtrenuè eſurire vellet, noctu & interdiu in tabernis cereviſiarijs

*Imitatio.*

*Titius.*

habitare & pocula, precariò ſorbere cogeretur.

2. Notatur Titius frugi & ſimplex: Quare quod ſocium tibi velles eum adjungere nihil erat: niſi ut ex tua pecunia comparares, unde perdendæ pecuniæ modum diſceres. Tamen ſeductus hujus blanditijs ac callidiſſimâ probitatis ſimulatione Titius, hominem in aliquam familiaritatis partem recepit. 3. Negocium aliquod ſingulare, in cujus principio medio & fine extremè imprudentem ſe geſſit Cajus. In principio e. g. Itaq; jam cum Titio quotidie morabatur Cajus: paulatim magis ac magis ad alia atq; alia nequitiæ & luxuriei exempla iſtum invitabat.

3. Noëmata. Nam morum mutationem ſimulaverat, non fecerat. 2. Et qui ab adoleſcentulo etiam apud peregrinos nequitiæ miniſter fuiſſet, poſteaquam neſcio quod familiaritatis jus apud Titium ſibi nactus eſſe videbatur, non mediocriter inſanire aut impudens eſſe voluit. 3. Nec mirum ſi is qui voluptatum miniſterijs aditum ſibi ad Titium paraverat: Hunc jam iſtis artibus quodammodo occupatum, iisdem retinendum ſibi eſſe putabat. Quia in re ita diligens erat, quaſi cui magnâ fide hoc officium gerendum eſſet.

Medium Cum menſes complures à Cajo Titius ad omnem luxum abduceretur: cumq; ejus rei ſuſpicio aliqua ad parentes delata eſſet: moritur tandem Titij parens: hæredem teſtamento reliquit omnium bonorum filium Titium: ut cui nomen familiæ ornandum committebatur: idem rerum agendarum nervis, ut vocant ſive ampliſſimâ hæreditate juvaretur. Quo mortuo domum rediturus erat Titius, ut ipſe rebus ſuis præeſſet: quod diceret negligentius illas à peregrinis adminiſtrandas fore. Verum Cajus ſtudioſiſſimè diſſuaſit ne ætatulam immaturis iſtis ſollicitudinibus maceraret, neve fraternam illam ſecum neceſſitudinem ita temerè deſereret &c.

## Caput V.

### *Ethopœia cum figurâ brevior.*

Ethopœiæ quæ per figuram fiunt, vel mutatâ orationis formâ uſitatâ quædam breviores ſunt, quædam longiores. Breviores qualis eſt illa pro Quintio: ubi orator hoc argumento utitur: Non potuit ho-

*Ethopœias figuratæ exemplum.*

neſte

neſtè Nevius petere ut ſibi liceret bona Quintij poſſidere: quia hic iſti cognatus fuit. Hoc argumentum illuſtrat per Ethopæiam: qua docet Nevium ita eſſe improbum, ut ipſi hoc argumentum vel omnis honeſtas nullius momenti eſſe videatur.

Partes quatuor fiunt hujus Ethopœias. 1. κατάςασις vel præparatio per ſubjectionem. Quid ad hæc Nevjus? ridet ſcil: noſtram amentiam, quod in vitâ ſuâ rationem ſummi officij deſideremus, & inſtituta bonorum virorum requiramus (& in hac ſubjectione dicitur ſumma vel exprimuntur mores Nevij oratione ſignificandi.)

2. Ipſa oratio Nevij: 1. ridet juſtitiam: Quid mihi inquit cũ iſtâ ſumma ſanctimoniâ ac diligentiâ? viderint iſta officia viri boni. 2. profitetur fraudem. De me autem ita conſiderent: Non quid habeam ſed quibus rebus invenerim, quærant: quemadmodum natus & quo pacto educatus ſim memini: vetus eſt de ſcurra, multò facilius divitem, quam patremfamilias fieri poſſe. *Falſa translatio quæ transfert culpam in neceßitatẽ.*

3. Pars correctio. Hæc ille ſi verbis non audet re quidem verâ palam loquitur.

4. Pars αἰτιολογία fictæ Ethopœias. Etenim ſi vult virorum bonorum inſtituto vivere multa oportet diſcat atq; dediſcat, quorum illi ætati utrumq; difficile eſt.

### *Imitatio hujus Ethopœias adverſus Epicuræos: quæ poteſt ſubÿci poſt adhortationem ad pietanem, e. g.*

Simus pij & revereamur Deum: quia certè non ita procul abeſt dies ille extremus omnium, in quo univerſæ vitæ cogitationumq; ratio exigetur. Vbi hoc argumentum multis propoſitum & explicatũ fuerit: poterimus tandem Ethopœiam ſubijcere, qua impietatem & impios in odium adducamus.

Partes erunt quatuor. 1. Pars κατάςασις vel præparatio per ſubiectionem: in qua ſumma notabitur ſequentis orationis. Sed quid ad hæc noſtri homines, qui in luſtris & ganeis degunt? aut avaritiæ & fœnerationi deditiſunt: aut alijs deniq; nequitiæ & impietatis ſordibus volutantur? rident ſcilicet noſtram amentiam qui eò rem perducturos nos perſuaſum habeamus, ut ex noſtra vel divini verbi poti-

us sententia ipsis vitæ rationem instituere necessum sit: eademq; se nobiscum ridicula meticulositate torqueri velimus.

2. Pars ipsa oratio. 1. (Contemnunt fidem de ultimo judicio.) Quid nobis, inquiunt, cum istâ diei vel Judicij extremi ebuccinatione? Viderint ista quibus aut considerandi otium, aut illa prædicandi officium est. 2. (Profitentur mundanum studium:) Nostra autem hæc potius sollicitudo sit non an cælum aliquando sit ruiturum, sed quo pacto dum cælum steterit, dumq; aliqua hujus lucis usura fuerit nobis concessa, commodè atq; ex sententia ætatulam nostram transigamus.

3. (Pars Translatio falsa in necessitatem.) Nos neminem qui ex ista vita altera, quam tam frequenter in ore habent prædicatores, reversus sit meminimus. Et vetus est, ignorari illud ipsum judicij extremi tempus. Quare cur non ignoramus potius quàm quotidiano illius metu vexamur? 3. Correctio. Hæc illi si verbis non audent, re quidem vera palam loquuntur.

4. αἰτιολογία fictæ orationis illius. Etenim si verè judicium extremum crederent, multa oporteret in vita mutare, quod ab ijs nullo modo fieri videmus,

## CAPUT VI.

### *Ethopœia cum personâ verâ.*

*Exemplum Ethopœias, cum personâ verâ ex Cicerone.*

Ethopœia prolixior aliquando sermonem attribuit veræ personæ, aliquando fictæ. Veræ personæ, exemplum est in oratione pro Milone. Ubi describitur Milo per Ethopœiam his 5. partibus: 1. secundum justitiam vel patriæ amorem. 2. Per affectum, dolorem scilicet. 3. Per Notationem: 4. Secundum prudentiam. 5. Secundum animi magnitudinem.

Præmittitur κατάστασις: me quidem, judices, exanimant & interimunt eæ voces Milonis quas assiduè audio, & quibus intersum quotidie. 1. (Pars justitia vel amor patriæ.) Valeant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet hæc urbs præclara mihiq; patria charissima quoquo modo de me merita erit: tranquillâ Rep. cives mei quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed tamen per me perfruantur: ego cedam, atq; abibo: si mihi Repub.

*communicatio.*

boná frui non licuerit, at carebo malá: & quam primum tetigero bene moratam ac liberam civitatem, in ea conquiescam.

2. pars dolor. ô frustra, inquit, mei suscepti labores! ô Spes fallaces! ô cogitationes inanes meæ! Ego cum tribunus plebis oppressa Repub. me Senatui dedissem, quem extinctum acceperam: equitibus Romanis quorum vires erant debiles: bonis viris qui omnem authoritatem Clodianis armis abjecerant, mihi unquam bonorum præsidium defuturum putarem? Ego cum te (mecum enim sæpissimè loquitur) patriæ reddidissem, mihi non futurum in patriâ putarem locum? Ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? Ubi equites Romani illi, illi inquit, tui? Ubi studia municipiorum? Ubi Italiæ voces? ubi deniq; tua Marce Tulli quæ plurimis fuit auxilio vox & defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari?

3. Pars Notatio personæ. Nec verò hæc, judices, ut ego nunc flens sed hoc eodem loquitur vultu quo videtis.

4. Pars prudentia. Negat se ingratis civibus fecisse quod fecerit: timidis & omnia circumspicientibus pericula non negat. Plebem & infimam multitudinem quæ P. Clodio duce vestris fortunis imminebant, eam quo tutior esset vita nostra se fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonijs deliniret. Nec timet cum plebem muneribus placarit, vos conciliarit meritis in Remp. singularibus &c.

5. Animi magnitudo. De me, inquit, semper populus Romanus, omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas: quin hoc tempore ipso, cum omnes à meis inimicis faces invidiæ meæ subijciantur, tamen omni in hominum cætu gratijs agendis & gratulationibus habendis & omni sermone celebramur. Omitto Hetruriæ festos dies, & actos & institutos: Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij: & opinor ultra quam fines imperij Romani sint, non solum fama jam de illo sed etiam lætitia peragravit. Quamobrem ubi corpus hoc sit, non inquit, laboro: quoniam omnibus in terris & jam versatur & semper habitabit nominis mei gloria. Hæc tu mecum his absentibus, sed ijsdem audientibus hæc ego tecum Milo &c. *His subijcitur clausula.*

Analysis hu jus exempli

## Caput VII.

*Eadem Ethopœia per παράφρασιν explicata demtâ figurâ.*

Cicero in ista Ethopœia hunc scopum habuit: scilicet ut per mores Milonis persuaderet populo, hunc dignum esse qui isto judicio absolvatur. Vis persuasionis hæc est: amans patriæ, calamitosus, prudens & magnificus, idemq; magni animi, certè est omni cõmiseratione dignus & juvandus: Talis est Milo: E. &c. Propositio major non ponitur sed relinquitur ipsis auditoribus supplenda. Loco propositionis minoris ponit orator istas notas & characteres: quibus obliquè hoc insinuat, talem scilicet fuisse Milonem: scilicet ex oratione & gestibus illius: quod citra invidiam oratiône directa affirmari non poterat.

Simplex oratio hæc fuisset. 1. Milo est amans patriæ. Quia etiamsi ingrati in ipsum existamus dum in exilium eijcimus, tamen benè nobis precatur: adeò nihil commovetur nostrâ injuriâ, ut à pristinâ in patriam pietate nusquam abeat. 2. Quanquam sane gravissimè nonnunquam perturbatur, quoties maxima sua erga Remp. erga senatum: in equites, in plebem, in meipsum merita memoriâ recolligit.

Quod nunquam arbitratus est futurum esse, ut ita ab omnibus nobis destitueretur. 3. Interim tamen forti animo hæc perferre novit. 4. Milo omne patrimonium suum absumsit muneribus in plebem: ut horum animos deliniret & à turbis avocaret.

5. Animi magnitudo. Unicum ergo superest, quod hominem consolatur: nempe posteritatis memoria.

Quippe cum etiam nunc vivus gratissimâ famâ omnibus terrarum partibus celebretur.

## Caput VIII.

*Præcepta inventionis duo.*

Præcepta inventionis in his exēp.

Primum: Cogitemus quos mores commodè possimus attribuere isti personæ, quam volumus introductam: scilicet qui maximè ad rem præsentem oportuni sunt: e. g. Cicero vult persuadere, ut Milo in

lo in civitate retineatur & absolvatur à judicio cædis Clodianæ. Fingit igitur Milonem patriæ & civium amantem: tum graviter perturbatum hoc imminentis exilij casu: sed magni animi virum constanter ferentem injurias, & optimè sibi conscium. Quia si talis verè creditus fuerit Milo omninò retinendum & non eijciendum censebit, quisquis credet.

Secundum. Eos mores vel affectus ita exprimemus, si cogitemus regulas vel γνώμας universales, quibus describitur officium & partes vel natura istorum morum & affectuum: & illas regulas in particulari hujus personæ orationi accommodemus, vel observari à personà introductà monstremus e. g. De viro justo, quatenus patriam amat hæc est Regula: Vir bonus & patriæ amans, etiamsi injurià affectus sit ab eadem, tamen huic bene cupit. Hanc regulam accommodat Cicero orationi Milonis, in quo ista virtus vel justitia erat describenda: scilicet dum affingit Miloni verba, quibus bene cupit & precatur patriæ injurià ab eadem affectus. Ut sic auditor ex hac oratione intelligat, Milonem justum esse. *Exempla quatuor.*

*2. Exemplum.*

De viro forti injurià affecto Regula est, vel universalis experientia, scilicet viri fortes & benemeriti de alijs, ingratitudine horum valde perturbantur: cogitant sua merita & conferunt cum his quæ passi sunt. Secundum hanc Regulam describit Cicero Milonem fortem virum, sed injurià affectum & propterea dolentem. Itaq; affingit illi verba mentis perturbatæ, præterea cogitantis merita sua.

*3. Exemplum.*

De viro potente & magnifico regula est, quod noverit populum tanquam beluam regere, & miros modos excogitare compescendi istorum tumultus. Verum eà in re nullis parcat suis privatis opibus. Cicero descripturus Milonem talem, affingit hujusmodi orationem, in qua, fecisse se illa commemorat.

*4. Exemplum.*

De animi magnitudine Regula est; Animus magnus, nihil nisi unam virtutem & gloriam admiratur, reliqua omnia nihili facit, &

horum jacturam facilimè compensat istius saltem cogitatione. Cicero igitur descripturus Milonem virum animi magni: introducit gratulantem sibi de conscientia & gloria.

# Caput IX.

*Imitatio ex empli illius Ciceroniani*

## *Imitatio.*

Absolon describitur per Ethopœiam à Ioabo deprecante apud patrem, ut ille reducator ab exilio.

Ratio universalis inventionis. Describendus est Absolon ijs moribus & affectibus, quibus pater ad benevolentiam & gratiam erga filium reconcilietur, & commoveatur ad misericordiam, ut sic filium reductum velit.

Hi mores poterunt esse 1. pietas & benevolentia erga parentem in præsenti facto declarata. 2. Dolor ex præsenti calamitate. 3. Prudentia superioris vitæ. 4. Pietas in Deum super præsenti facto.

*1. p. Pietas.*

Equidem lacrymas continere nequeo, quoties recordor ejus sermonis, quem nupero tempore mecum habebat Absolon quando proximè ex Gerar ab illo discedebam (Hic regula est vel γνώμη Pij filij est à parente puniti graviorem sentire offensionem patris, quam ipsam pænam. Hanc regulam sic accommodare poterimus ad orationem Absolonis, e, g.) Vtinam, inquit, utinam mihi miserrimo in mentem venire potuisset, patrem meum charissimum istis insidijs peti, patrem istis armis circumveniri, patrem ista cæde percuti, quæ in fratrem parabantur: quoniam ita patri luctum acerbissimum creaturus eram, qui ipsi quidem omni morte violentior, mihi autem omni hoc exilio aut aliâ calamitate gravior accidit: quoniam ejus à quo ipse vitam acceperam, à quo diligi me videbam, ejus inquam vitam ita afflicturus eram, ut & vitæ meæ, & susceptæ erga me paternæ charitatis pænitere jure me meritoq; deberet.

*2. p. dolor.*

Regula dolentes de admisso facinore, damnant suam stultitiam: & hic demum vident quantò rectius agere potuissent. Hoc sic exprimet Joabus e. g. ô me infelicem, inquit, qui ad istas miserias natus sum, ô facinus meum pudendum, ô stolidam & importunam iracundiam. Ego cum jam ætate sapere didicissem, quam jam grandiusculam nactus eram: cum alijs jam consulere debuissem, quod mihi pater

ter regnum propediem committendum promitteret: cum fratris erratum tam graviter ulciſcendum putarem, qui infirmitate humanâ victus fuerat: Egone inquam, adeo graviter ipſe delinquere in fratrem & parentem potui? ego cum id operam ſemper dederim, ut patri, à quo præ fratribus omnium maxima beneficia expectabam, etiam omnium filiorum chariſſimus eſſem: unquam metuere potuiſſem eò rem meâ ſtoliditate perventuram eſſe, ut apud eundem parentem in odio forem peſſimo? Quis me ſtolidior, qui tamen viſus mihi ſum ſic ſatis prudens? quis me ad alios regendos ineptior cum in me ipſo regendo adeò parum potuerim? quis me iniquior, qui in fratris lapſu tam turpiſſimè ſævij? quis me indignior, qui, non dico à parente tali, tam vehementi amore comprehendar, quo me ille, ille, inquam, meus olim complexus eſt, ſed qui omninò eum parentem habeam, erga quem tam ſceleratè ingratus extiterim. Notatio vel proſopographia in geſtu. Neq; verò hæc, ut ego nunc, ſiccis oculis loquebatur: ſed uberrimâ lacrymarum copiâ fluentibus.

3. Prudentia ſuperioris vitæ per μετασχηματισμὸν i. e. mutationem figuræ. Regula: Prudentis hominis & maximè principis eſt ita ſe gerere: ut ab omnibus amore comprehendatur: Negabat enim, negabat ſe omnino dignum, non tantum qui regnet, ſed qui vivat etiam: verum olim ante hunc infeliciſſimum caſum ita ſe comparaſſe ut & vita & regno digniſſimus eſſe videretur non negabat.

Patrem acerrimum in mores filiorum cenſorem ſtuduiſſe ſe ait, ut non tantum nunquam offenderit, ſed optimè ſibi faventem paraverit: de populo & multitudine præterea nihil dubitabat, ne non quod iſtorum patris de ſe judiciorum nemo non conſcius eſſet, horum etiam voluntates ſibi adjunxerit. Procerum quidem regni erga ſe obſervantiam non eſſe obſcuram: plebis verò eos ſibi animos ſemper fuiſſe perſpectos erga ſe, ut patre excepto neminem alium quam Abſolonem ſibi imperare maluerint. Addebat enim hæc, quæ certe veriſſima ſunt, non eſſe aptos eos imperio, qui rationem conciliandi ſibi ſubditorum animos nullam noverint: neq; eorum videri poſſe diuturnam poteſtatem, quam non ſumma populi voluntate initio conſecuti ſint &c.

4. Pars pietas in Deum vel pænitentia. Regula: pius homo admiſſo aliquo delicto ita acerbiſſimè fert, peccatum ſuum, ut omnes

alias aliarum rerum jacturas præ Dei deperdita gratia nihili faciat: Sed
tamen superius actam vitam prudenter institutam fuisse, tantum abe-
rat ut laudi suæ alicui duceret Absolon, ut etiam graviorem inde do-
lorem conciperet, quod ea divinitus sibi concessâ prudentiâ non usus
fuisset, ad tantum scelus præcavendum. Meum, inquit, animum me-
moria istius funesti facinoris perpetuo exedens, nulla unquã oblivione
conquiescere à sceleratâ ista recordatione patietur. Quin hoc ipso
tempore, cum mei reducendi, cum patre deinde etiam cum Deo re-
conciliandi spes à te facta est, tamen cogitatione paterni vultus, & sa-
crarum ararum, religiosissimi templi, quæ à me nequissimo homine
adeunda sunt, vehementer perturbor. Annus jam est, ab illo prodi-
torio convivio, & opinor amplius. Et tamen, quò inveterascit magis
hic doloris in animo meo cruciatus, tantò majores & vehementiores
vires sumit. Quamobrem quid de honorum meorum & dignitatis
reparatione vel restitutione fiat, non, inquit, laboro: quoniam de il-
la animæ meæ cum Deo reconciliatione potissimum sollicitum me
habeo.

Conclusio. Hæc ille mecum, te absente, ò rex serenissime, & qui-
dem ijsdem, nisi quod pluribus verbis &c.

## CAPUT X.

### *Quid Josephus in carcere cogitaverit.*

*Aliud exemplum de Josepho in carcere.*

Aphthonius jubet in inventione respiciendum esse ad tria tempo-
ra: præsens, præteritum, & futurum. h. e. fortunam & infortunia,
omnemq; vitæ conditionem considerandam esse secundum hanc tem-
poris differentiam. Cum quo præcepto si conjungantur superiora,
expeditior erit inventio: scil: ut in istis temporum fortunis quasi in
tabula, oratione afficta tanquam coloribus, vera ac viva morum & affe-
ctuum imago exprimatur. Sit exemplum oratio Josephi in carcerem
conclusi, qui conquereretur fortunas suas ex recordatione superioris vi-
tæ primo: deinde ex cogitatione præsentis miseriei: & demum ex
metu ac spe futuri eventus: Scopus orationis esse poterit, ut ad mise-
ricordiam commoveat eos, ad quos querela ista relata fuerit. Quare
& mores exprimendi huic scopo convenientes 1. ergo dolor exprimé-
dus erit per recordationem insignis mutationis. 2. Pietas qua in ho-

norem Dei patienter omnia ista ferre promittit. 3. Prudentia: qua accuratè de causis judicat. 4. Mansuetudo qua hostibus suis ignoscit. 5. Fortitudo, qua summa confidentia lætum & salutarem eventum expectat.

Dubium non est quin miser ille Josephus, cum in carcere detineretur præ doloris magnitudine vix senserit ubinam, & quis esset. Postquam autem ad se redijt quid aliud quam hoc cogitare potuit? 1. Pars dolor. Regula: Qui ex fortuna aliqua & conditione lautiori in infortunia recidunt, jam tunc bona sua quæ possederint, agnoscunt & ex eorum cogitatione vehementius affliguntur. O me infelicem, qui unquam homo natus sum! quippe cum ad tantas miserias perferendas natus sim: ô infelices parentes meos, qui tam jucundo mei amore perfruebantur! cum nunc ex mei amissione eò majori vexentur dolore. Quid prodest, quod locupletissimum parentem habeam, cum mihi extrema paupertas sentienda sit? quod delicatissimè educatus sim, cum nunc crudelissimè habear? quod tanta sit fratrum & familiæ meæ turba, cum horum potissimum perfidia in hanc calamitatem devolutus sim? ô dulcissima patria mea, Canaanis terra, majoribus nostris divinitus promissa! dolebone ita mihi tui usum ereptum esse? an potius gaudebo, etiam me indignum in te hujus lucis usuram accepisse? &c.

*κατάςασις.*

*Cogitatio præteriti temporis.*

Non satis fuit hoc calamitatis, ut à fratribus è charissimi parentis complexu avellerer, pro mancipio venderer, nisi hæc squalidissimi carceris calamitas accesisset? Quæ enim poterit esse gravior pæna, quam ita me ex vivis ad mortuos, ab hominum conspectu ad hanc murium & viperarum societatem: à lucis & solis intuitu ad has densissimas tenebras relegari? Idq; nullo merito meo: imò per calumniam pestilentissimam, omnibusq; his intolerandis malis longè graviorem.

*Cogitatio rei præsentis.*

Et quis scit an non heri mei animus ab uxore ita exasperetur ut pro scelerato ad nefanda supplicia abripiar? II. pars, pietas. Regula, Deo debent pij eam obedientiam, ut quicquid ex divina illius manu obtigerit summâ animi lenitate sufferamus. III. Pars, prudentia. Regula: pij rectè noverunt judicare & prudenter de causis calamitatum 1. efficiente: scilicet directorem esse Deum: & non licere Diabolo ac mundo pro libitu in nos grassari 2. causa finalis est exploratio fidei nostræ

*Cogitatio rerum futurarum.*

& pa-

& patientiæ: item regeneratio in hac & futura vita. IV. Pars, Fortitudo siue constantia fiduciæ. Regula: pij sunt eâ fiduciâ in Deum, ut de saluberrimo eventu calamitatum suarum nihil dubitent, sciant in Dei manu omnia esse posita, hujus esse cælum & terram, & omnem gloriam eorũ: & hunc distribuere ista pro voluntate benignâ suâ &c.

# PROGYMNASMA DUodecimum: Descriptio.

## ΟΡΟΣ ΕΚΦΡΑΣΕΩΣ.

Ἔκφρασίς ἐστι λόγος περιηγηματικός, ὑπ' ὄψιν ἄγων ἐναργῶς τὸ δηλούμενον. ἐκφραστέον δὲ πρόσωπά τε καὶ πράγματα, καιρούς τε καὶ τόπους, ἄλογα ζῷα, καὶ πρὸς τούτοις φυτά. Πρόσωπα μὲν, ὥσπερ ὅμηρος ἐν τῇ ὀδυσσείᾳ πρὸς τὸν εὐρυβάτην: γυρὸς ἐν ὤμοισι μελάγχροος οὐλοκάρηνος. Πράγματα δέ, ὡς ναυμαχίας, καὶ πεζομαχίας, ὥσπερ ὁ συγγραφεύς. Καιροὺς δέ, ὡς ἔαρ, καὶ θέρος, φράζων ὁπόσα παρ' αὐτὰ τῶν ἀνθέων προέρχεται. Τόπους δέ, ὡς αὐτὸς ὁ θουκυδίδης τὸν λιμένα τῶν θεσπρωτῶν εἶπε χειμέριον, καθάπερ ἔχει σχήματος. Ἐκφράζοντας δὲ δεῖ πρόσωπα μὲν ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπὶ τὰ τελευταῖα ἰέναι, τουτέστιν ἀπὸ κεφαλῆς ἐπὶ πόδας. Πράγματα δὲ ἀπὸ τῶν πρὸ αὐτῶν τε, καὶ ἐν αὐτοῖς, καὶ ὅσα ἐκ τούτων ἐκβαίνειν φιλεῖ. Καιροὺς δὲ καὶ τόπους, ἐκ τῶν περιεχόντων. τῶν δὲ ἐκφράσεων αἱ μέν εἰσιν ἁπλαῖ, αἱ δὲ συνεζευγμέναι. Καὶ ἁπλαῖ μὲν, ὡς αἱ πεζομαχίας ἢ ναυμαχίας διεξερχόμεναι. Συνεζευγμέναι δέ, ὡς αἱ πράγματα καὶ καιροὺς ἅμα συνάπτουσαι, ὥσπερ ὁ θουκυδίδης τὴν ἐν σικελίᾳ νυκτομαχίαν ἐκφράζει. Μετὰ γὰρ τῆς μάχης ὅπως ἐπράττετο, καὶ νυκτὸς ὅπως εἶχεν ὡρίσατο. ἐκφράζοντας δὲ δεῖ τόν τε χαρακτῆρα ἀνειμένον ἐκφέρειν, καὶ διαφόροις ποικίλλειν τοῖς σχήμασι, καὶ ὅλως ἀπομιμεῖσθαι τὰ ἐκφραζόμενα πράγματα.

*Verba authoris.*

Descriptio est Oratio circumducta ipsis penè oculis rem descriptam subijciens. Describi autem possunt personæ, negotia, tempora, bestiæ, & demum stirpes. Personæ: Quemadmodum Homerus in Odyssea Euribatem describit: incurvis humeris ater crispoq; capillo. Res, ut prælia mari aut terrâ commissa, quæ ab Historicis solent describi. Tempora. E. g. Si quis veris aut Æstatis amœnitatem exponat, ut flores horum temporum quasi picti in oratione perspiciantur. Loca, quemadmodum Thucydides hortum Thesprotarum Chimerium Oratione descriptum exhibuit. *Definitio subjectum.*

In Personis describendis animum referre oportet & pertendere â primis ad ultima, â capite ad pedes. In negotiorum autem descriptione incipiendum est ab antecedentibus, progrediendum ad media, & tandem ad ipsos Eventus veniendum.

Loca & Tempora repræsentantur, descriptis rebus quæ istis continentur.

Sunt autem aliæ simplices, aliæ compositæ. Simplices, ut si tantum prælium describas sive nâvale, sive terrestre. *Descriptiones.*

Compositæ, ut si fortè præter negotium etiam tempus operosè exprimas. Quod fecit Thucydides, quando describit prælium nocturnum in Sicilia. Præter rem gestam enim etiam nocturnum tempus artificiosè descriptum exhibuit.

Oportet autem describentes oratione uti liberâ vel solutâ: varietate tamen figurarum eam condire, & omninò se accommodare ad naturam rerum describendarum.

# PROGYMNASMA XII.
## DESCRIPTIO.

De hoc progymnasmate quinq; docet author.

1. Definitionem.
2. Subjectum, vel finem ꙍ̃, vel quæ res descriptione illustrentur.
3. Locos vel unde in descriptione sumi potest materies.
4. Species.
5. Elocutionem.

### De Primo.

*Definitio.* Ἐκφρασίς ἐστι λόγος περιηγηματικὸς ὑπ' ὄψιν ἄγων ἐναργῶς τὸ δηλούμενον. i. e. Deſcriptio eſt oratio circumducta ipſis penè oculis rem deſcriptam conſpiciendam exhibens. *Genus.* Genus eſt oratio circũducta i. e. prolixe per ambages, partes & circumſtantias exponens ſuum ſubjectum vel rem quam deſcribit, Quod genus videtur habere hoc Progymnaſma cum Narratione, item cum Laudatione & Vituperatione commune: quæ item ſunt talis oratio circumducta, vel per circumſtantias & partes, declarans rem vel ſubjectum. *Differentia.* Differentia ſumta eſt à fine 8, ſive à rebus quæ deſcribendi ſubjecti cauſa afferuntur. Hæ ſunt, partes & circumſtantiæ ſubjecti tales, quæ ſubjectum ipſis pene oculis faciunt conſpicuum i. e. quæ in oculos & ſenſus incurrunt, atq; in oratione compræhenſæ atq; expreſſæ, ita perſpicuè rem declarant atq; exponunt; ut quodammodo antè oculos picta videatur, & auditor ex ſenſu communi non audire tantum, ſed quodammodo coram tueri ſe rem deſcriptam judicet, e. g. ſi deſcribam perſonam aliquam à forma & veſtitu, ut Zoilum Martialis: Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus.

Vel ſi deſcribam prælium à partibus iſtis quæ in oculos incurrunt & ſenſum: vel áfferam clamorem clangoremq; tubarum auditum, equorum fremitum, fumum & pulverem conſpectum è concurſu & bombardis, proſtrata corpora, equos fugientes deiectis equitibus. Hæc differentia diſtinguit deſcriptionem à Narratione, quia in Narratione non has partes tantum, quæ oculos & ſenſum incurrant, & rem q. depingunt, perſequimur, ſed quaslibet alias, ut originem, naturam &c. Et in prælio deſcribendo narro qui Duces affuerint, quæ cauſa belli, quot milites, quanta equitum vis, quantus peditum numerus &c. Niſi quatenus deſcriptio ornatus cauſa cum narratione conjungitur. Quibusdam enim circumſtantijs licet adhibere deſcriptionem, quod ſupra docuimus in Narratione. Item diſtinguit hæc differentia deſcriptionem à laudatione & vituperatione: quia illius deſcriptionis hic finis eſt, ut res perſpicue exponatur: At laudatio & vituperatio exponit vel deſcribit ut laudem vel vituperationem inde concludat: Alioquin, re ſcilicet perſpicua, non exprimit partes illas: præterea non has tantum perſequitur ſed quaslibet, ſicut & Narratio.

### De Secundo Subjecto.

Subjectum vel finis ꝙ sunt res quibus inservit vel adhibetur descriptio. Hæ quales sint author inductione ostendit. *Subjectum: vel res describendæ.*

I. Personæ sic possunt describi ut Zoilus à Martiale descriptus est. Et Mezentius 10. Æneid.

At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medij per maxima Nerei
Stagna viam scindens humero supereminet undas:
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturq; solo &caput inter nubila condit.
Talis se vastis infert Mezentius armis &c.
ET Polyphemus 3. Æneid. describitur.
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe,ingens, cui lumen ademptum.
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat:
Lanigeræ comitantur oves: ea sola voluptas,
Solamenq; mal:i de collo fistula pendet &c.
Sic Silenus describitur 6. Eclog.

II. Res i. e. negotia vel actiones humanæ.
III. Tempora, ut Ver, æstas, dies, nox.
IV. Loca.
V. Animalia & stirpes. In genere subjectum descriptionis sunt omnes res practicæ, quæ hujusmodi partes habēt in oculos & sensum incurrentes, ut sic oratione ijsdem sensibus subijci possint. Practicæ res i. e. quæ in actionem cadunt, vel tanquam objecta, vel tanquam partes, vel tanquam instrumenta aut causæ, aut aliæ circumstantiæ vel accidentia. Quia de talibus practicis rebus instituitur omnis oratio oratoria. Quod autem partes illæ requirantur in oculos incurrentes: probatur: quia descriptio est talis oratio, partes hujusmodi describens, quæ igitur res habuerint ejusmodi partes poterint sic describi. Unde non tantum illæ enumeratæ res ab authore sunt subjectum descriptionis, sed etiam aliæ e. g. Substantiæ quælibet naturales etiam

fulgura, imbres, venti &c. Item qualitates, ut frigora, æſtus.

Ut plurimum autem in actionibus deſcribendis occupantur authores. Poetæ artificioſi ſunt & prolixi in deſcribendo res ſuas fictas: Ut Deos, Deorum conſilia: Solis equos: Item perſonas iſtas fictas, famam, Harpyjas, ſirenes &c.

*De Tertio vel de Locis.*

*Loci.* Locos appello titulos vel indices, vel generales terminos quosdam, è quibus invenitur materies deſcriptionis vel prædicata, ſive res quibus ſubjectum deſcribitur. Locos enumerat author noſter ſingulis rerũ deſcribendarũ generibus proprios. Sic tria ſunt genera locorũ. *1. perſonarum.* Primum genus, Loci perſonarum, quibus ſcilicet indicatur ratio excogitandi materiam vel res quibus perſonam aliquam deſcribas.

*Locus 1.* Hi ſunt omnia in homine, â primis ad ultima, â capite ad pedes i. e. partes hominis quæ quidem in ſenſus incurrunt. Hæ debent cogitari, ſic ſuppeditabunt materiam deſcriptionis. Harum. n. figura & forma eſt afferenda in deſcriptione vel omnium vel plurimarum.

2. II. Item veſtitus, & alia iſtis partibus accidentia poſſunt in deſcriptionem afferri, ut Polyphemo de collo fiſtula pendet: Lanigeræ comitantur oves: Trunca manum pinus regit. Sileno. 6. Eclog.

Serta procul tantum capiti dilapſa jacebant
Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.

2. Georg. Omnia ſecum Armentarius Afer agit tectumq; laremq;
Armaq;, Amyclæumq, canem, Creſſamq; pharetram.

3. III. Per hyperbolem aliquid affingitur, & deſcribitur facultas aliqua, e. g. Camillæ celeritas vel facultas currendi.

7. Æne. Jlla vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

4. IV. Aliquandò ex ſingularibus actibus deſcribitur facultas, ut peritia exercitiorum militarium ejuſdem Camillæ.

11. Æne. Tela manu jam tum tenerâ puerilia torſit,
Et fundam tereti circum caput egit habena,

Strymoniamq; gruem, aut album deiecit olorem.

V. Ex judicijs hominum aliorum fiunt descriptiones 7. Æneid. de eadem. 5.

Jllam omnis tectis, agrisq; effusa juventus
Turbaq; miratur matrum, & prospectat euntem,
Attonitis inhians animis, &c.

VI. Ex similitudine, quia similia valde declarant rem. 4. Æneid: ubi describitur fuga Trojanorum, vel migratio è Didonis urbe, subijcitur similitudo: 6.

Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, hyemis memores, tectoq; reponunt:
It nigrum campis agmen prædamq, per herbas
Convectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixæ, frumenta humeris, pars agmina cogunt:
Castigantq, moras: &c.
9. Æneid. Describitur Euryalus interfectus: viribus ensis adactus
Transadigit costas & candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus letho; pulchrosq; per artus
It cruor, inq; humeros cervix collapsa recumbit:
Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens: lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

Alterum genus locorum, Loci rerum ex quibus invenitur materies, unde res sive negotia humana describantur. *Loci rerum*

Hi loci sunt partes tres actionum τὰ πρῶτα πραγμάτων i. e. antecedentia. τὰ ἐν αὐτοῖς i. e. media vel præsentia vel ipsum principale negotium. τὰ ἐκ τούτων συμβαίνοντα i. e. consequentia vel eventus. Hæ partes diligenter sunt cogitandæ, in has distribuendum negotium, & ex his deligendæ quæ in sensus incurrunt, & hinc conficienda est descriptio. e. g. Si prælium describendum: Cogitanda primum sunt antecedentia quomodo altera pars læsa sit, altera conventu publico habito consultaverit de vindicta.

Deinde MEDIA sive quomodo utrinq; eductus exercitus, &

nimis pulchris armis prǽditus, quomodo concursum sit, reboante cælo, fracta tela, viri strati &c.

Demum consequentia, quomodo hostis impetu forti peditum aut equitum facto, primum loco pulsus, deinde in fugam conversus sit, postero die missi sunt legati qui pacem peterent velatis manibus. Quibus ritibus pax sit confirmata.

*Loci temporum & locorum.*

Tertium genus locorum, quibus tempora & loca describantur Hic locus unus est τὰ περιέχοντα res contentæ, quarum aliæ sunt veræ partes temporum & locorum, aliæ accidunt: Et hæ quidem aliæ accidunt naturaliter aliæ civiliter, aliæ per fatum. Videatur suprà Progym: secundum.

De brutis & stirpibus describendis non dat locos author, sed & hic & alias universaliter observari poterit, ut partes cujusq; rei, Item quæ cuiq; rei adsunt vel insunt vel conjuncta sunt, ut hæc omnia inquam minutim dividantur, & singula describantur vel afferantur in discriptionem rei, quatenus & quomodo in sensus incurrunt.

### *De quarto videlicet speciebus.*

*Species.*

Species duæ: Prima simplex descriptio, quando saltem una res describitur, ut persona vel actio aliqua, vel locus aliquis unus vel tẽpus. Altera species est composita Descriptio quando res plures simul describuntur. Ut 4. Æneid. in venatione Didonis primo aurora describitur: Deinde apparatus: Tertio Regina & ministri. Quarto Equus. Item 9. Æneid. describitur classis Æneæ.

### *De Quinto.*

*Elocutio.*

Character, inquit, author debet esse solutus i. e. elocutio debet esse libera. Quid autem sit libera vel soluta elocutio, supra in proximo progymnasm: membro 3. diximus.

### *Exercitium.*

Describatur exercitij causa Rusticus. 2. Miles. 3. Adolescens vestitu ineptiens. 4. Anus. 5. Virgo &c. Et omnino omnium ordinum homines. 1. A corporis habitu. 2. A vestitu & reliquis. Item exerceri debemus in describendis per partes omnis generis negotijs humanis,

prælio, venatione, conventibus, consilijs ac deliberationibus. &c. Videatur secundum progym: secunda circumstantia. Colligere debent adolescentes ex poetis, historicis & alijs authoribus varias descriptiones locorum, temporum, operum naturalium & artificialium.



## ΟΡΟΣ ΘΕΣΕΩΣ.

Θέσις ἐστὶν, ἐπίσκεψις λογικὴ θεωρουμένου τινὸς πράγματος. Τῶν δὲ θέσεων, αἱ μὲν εἰσι πολιτικαὶ, αἱ δὲ θεωρητικαί. καὶ πολιτικαὶ μὲν, αἱ πρᾶξιν ἔχουσαι πόλιν συνέχουσαν, οἷον, εἰ γαμητέον, εἰ πλευστέον, εἰ τειχιστέον. Ταῦτα γὰρ πάντα πόλιν συνέχει γινόμενα. Θεωρητικαὶ δὲ, αἱ μόνῳ τῷ νῷ θεωρούμεναι. οἷον, εἰ σφαιροειδὴς ὁ οὐρανὸς, εἰ κόσμοι πολλοὶ, ταῦτα δὲ εἰς πεῖραν μὲν ἀνθρώποις οὐκ ἔρχεται, μόνῳ δὲ θεωρεῖται τῷ νῷ. Διενήνοχε δὲ θέσις ὑποθέσεως, τῷ τὴν μὲν ὑπόθεσιν ἔχειν περίστασιν: τὴν δὲ θέσιν, ἀπερίστατον εἶναι. Περίστασις δέ ἐστιν, πρόσωπον, πρᾶγμα, αἰτία καὶ τὰ λοιπά. Οἷον τὸ μὲν, εἰ τειχιστέον, ἐπίσκεψις οὐκ ἔχουσα πρόσωπον; τὸ δὲ ἐπιόντων περσῶν, Λακεδαιμόνιοι βουλεύονται τειχίσαι τὴν σπάρτην, ὑπόθεσις. Πρόσωπον γὰρ ἔχει Λακεδαιμονίους σκοποῦντας: πρᾶγμα δὲ τὸ τειχισθῆναι τὴν σπάρτην: αἰτίαν δὲ, ἐπιόντας τοὺς πέρσας. Πρῶτον δὲ ἡ θέσις ἐν προγυμνάσμασιν, ἀντίθεσιν καὶ λύσιν, κατὰ ζήτημα δέχεται. Διαιρεῖται τοίνυν ἡ θέσις πρῶτον μὲν τῇ καλουμένῃ ἐφόδῳ ἣν ἀντὶ προοιμίων ἐρεῖς, εἶτα χρήσῃ τοῖς τελικοῖς κεφαλαίοις, νομίμῳ, δικαίῳ, συμφέροντι, δυνατῷ.

## VERBA AUTHORIS.

Thesis est consideratio oratione exposita: h. e. Deliberatio de negotio aliquo per mentem cognoscibili. Aliæ autem Theses sunt politicæ, aliæ Theoreticæ. Politicæ Theses appellantur quæ instituuntur de actione aliqua ad Politicam vel vitam civilem pertinente. E. g. Sintnè matrimonia celebranda? An navigatione sit utendum? An urbs aliqua mœnibus sit munienda? Hæc enim pertinent ad vitã politicam

ticam & salutem Reipublicæ. Theoreticæ autem Theses appellantur, quæ solius speculationis causâ proponuntur. E. G. An sit cœli figura sphærica? an sint plures mundi? Hæc sub humanum exercitium non cadunt; sed tantum mentis speculatione absolvuntur. Inter Thesin & Hypothesin hoc est discriminis: Hypothesis certis conclusa est circumstantijs: Thesis autem extra singulares circumstantias vagatur. Circumstantiam autem vocamus. e. g. Personam, negotium, causam &c. Theseos igitur erit Exemplum. e. g. Sint nè extruenda mœnia? Quia in hac deliberatione non habetur ratio ullius personæ. Sin verò quæras: An Lacedæmonij urbem suam munire debeant adversus impetum Persarum: Hic adsunt certæ personæ deliberantes, nempè Lacedæmonij: Est singulare negotium, nempè istius Spartanæ urbis munitio. Demum est singularis causa, nempe impetus Persarum prohibendus. Hoc autem Progymnasma primum est, quod admittit in contentione objectionem & solutionem. Ità autem destribuitur: ut primum ponatur introitus, h. e. exordium. Deinde subjungantur capita illa usitata: Legitimum, Iustum, Utile facile &c.

# PROGYMNASMA XIII. ΘΕΣΙΣ.

De hoc progymnasmate 3. docet author,

I. Quid sit vel definitionem.
II. Distinctiones duas.
III. Tractationem sive partes.

## *De Primo.*

*Definitio.* Θέσις ἐστὶν ἐπίσκεψις λογικὴ θεωρουμένου τινὸς πράγματος i. e. θέσις est consideratio oratione exposita h. e. deliberatio, negotij alicujus per mentem cognoscibilis.

*Genus.* Genus est consideratio oratione exposita vel deliberatio. Est autem deliberatio ζήτησις vel inquisitio quædam, sitne res aliqua agenda vel non. Hujus finis & conclusio est electio: electione enim habita & certa sententia conclusa, finem habet deliberatio. Et electionis

onis vel certum quid constituendi causa instituitur omnis deliberatio. Talis igitur inquisitio vel consideratio est θέσις h. e, deliberatio. Jam vel nobiscum soli deliberamus: vel alijs consilium damus quod fit oratione qua exponitur mens nostra, & rationes probandi. e. g. In suasione & dissuasione, adhortatione & dehortatione, petitione &c. deliberamus cum alijs. Hujus generis deliberatio est θέσις scilicet oratione exposita, vel ad alium, sive alios instituta vel consultatio consilium &c.

*Differentia generica.*

Differentia specifica est πρᾶγμα θεωρούμενον, scilicet objectum vel res in θέσει vel deliberatione hac tractanda. Hæc est πρᾶγμα vel negotium, sive res in actionem cadens, quæ à nobis agi potest. Quod est objectum proprium deliberationis. Quia non deliberamus nisi de actionibus vel rebus quæ à nobis possunt agi, Non de cœlo aut sole aut alijs rebus naturalibus. Deinde vox θεωρούμενον, restringit objectum generale. Quoniam non omnis deliberatio de actionibus vel negotijs, est θέσις, sed res illa deliberata sit θεωρουμένη, efficitur θέσις. Θεωρουμένη autem i. e. mente cognoscibilis h. e. universalis, quia universalia sunt, quæ mente cognoscuntur. Singularum cognitio penes sensus est, si igitur res per deliberationem considerata, vel subjectum quæstionis fuerit universale, erit θέσις, e. g. An sit ducenda uxor; An fures sint suspendio puniendi; An Monarchia sit præ reliquis formis Reipubl: expetenda. Sin non fuerit universale, sed singulare aliud genus deliberationis erit non θέσις. e. g. Num Antonius ducere debuerit uxorem Cleopatram. Et Salomon filiam regis Ægyptij. &c.

*Differentia specifica.*

## *De Secundo.*

Distinctionibus scilicet duabus. Distinctio prima est homonymiæ: Aliæ Theses inquit author sunt Politicæ, aliæ theoreticæ i. e. dupliciter usurpatur hæc vox thesis. Aliquando dicitur de quæstionibus politicis sive practicis: sicRhetores usurpant & appellant thesin deliberationem vel quæstionem hujusmodi ad deliberandum vel consultandum propositam super re aliqua universali politica seu practica. Aliquando autem thesis dicitur de quæstione speculationis vel exercitationis vel collocutionis philosophicæ causa proposita: quales sunt quæstiones de cœlo, quâ figurâ sit cœlum, An sint plures mundi, & de

*Distinctio 1*

alijs similibus rebus naturalibus, quæ εἰς πεῖραν ἀνθρώποις οὐκ ἔρχεται i. e. quæ non cadunt sub exercitium humanum h. e. non fiunt ab hominibus; Imo de rebus non tantum naturalibus sed reliquis etiam de quibus quærere solent Philosophi. In hac posteriori significatione notus est hujus vocabuli usus in scholis, jã ab Aristotelis usq; ætate qui 1. Top. c. 9. notat thesin proprie philosophis dici sententiam vel propositionem nobilis cujusq; philosophi a communibus opinionibus abhorrentem. Postea generaliter usurpari cœptam vocem, pro quolibet problemate vel quæstione ad disputandum & philosophandum proposita. In prima autem significatione thesin pro tempore accipimus, quia hæc progymnasmata oratoriæ initia sunt, itaq; cum oratoribus loquendum nobis nunc est. Altera distinctio indicat discrimen inter thesin & speciem alteram deliberationis vel consultationis oratoriæ hypothesin. Omnis enim deliberatio fit vel in Thesi vel in hypothesi. Differunt autem quantitate subjecti. Thesis est deliberatio de quæstione universali, est ἀπερίστατος i. e. caret circumstantijs, ut an bellum sit gerendum? Hypothesis habet περίστασιν vel circumstantiam i. e. deliberationem de quæstione vel negotio singulari, e. g. An Germani contra Turcam debeant bellum gerere: & hoc quidem tempore. Oratores habent quoddam præceptum de amplificanda oratione, quod vocant transferre hypothesin ad thesin, quod sic intelligendum est. Hypothesis est deliberatio particularis. In hujus tractatione facit ad amplitudinem orationis, si digrediamur in Thesin, i. e. universalem deliberationem. Quæ hic est q. locus communis & major propositio. e. g. Si deliberetur, num contra Turcam hoc tempore bellum gerendum sit? est hypothesis. Hic avocanda est quæstio & digrediendum in tractatione ad ipsum genus i. e. dicendum universaliter de bello contra Turcam. Item in genere de bello, & patriæ defensione.

*Distinctio 2 inter thesin & hypothesin.*

*Quid sit transferre hypothesin ad thesin.*

### *De Tertio vel partibus θέσεως.*

*Partes.*

Duo monet author. Primum de parte quadam accessoria, vel huic progymnasmati propria quodammodo. Alterum de partibus communibus vel usitatis etiam in reliquis Progymnasmatis.

Pars accessoria illa est ἀντίθεσις καὶ λύσις, objectum & hujus so-

lutio. Hoc autem progymnaſma theſis, primum eſt inter reliqua quod objectionem admittat, inquit author. Quod ita intelligendum eſt, non quod reliquæ partes & elementa Rhetorices, Narratio, ſententia, locus communis, laudatio, vituperatio &c. reſpuant: ſed quod in theſi tractanda frequentior objectionis uſus ſit. Unde in his exercitijs ad hoc usq; progymnaſma reſervata eſt ab authore objectionis mentio.

Eſt autem objectio vel Antitheſis idem quod ἔνςασις ſive inſtantia vel propoſitio, unde concluditur contra theſin noſtram vel etiam rationes hujus e. g. Si ſit θέσις vel θέμα ad declamandum propoſitum, conjugium eſt ineundum, & ratio inter alias, quia aliâs quomodo natura & humanum genus conſervari poſſet? Inſtantia vel objectum erunt quæcunq; rationes perſuadent, conjugium non eſſe ineundum, forſan quia moleſtum: aut quia ſic magis res divina curari poteſt, ſi in vita cælibe vivas &c. Item Inſtantia contra illam rationem θέσεως erit, quæ concludet contra illam, vel jllam infirmabit. e. g. Multi vixerunt hactenus & magni viri extra conjugium & tamen genus humanum conſervatum eſt. *Objectio.*

Has objectiones in diſcurſu oratorio ſolent afferre & ſibi ipſis obijcere oratores, poſtea ſolvere. Aſſumunt autem primum ex oratione adverſarij, vel eius qui ab ipſis diſſentit. 2. Ex communibus hominum opinionibus, eas ſcilicet quæ communiter & vulgò ſolent contra theſin præſentem obijci: & ſic in mentem venire poſſunt auditoribus, adeoq; impedire quo minus nobiſcum ſentiant. Præter has non ſunt ſollicitè conquirendæ aut ſubtiliter excogitandæ aliæ oppoſitæ rationes. *Unde ſumatur objectio*

Cur objectionis in θέσει vel deliberatione potiſſimum uſus ſit, cauſa videtur eſſe. 1. Quod in deliberatione adverſarium habeamus. 2. Auditorum agitur negotium, ideoq; ſollicite rem in partem utrãq; cogitant: Inde fit ut quæ in partem contrariam auditori animum movere poſſint i. e. objectiones, vel oppoſitam ſententiam perſuadentes rationes, ſtudioſe ex animo auditoris ſint evellendæ. *Cur objectionis in theſi uſus.*

De partibus communibus vel uſitatis res facilis eſt. Primum ponenda eſt ἔφοδος ingreſſus, i. e. exordium, quod quomodo & unde efficiendum ſit ſupra in Prog: quinto & ſexto dictum eſt. *Partes communes.*

Deinde rationes persuadendi subjungantur: his immisceantur passim objectiones: post rationes illas tractatas & stabilitas. Loci autem unde inveniantur rationes probandi, ponuntur ab authore: legitimum, justum, utile, possibile: adde verisimile, perspicuum, consequens, decorum, jucundum, facile, necessarium &c. Item horum contraria. Et consule locos progymnasmatis 5. 6. & septimi. His subjungendus est epilogus.

### Exercitium.

### Adhortatio ad Sobrietatem.

Exordium ex locis 5. & 6. progym: datis, potest sumi. e. g. 1. Dicatur summa, animus mihi est commendare vobis sobrietatem. 2. Attentionis causa commendetur hæc virtus. Valde illustris est, plurimæ utilitatis, maximæ necessitatis, ornamentum & corona reliquarum, tum rarissima his seculis. 3. Partitio dicendorum. Dicam primo de dignitate hujus virtutis. Secundo, De utilitate & necessitate.

Confirmatio. Locus primus à decoro. 1. Est prudentiæ sobrietati studere: non tam quod prudentia omnium virtutum mater quã quod peculiari ratione quadam in homine sobrio apparet prudentia. Cum enim vulgi multitudo affectibus fræna remittens pecudum instar turpibus voluptatibus volutetur, homo sobrius prudentiam & rationis vim ea in re egregie probat, dum ab istorum moribus segregat se, affectibus fræna injicit, honeste potius quam secundum pravam consuetudinem vivere vult. 2. Pertinet ad Theologiam hæc virtus sive in sacris literis multis modis commendatur. 3. Monstretur ad quas virtutes Christianas pertineat sobrietas: In sexto qræcepto habet fundamentum, est quædam castitas & fons castitatis ac conservatrix: qui sobrie vivunt non præbent scandalum sunt pij, possunt sic officium facere rectius. 4, Monstretur ad quas virtutes Ethicas pertineat sobrietas. 3. Pars est temperantiæ. Deinde reliquarum virtutum quædam imagines in sobrietate apparent, ut fortitudo: & hic fiat allegoria, voluptates dicantur hostes, & prosterni ac vinci, & in triumphum duci &c.

Locus Secundus altera orationis pars, utilitas & necessitas hujus virtu-

virtutis. Fiat inductio ex partibus utilitatis sive bonorum generibus & efficiendi modis supra in 5, & 6. progym: expositis.

Epilogus. 1. Repetat summam dictorum. 2. Invehatur in pessimos mores nostræ ætatis qua sobrietas contemtui est, possim luxui datur opera, quod indignum est audire de hominibus Christianis. Hinc etiam tot calamitates in caput nostrum accersimus.

*Exercitia alia.*

Scribantur exercitij causa hæ theses. 1. Deliberationes de negotijs politicis, ut adhortatio ad bellum inferendum, propulsandum, continuandum, finiendum.

Dehortatio de ijsdem. Adhortatio ad pacem petendam & deditionem.

Petitio pacis supplex. Deliberatio de ædificandis muris, arcibus, propugnaculis, turribus, suburbiis classibus, templis, nosocomijs, vijs, theatris, foris &c. Deliberatio de ærario instituendo & locupletando, trjbutis exigendis. Deliberatio de conservandis ordinum distinctionibus, vel num familiæ nobiles cum plebeis sint per matrimonium confundendæ. Deliberatio de conservandis singulorum ordinum privilegijs, principum, nobilium, literatorum, artificium, mercatorum, nautarum, agricolarum & reliq; plebis. Deliberatio an ordines sint distinguendi vestitu & habitu. Deliberatio de forma Reipubl. constituenda: num Monarchia, an Democratia, an Aristocratia melior sit. Deliberatio principatus & adhortatio ad suscipiendum imperium. Petitio imperij, recusatio.

Dehortatio à Tyrannide. Commendatio principatus vel adhortatio, ut princeps faciat officium. Adhortatio ut princeps vel magistratus religionis synceritatem tueatur: Magistratum suum conservet, habeat manus ac oculos continentes, habeat rationem fisci & parsimoniæ: caveat ab adolatoribus: non facile promittat, promissa constanter servet. Deliberatio de legibus ferendis & abrogandis, de educatione puerorum atq; institutione.

De scholis instituendis, advocandis doctoribus, stipendijs decernendis, ædificandis Lycæis &c. De privilegijs studiosorum &c.

### II. *Deliberationes de negotijs privatis.*

Adhortatio ad periculum adeundum. 2. Adhortatio in periculo præsenti. 3. Consolatio in luctu. 4. Adhortatio ad fortiter occumbendum. 5. Ad aggrediendum hostem. 6. Ad conscendendum murum & alia facinora. 7. Dehortatio ab ignavia. 8. A temerarijs periculis, grassationibus nocturnis. 9. Adhortatio ad temperantiam. 10. Dehortatio â gula & vitæ turpitudine. Et sic reliquarum virtutum ac vitiorum moralium actiones possumus persequi, & sunt illæ materies deliberationum vel thesium. 11. Adhortatio ad prudentiam comparandam. 12. Adhortatio ad experientiam rerum variarum comparandam, per perigrinationes & conversationem cum doctis. 13. Adhortatio ad parsimoniam in collocandis studiorum sumtibus: coemendis libris. 14. Deliberatio de certo artium genere discendo. 15. Adhortatio ad studium eloquentiæ: studium Theologiæ, Juris, Medicinæ, Philosophiæ, Mathematices, historiæ, linguarum &c. 16. Adhortatio ad pietatem. 17. Dehortatio ab impietate, & vitæ impœnitentia. 18. Adhortatio ad dilectionem Dei, veram agnitionem &c. 19. Dehortatio ab hæresi certa ut Calviniana declinanda. &c.



## ΝΟΜΟΥ ΕΙΣΦΟΡΑ.

Καὶ τὴν εἰσφορὰν τοῦ νόμου, τινὲς εἶναι δεδώκασι γύμνασμα, ὅτι μὲν γὰρ σχεδὸν ὅλη ὑπόθεσις, οὐ μὴν ἅπαντα σώζει τὰ τῆς ὑποθέσεως. εἰσάγεται μὲν γὰρ ἐν αὐτῇ πρόσωπον, οὐ μὴν ἐφ' ἅπασι γνώριμον. Ὅθεν θέσεως μὲν ἐστι μᾶλλον ἧττον δὲ ὑποθέσεως. Οἷς μὲν γὰρ ὅλως σχήματος δέχεται πρόσωπον, ὑπερβαίνει τὴν θέσιν, δι' ὧν δὲ σαφῆ μὴ σώζει τὴν περίστασιν, ὑποθέσεως λείπεται. Νόμου τοίνυν ἐστὶν εἰσφορὰ, διπλῆ γυμνασία, συνηγορία καὶ κατηγορία νόμου τεθέντος. ἔστι δὲ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, κοινὴ δὲ συνθήκη πόλεως, ἐπανόρθωσις δὲ πλημμελημάτων τῶν εἰς ἀμφότερα. καὶ ἡ μὲν διαίρεσις αὕτη τῆς εἰσφορᾶς τοῦ νόμου. ἐργάσῃ δὲ αὐτὴν κεφαλαίοις,

οἷς καὶ τὴν πραγματικὴν, νομίμῳ, δικαίῳ, συμφέροντι, δυνατῷ. προοίμια ἢ θήσεις, καὶ μετὰ τὰ προοίμια, τὸ κεκλημένον ἐναντίον. εἶτα χρήσῃ τοῖς προειρημένοις κεφαλαίοις. ὅθεν καὶ ταύτῃ διήνεγκε θέσεως.

## *LEGUMLATIO.*

Legumlationem quoq; quidam inter Progymnaſmata retulerunt. Eſt autem hæc ferè Hypotheſis quædam, quanquam non omnes ſervet hypotheſeos conditiones. Nam etiam hic introducitur Perſona: verum non planè nota. Quare potius ad Theſin referenda quam ad Hypotheſin. Quatenus enim Perſonæ etiam rationem habet, hactenus à Theſi diſcedit. Quatenus autem non manifeſtè exprimit Perſonam, hactenus quiddam ab Hypotheſi diſſimile habet. Duobus autem modis inſtitui poteſt Legumlatio. 1. Ut inſtituatur defenſio Legis. 2. Ut ſuſcipiatur Legis accuſatio. Eſt verò Lex inventum & beneficium Dei, & publicum quaſi civitatis pactum & correctio vel prohibitio delictorum in quamcunq; partem. Et his quidem modis Legislatio dividitur. Deſcribitur autem ijsdem partibus, quibus explicatur Theſis: nempè probatur ex legitimo, utili, facili.

Præmittitur Exordium: poſteà Contrarium ſubjungitur. Deinde capita illa probationis. Ut & hac in parte diſcrimen quoddam inter Theſin & Legumlationem exiſtat.

# PROGYMNASMA XIV.
## Legislatio.

De hoc Progymnaſmate tria docet Author.

I. Quid ſit.
II. Diviſionem.
III. Tractationem.

### *DE PRIMO.*

Ut explicet Author quid ſit legislatio, duo dicit. 1. Eſſe progymnaſma. 2. Confert cum hypotheſi & theſi. Quando dicit legislationem eſſe progymnaſma, definit genere communiori & relato. Pro- *Definitio. Genus.*

gymna-

gymnasma i. e. exercitium eloquentiæ: & partem quandam Rhetorices leviorem ac faciliorem, in qua scribenda possunt exerceri eloquentiæ studiosi, tanquam in quibusdam initijs oratoriæ facultatis. Ait autem Author, quosdam hoc dicere scilicet artifices vel Rhetores. Quidam enim dissenserunt, quod putarent legislationem esse virium majorum & perfectioris facultatis, quam ut ab adolescente & eloquentiæ tyrone, exigi ejus scriptio possit. Quippe cum legislatio, vel oratio de legibus ferendis aut abrogandis instituatur ad universam multitudinem, civitatem, populum: hos autē Oratione regere, atq; inflectere ad tuam sententiam, non videtur esse nisi perfectissimi oratoris.

*Differentia quâ differt à thesi.*

Verum etiam hic ostendi quadam initia possunt Eg, de partibus Orationis hujusmodi: de locis argumentorum & rationum. Collatio legumlationis cum hypothesi & thesi hujusmodi est: Primum cum hypothesi quædam habet communia legumlatio quædam etiam propria. Communis est hypothesi cum legumlatione persona, scilicet concurrens indeliberatione vel de qua dicendum est indeliberatione, & cujus mentio restringit quæstionem ut sit quodammodo quæstio particularis.

Hæc persona qualis sit non meninit Author. Potest autem esse primum persona Authoris vel ejus qui scripsit legem. 2. Potest esse persona populi vel eorum quibus fertur & ponitur lex. Persona authoris Eg, si quis velit persuadere populo ut recipiant legem. Pittaci Philosophi, quod ebrij duplici pæna afficiendi sunt. Aut si Julius Cæsar volens legem ferre de adulterorum pænis: afferet persuadendi causa, commendationem sua persona, quam sollicitus sit de Reipubl: constitutione. Quodq; populus Romanus hanc sibi potestatem concesserit leges condendi, & salubribus constitutionibus communi Reip. saluti providendi. Et hæc persona authoris dico, videtur in omni legumlatione requiri: quoniam leges etiam optimæ si non sint à legitima potestate profectæ, inde repudiantur. Quare in legumlatione videtur pars deliberationis & quæstionis esse: nam persona & authoritas legislatotris sit legitima. PERSONA populi item in hac deliberatione attenditur, quando consultatur de lege ferenda, nam hujus status considerandus, libertas, privilegia, finis, partes: vel num commodo reip: futuræ sint ferendæ leges. Et sic in legislatione non universaliter quæ-

ritur

vitur sit ne lex ferenda vel etiam hæc lex Eg, Julij Cæsaris de adulterijs sed particulariter quæritur, num hæc lex, hujus authoris, huic populo ferenda sit. Quod legislatio cum hypothesi habet commune Quoniam hypothesis item est hujusmodi deliberatio de quæstione particulari ut in proximo superiori progymnasmate dictum, membro secundo. Proprium habet legislatio quo distinguitur ab hypothesi, quod persona hic in legislatione non est γνώριμα aut σαφής id est nota, perspicua, certa. Intelligitur autem persona populi cui quidem universo feruntur leges, ut universi obligati sint & uti possint. Sed non omnes sunt ea conditione aut habent potestatem proximam ut uti possint. Illis igitur qui sunt ea conditione vel habent potestatem proximam ut uti possintprincipaliter videtur Lex ferri Eg: lex de adulterijs quæ statuit pænam adulterio irrogandam. Hujus legis usus est universaliter contra omnes cives potestate remota, quatenus omnes divisim possunt fieri adulteri. Proprie autem pertinet ad istum lex & hujus usus, qui est adulter actu. Item ad illum cujus conjugium adulterio violatum, hic enim secundum istam legem potest persequi adulterum. Hi autem qui potestate proxima uti lege possunt & quibus principaliter fertur lex sunt persona incerta, ignota, secundum Individuum signatum: & ita fertur lex: quisquis: & si quis &c. Quia ignoti sunt, qui possint potestate proxima uti lege. Hoc nunc differens habet legislatio ab hypothesi. Quia in legislatione hujusmodi individuum vagum fere semper adest. In hypothesi autem, persona certa vel individuum signatum est. Eg. Si Mecænas deliberat cum Augusto sit ne ab ipso Resp. Romana in Monarchiam redigenda, vel sit ne ab ipso occupandum imperium Romanum.

*Differentia quâ differt ab hypothesi.*

## DE COLLATIONE LEGUMLATIONIS cum Thesi.

In hac collatione proprium habet legislatio personam. Commune autem cum thesi, generalitatem illam, quod circumstantiæ non attenduntur in thesi aut legumlatione, Personarum discrimina, temporis, loci &c. Lex enim generalis & universalis est Eg. adulter puniatur. Nisi quod hic persona concurrit in legumlatione, sed illa item generalior quam inhypothesi. Colligi hic potest definitio quid scili-

*Colligitur definitio.*

cet sit legumlatio. 1. Quia communem naturam habet cum Thesi & hypothesi: erit igitur deliberatio quædam. 2. Quia differt à thesi & hypothesi erit distincta species & distinguetur subjecto ab illis proprio, vel medio h. e. Individuo vago vel rebus ad certos quidem sed non singulares homines pertinentibus. Sed perspicuitatis causâ propius ac specialius objectum assignari debet. Lex scilicet. Legislatio igitur erit deliberatio de ratione instituendi publicâ authoritate ea quæ ad rempublicam & mores civium pertinent. GENUS est deliberatio. Differentia ratio constituendi. &c.

## DE SECUNDO.

Deliberatio hæc de legibus ferendis duplex est, â duplici fine: potest enim alius defendere legem ferendam, alius repudiare. Hinc duplex est legumlatio, vel duæ hujus progymnasmatis partes. Prima pars appellatur συνηγορία patrocinium vel defensio legis. Cujus usus est 1. in lege roganda novâ 2. in Vetere lege confirmanda & stabilienda, & retinendâ contra hujus abrogatores & desuetudinem authoritate. Altera pars appellatur κατηγορία accusatio legis. Hujus item generis est usus duplex. Primus in oppugnanda nova lege, & impediendo ne illa feratur. Secundus in abroganda & abolenda antiqua aliqua lege. Hic inserit author definitionem legis: quam definit populariter. Genus est causa inventrix. Et illa quidem duplex. *Quid Lex.* Prima universalis. Deus scilicet causa omnium bonorum humanorum. Secunda, causa propria, nempe civitatis vel civium vel Reipub: consensus. Differentia sumta est â fine legum, nempè prohibitio delictorum vel morum malorum. Sed hic finis medius saltem est. Ultimus finis cur leges ferantur est honestas & salus Reip. Aristoteles in Rhetoricâ ad Alexandrum Cap. 1. ab hoc fine describit legem ὁ νόμος ἐστὶν λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. Lex est ratio communi Reip. consensu constituta, præscribens quo quodq; pacto agendum sit.

## DE TERTIO SIVE TRACTATIO.

Tractatio hic eadem est quæ in Thesi. Nimirum partes hæ scilicet: Exordium, Demonstratio, Epilogus. Et demonstratio habet hic

eosdem locos probandi nempè legitimũ, justum. &c. Nisi quod hic contrarium inseritur: ut inquit Author. Contrarium i.e. adversaria sententia ponitur & refutatur. Quod tamen etiam in thesi fieri poterit: maxime cum hujus instantiæ tractentur & solvantur quæ sunt rationes probandi contrarium.

*EXERCITIUM.*

Minoris usus est hoc progymnasma quod nunc certis utamur legibus & præscriptis. Exercitii causa poterit tractari prolixius oratio M. Catonis pro lege Appia contra muliercularum luxuriam ex Liv. lib. 34. & opposita oratio L. Valerij ibidem. Item aliæ deliberationes multæ super Legibus ferendis ex historia Romana.



# DE AMPLIFICATIONE INstituenda Progymnasma XV. accessorium.

## CAPUT I.

*Agitur 1. de ambiguitate vocabuli 2. quid sit amplificatio propriè sic dicta.*

*DE PRIMO.*

AMplificationis vocabulo aliter vulgò, aliter oratores utũtur. Vulgò ita ut idem significẽt hac voce quod alias appellant artifices copiã verborum & sententiarum. Nam si quando sententiam unam aliquam in multitudinem aliquam verborum aut rerum effundendam quasi & extendendam esse præcipere volunt, amplificare illam jubent. Dilatare & copiose efferre, & expolire hoc potius dicerent Rhetores. Ipsamq; eam operam ita dilatandæ orationis expolitionem, aut diductionem, aut dilatationem, aut similibus vocabulis, ex consuetudine artificum potius quam amplificationem appellari posse censeo.

*DE SECUNDO.*

Amplificatio ἄυξησις est methodus Rhetorica demonstrandi rei notæ alicujus magnitudinem opinione auditorum aut vulgari longè majorem : Idq; affectus alicujus vel commotionis in animis auditorum succendendæ causa Genus est methodus rhetorica : Methodus i. e. artificiosa quædam ratio: vel peritia quædam sive animi facultas, perfecta sive ornata observationibus artificum h. e. in eodem genere peritorum. Est Rhetorica methodus i. e. pars Rhetoricæ vel pertinens ad oratoriam facultatem, vel talis facultas quam reperias in oratoribus excellentibus. Et sine qua nemo est appellandus orator, præsertim excellens & insignis.

Differentia triplex est: vel una potius trium partium: nempe ab opere amplificationis proprio. Omne enim instrumentum ab opere suo est definiendum. Opus illud hujus methodi est: Demonstratio vel probatio. Secundò. Non est quælibet probatio: cujusmodi ergo? Quæ est vel fit de re nota: de qua verò demonstratur quod sit major quam vulgò creditur.Itaq; duplex conditio est rei amplificandę vel per amplificationem demonstrandæ. 1. Quod debet esse nota 2. Quod debet demonstrari de ea magnitudo quædam sua.

Nota autem debet esse scilicet secundum rem gestam vel rei veritatem. Rursum nota debet esse vel sponte sua absq; oratoris operâ: vel ut saltem in narratione & confirmatione prius doceatur res quam adhibeatur amplificatio.

## Caput II.

### *I. Dicta exemplo declarantur. 2. Enumerantur quatuor species Amplificationis.*

### *DE PRIMO.*

E. G. Volo amplificare historiam filiæ lactantis matrem in carcere. Hic tria sunt in hac historia. 1. Ipsa res gesta 2. veritas rei gestæ. 3. Magnitudo rei gestæ sive quod hoc factum sit valde mirabile, insigniter pium, raræ virtutis omnibus modis commendandum. primum sive res gesta, exponitur per narrationem simplicem.

Alterum sive veritas rei gestæ, si qua forte incidat dubitatio, demonstra-

monstretur per confirmationem. Tertium sive magnitudo rei gestæ tandem expeditur & demonstratur per amplificationem.

DE SECUNDO.

Amplificationis genera vel instrumenta alij aliter numerant: optimè ille, ut videtur, qui quinq; ea facit ut primum Genus vel instrumentum sit comparatio: Secundum conglobatio: Tertium congeries: Quartum Ratiocinatio: Quintum ordinis digestio.

Quæ singula quid sint & quis usus eorum nunc porrò explicandum est.

## CAPUT III.

### I. *Quid sit comparatio & quotuplex. 2. Quæ partes in comparatione. 3. Exemplum.*

DE PRIMO.

Comparatio est exemplum simile vel dissimile rei præsenti vel facto augendi causa adductum. Exempla autem alia vera sunt, nempe historiæ: alia falsa vel ficta. Et ficta alia sunt fabulosa ut de Polyphemo aut Christophoro magno, Alia ex hypothesi ficta e. g. Si ego hoc fecissem. Si quis haberet hujusmodi annulum, qualem fingitur habuisse Gyges: Si quis nunc esset Romæ: Si quis statueretur in summo quodam loco aëris unde posset universum terrarum orbem oculis perlustrare. &c. Vbi assumnntur circumstantiæ fictæ, locus, tempus, personæ &c.

DE SECUNDO.

Partes comparationis sunt Propositio, Redditio, Conclusio. Propositio i. e. expositio ejus exempli quod comparationis causâ adducitur. Quæ expositio sæpe fit prolixiori narratione.

Redditio est expositio rei vel facti nostri quod comparatione illustrandum est: ubi narratur quid simile, par aut impar, cum facto superiore in nostris deprehendamus.

Conclusio est argumentatio & collectio pro magnitudine facti nostri: i. e. quod valde laudabile aut valde vituperabile sit factum nostrum propter hanc comparationem. Præmittuntur autem etiam, & sæpius insperguntur crebræ præmonitiones quasi excitandi auditoris causa.

## DE TERTIO.

*Præmonitio*

*Propositio vel exemplum.*

Volo amplificare factum Christi, quod ille pro populo suo mortuus est. ô factum Christi filij Dei nullis vel angelicis linguis satis prædicandum. De Davide meminisse potestis A. quod in sacris extat scriptum literis: cum adversus hunc bellum & quidem periculosissimũ concitasset filius Absolon, pauci cum Davide: universa ferè Israëlitica natio cum turbatore filio stetisset: jamq́; aut pereundum aut prælio extrema tentanda essent: censuisse regem prudentissimum maximopere ad summam rei rectè administrandam interesse, si ipse in conflictu præsens, & ipso vultu ac reverentia sui perfidos hostes terreret suisq́; animum adderet. Quod cum ita regi placuisset, populus tamen ut fieret passus non est. Ita enim judicabat, non esse regis sui & charissimi quidem regis atq́; optimi, adeò temerè vel jacturam vel periculum faciendum. Itaq́; abstinuit quidem ille ne in aciem aut prælium prodiret, magis in eo populi quam suæ voluntati obsecutus: interim propositi aut consilij fortissimi apud omnes laudem indubitatam abstulit: scil: illum fuisse Davidi regi animum, ut potius vitam suam quam militis sui victoriam in dubio posita esse mallet. Comparate nunc Regem nostrum cum Israëlitarum Rege, Christum cum Davide, Deum cum homine, hujus factum cum facto illius: reipsâ cognoscetis quantum inter eos, qui conferuntur, Deum & hominem: tantum inter facta ipsa discrimen intercedere. Etenim etiam nobis i. e. humano generi bellum & periculosissimum quidem moverat hostis Sathan, jamq́; ad arma vel manus ventum erat, agebatur res summa & maxima: non de regno aut imperio, non de vita & sanguine, sed de omnium æternâ salute decertandum erat. Porrò ductore peropus nobis erat, non tantum qui animum meticulosis nobis subijceret, aut in primâ acie pugnaret, aut hostium agmini terrorem incuteret, sed qui universam hanc prælij belliq́; vim solus exciperet ac sustineret. Neq́; enim adversus carnem & sanguinem h. e. nostræ mortalis conditionis homines, suscepta erat contentio: sed adversus spiritus impuros sive nequam Dæmones, qui non nisi spirituali sive Dei virtute superari poterant. Hic Christus noster ducem se nobis talem stitit, non qui officio ullo teneretur sed qui voluntate suâ se devovisset: non qui à nobis rogatus esset, sed qui ultrò hujus beneficij summi copiam nobis fecisset. Neq́; stitit se so-

*2. pars Præmonitio.*

lum ducem, verum etiam in aciem prodijt, verum etiam prælio cum hostibus congressus atq; expertus est: verum etiam quod aliter in hoc mirabili atq; insitato certandi genere vinci non posset, vulnera accepit, animam efflavit, vitam posuit, & tandem hostium omnium victoriæq; potitus est.

Conclusio hujus comparationis vel argumentationes. O facinus Davidico illi longe præferendum. Etenim ille etiamsi ad periculum proficiscebatur, tamen cum spe evadendi ac repellendi ejus profectus fuit: Christus autem ad eam pugnam pro populo suo se obtulit unde eluctari se non posse sine morte sua certissimè prænôrat. David non tam pro populo discrimen vitæ aggredi quam populus pro Davide periclitari, si rem rectè consideraverimus videbitur. Neq; enim populo regnum ereptum sed Davidi venerat Absolon: Christus autem noster nulla sua spectavit commoda: pro nobis populo suo belligeravit, pro nobis passus, pro nobis mortuus est, nobis hanc victoriam nobilissimam obtinuit. David etiamsi adversus hostes exijsset, militum tamen manu potius quàm suà contendisset. Sed Christus noster tantum abest ut alienam manum cum hoste consereret, ut ne ullius quidem hominis vel administrà operà uteretur. Ille ex debito quod rex salutem populi tueri teneretur operam suam in officio faciendo promtè detulit quam non nisi per ignaviam subterfugere potuisset. Sed Christus noster quo jure aut officio huc impulsus fuisse dicendus erit? qui & Deus noster erat: & nostra adversus ipsum perfidia perditis nobis non tantum non redemtionem sed ne misericordiam quidem debebat. Ille recusantibus subditis à proposito destitit, hic Petro monenti ut caveret sibi rectius, vehementissimè iratus fuit. &c.

*3. pars Conclusio.*

## CAPUT IV.

### *Illustratur idem factum Christi per comparationem exemplorum fictorum.*

Quod si inter homines evenerit hujusmodi insitatum sane atq; in auditum humanitatis exemplum, ut supplicium quod à fratre luendum erat vel ab amico reo, homo innocens misericordià impulsus in se suscipiat: Deus bone! quanta hujus virtutis inter homines existeret

admiratio, quanta apud omnes prædicatio oriretur? quâm ſaltem non ad cælum uſq; cuncti factum hoc omnibus efferrent laudibus? Quid igitur hic aut faciendum, aut quæ laudes ſatis dignæ afferendæ redemtori noſtro qui pro univerſo genere noſtro, non pari conditione ſervus, ſed ſupremâ dignitate omnium dominus: & quidem voluntate ſuâ ejusdem nobiſcum humanæ nativitatis, ſed per naturam æternæ ac cœleſtis à patre originis: per gratiam atq; arbitrium proprium frater noſter, caro noſtra, ſanguis noſter: ſed jure ſuo pater noſter, Deus noſter, creator noſter: in tantam ſuppliciorũ acerbitatem pro nobis ultrò ſe conjecit.

Alterum exemplum. Quid ſi princeps aliquis eâ uteretur adverſus ſubditos clementiâ, ut cum ſubditi ære alieno tanto ſibi obſtricti ſint, quod nunquam ab ipſis exolvendum fore videatur: ille miſericordiâ tactus unâ liturâ univerſa nomina illa expungat: tantò illuſtriorem hujus liberalitatis laudem omnes exiſtimabunt quo à digniori authore principe ſc. profecta fuerit. Quod enim ille, omne adeò vitium inquit, tanto conſpectius in ſe crimen habet, quantò qui peccat major habetur, Hoc non tantum in vitijs ad turpitudinem verum etjam in rectè factis ad commendationem fieri intelligendum eſt, ut ſemper à facinoris authore non exigua & vituperationis & laudis fiat acceſſio. Quod cum ita ſit etiam illud fatendum eſt neminis non orationem tantum ſed ne mentem quidem ac cogitationem aſſequi poſſe earum laudum magnitudinem quæ chariſſimo redemtori noſtro debeantur: quod tam grandem debitorum ſummam atq; adeo in æſtimabilem qua non pagus unus aliquis, non oppidum, non regio, non latiſſimè diffuſum regnum, ſed univerſum humanum genus obſtrictũ erat & ultrò condonaverit & ſanguinis ſui quaſi liturâ expunxerit. Scilicet cum tantò excellentiores Chriſto noſtro laudes tribuendæ fuerint, quanto Dei majeſtas humanam principis alicujus dignitatem ſuperevarit.

## CAPUT V.

*Explicatur ſecundus Amplificationis modus: 1. Præcepta. 2. Exempla.*

## DE PRIMO.

Conglobatio sive distributio sive Enumeratio, sive frequentatio, sive Divisio & Partitio, est modus amplificandi per addensationem quasi sive ostensionem multarum in re unâ & eadem, amplificandâ scilicet partium, & adjuvatur conglobatio figuris repetitionis scilicet Anaphorâ, Epiphorâ, Symploce, &c. item Homæoteleuto. Et servatur illa perpetua varietas ut nunc ad commata singula, nunc ad periodos fiat illa inculcatio. Item aliquando partes facti enumerantur, aliquando partes qualitatis. Aliquando comparatio admiscetur. Aliquando per præteritionem assumuntur partes. Aliquando causæ pro partibus inculcantur.

## DE SECUNDO.

Exemplum I. Cicero contra verrem: Venio nunc ad istius quẽadmodum ipse appellat studium: ut amici ejus morbum & insaniam: ut Siculi latrocinium: Ego quo nomine appellem nescio. Rem vobis proponam: vos eam suo nominis pondere penditote. Genus ipsum prius cognoscite: deinde fortassis non magnopere quæretis, quo nomine appellandum putetis. *Partes qualitatis.* NEGO in Sicilia tota TAM locupleteTAM vetere provincia, TOT oppidis, TOT familijs, TAM copiosis, VLLUM argenteum vas, VLLUM Corinthium aut Deliacum fuisse: NEGO ullam gemmam, AUT margaritam fuisse, AUT quicquam ex auro, AUT ebore factum: Signum ullum æneum, marmoreum, eburneum. NEGO ullam picturam NEq; in tabulis, neq; textilem fuisse, quin quæsiverit, inspexerit, & quod placitum sit abstulerit. *Partes facti* Magnum videor dicere judices, attendite etiam quemadmodum dicam. Non enim verbi neq; criminis augendi causa complector omnia, cùm dico nihil istum ejusmodi rerum in totâ provincia reliquisse. Latinè me scitote non accusatoriè loqui: etiam planius: NIHIL in ædibus cujusquam NE oppidis quidem, NIHIL in locis communibus, NE in fanis quidem: NIHIL apud Siculum, NIHIL apud civem Romanum, deniq; NIHIL istum quod oculos animumq; accenderit neq; privati, neq, publici, neq, profani, neq; sacri, tota in Sicilia reliquisse.

## CAPUT. VI.

## *Exempla conglobationum alia.*

Cicero pro domo suâ. Quid cum Gabinio Siria dabatûr, Macedonia Pisoni, utriq; infinitum imperium, ingens pecunia: ut tibi omnia permitterent, tibi manum, copias, tibi suos paratos decuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent, te sceleratis suis concionibus sublevarent, senatus authoritatem deriderent, equitibus Romanis mortem proscriptionemq; minitarentur: me terrerẽt minis, mihi cædem & dimicationem denunciarent, meam domum refertam bonis viris per amicos suos complerent, proscriptionis metu me frequentia nudarent, virorum bonorum præsidio me spoliarent, senatùm pro me non modo non propugnare amplissimum ordinem, sed etiam plorare et supplicare mutata veste prohiberent, ne tum quidem vis erat?

### *Aliud exemplum in quo est Comparatio juris prudentiæ & artis militaris.*

### *Cicero pro Murenâ.*

Sed vel hoc omisso ad studiorum atq; artium contentionem veniamus. Quî potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multò plus afferat dignitas rei militaris quam juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte ut tuis consultoribus respondeas: ille ut eò quo intendit maturè cum exercitu perveniat.

Te gallorum, illum buccinarum cantus exuscitat: tu actionem instituis, ille aciẽ instruit: tu caves ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur: ille tenet ac scit ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur: ille exercitatus est in propugnandis finibus, tu in regendis. Ac nimirum, dicendum est enim quod sentio, rei militaris virtus præstat cæteris omnibus. Hæc nomen populo Romano, hæc huic urbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit: omnes urbanæ res, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus & industria, latent in tutela, & præsidio bellicæ virtutis. simul atq; increpuit suspicio tumultus, artes ilicò nostræ conticescunt.

### *Aliud Exemplum in quo enumerantur partes qualitatis.*

*Cicero in Oratore.*

Quid est aut tam admirabile quam in infinitâ hominum multitudine unum existere: qui id quod omnibus naturâ sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atq; auditu, quam sapientibus sententijs gravibusq; verbis ornata oratio & perpolita? aut tam potens tamq; magnificum, quam populi motus, judicum religionem, senatus gravitatem unius oratione converti? quid tam porrò regium, tàm liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus.

*Aliud Exemplum.*
*Cicero contra Rullum.*

Quid enim est tam populare quam pax? qua non modo ij, quibus natura sensum dedit: sed etiam tecta atq; agri mihi lætari videntur. Quid tàm populare quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam à bestijs expeti, atq; omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare quam ocium? quod ita jucundum sit: ut & vos, & majores vestri, & fortissimus quisq; vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando possit in ocio esse, præsertim in imperio & dignitate: ut idcirco majoribus nostris præcipuam laudem gloriamq; debeamus: quod eorum labore est factum, ut impune in ocio esse possemus.

Quare qui possim non esse popularis? cum videam hæc omnia, Quirites, pacem externam, libertatem propriam, nominis atq; generis vestri ocium domesticum, deniq; omnia quæ vobis chara atq; ampla sunt, in fidem & quodammodo in patrocinium mei consulatus esse collocata. Neq; enim Quirites illud vobis jucundum, aut populare videri debet: largitio aliqua promulgata, quæ verbis ostentari potest: revera fieri, nisi exhausto ærario nullo pacto potest. Neq; vero illa popularia sunt appellanda, judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmatio, restitutio damnatorũ: quæ civitatem afflictarunt, & quæ perditis jã rebus, extremi exitiorũ solent esse exitus. Neq; si qui a- Epanodas.

gros populi Romani pollicentur, si aliud quiddam obscurè moliuntur, aliud spe ac specie simulationis ostentant, populares existimandi sunt.

*Aliud exemplum. Cicero pro Deiotaro.*

Is igitur non modò à te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus arguitur domi te suæ interficere voluisse. Quod tu nisi eum furiosissimum judicas, suspicari profectò non potes. Ut enim omittam, cujus tanti sceleris fuerit in conspectu Deorum penatium necare hospitem; cujus tantæ importunitatis, omnium gentium atq; omnis memoriæ clarissimum lumen extinguere? cujus tantæ ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimescere? cujus tam inhumani & ingrati animi, à quo Rex appellatus esset, in eum Tyrannum inveniri? ut hoc omittam: cujus tanti furoris fuerit: omnes Reges quorum multi erant finitimi: omnes liberos populos: omnes socios: omnes provincias: omnia deniq; omnium arma contra se unum concitare? quonam ille modo, cum regno &c.

*Imitatio istorum exemplorum.*

Illustremus conglobatione amorem cælestis patris quo ille ita vehementer atq; arctissimo universum genus humanum complexus est ut filium suum eumq; unum ex se genitum nobis donaret, ut omnis qui in hunc crediderit, nihil ab æterno exitio metuat, sed certissimè aditurus sit regnorum cælestium hæreditatem.

*Imitatio I. Exempli.*

O inusitatum dilectionis genus: ô inauditum humanitatis ac clementiæ exemplum: ô veræ charitatis miraculum: ô factum planè ejusmodi ut nec mens ulla satis assequi, nec nomen ullum exprimere magnitudinem possit. Homines universos omnibus locis omnibus seculis adeò, improbos plerosq;, atq; adeò sceleratos, æque divites æq; pauperes, neq; neglectis aut præteritis infantibus, neq; adultis neq; plebeis, neq; latronibus quidem. Omnes, inquam, homines principes & reges & in populo Dei & extra populum Dei viventes, privatos, pauperculos, mendicos, omnes inquam homines non minus ingratos atq; incredulos quam memores hujus divini beneficij, & fidem huic cælesti amori habentes, & dilexit Deus, & infelicitatis omnium misericordia

ricordiâ tactus eſt, & filium à quibus expedirentur omnibus donavit. Magnum videor dicere attendite etiam quemadmodum dicam: Non enim dicis cauſa, ut ajunt, neq; ut falſis aut fictis laudibus Deum exornem ideò ita multa complexus ſum, cum dico neminem ex univerſo humano ſanguine in hac Dei dilectione eſſe præteritum: Piè me ſcitote non Sophiſticè, theologicè non oratoriè loqui. Itaq; dicam ſi potero planius; nemo quisquam in ullis mundi angulis homo eſt, ne in regionibus quidem: nullus ita obſcurus homo eſt, ne natio aut gens quidem: Nemo neq; inter Judeos neq; inter gentes: Deniq; nemo qui nomen naturamq; hominis à parentibus acceperit ſive primis ſive medijs ſive noſtris ſive futuris ſeculis unquam extitit, quin hoc divinæ dilectionis beneficio contineatur.

## IMITATIO II. EXEMPLI.

*Ex Cic. pro domo ſuâ.*

Habetis in quos contulerit amoris & charitatis donum Deus: nunc cujusmodi & quarum rerum facta ſic donatio, cognoſcite. Dicam uno verbo ſe ipſum nobis donavit Deus. Quo munere quodnam dari poterat magnificentius? quid enim cum filium in mundum mitteret, ex homine hominem naſci vellet, communem nobiſcum naturam induere, eadem carne eſſe, ut noſtram omnium culpam ſuſciperet: pro nobis Dei iram & pænas, pro nobis cruciatus exquiſitiſſimos, pro nobis mortem, pro nobis infernum adiret: abalienatis à Deo Dei gratiam repararet, è cælo exulibus patriam beatitudinemq; reſtitueret: ſe pro mundo victimam, ſe pro peccatoribus vadem ac ſponſorem ſiſteret; ſuam animam ſanctiſſimam illam pro maledictis nobis in redemtionem ſolveret: ſui traditione nos ex vinculis expediret, ex inferni abyſo extraheret: & univerſum humanum genus non tantum benedictos Dei appellari, qui meritis noſtris maledicti eramus: ſed etiam cælorum hæreditatem ſperare poſſe, imò adire per Chriſti gratiam impetraret, an non hoc eſt Deum ſeipſum hominibus donaviſſe?

*Imitatio Exempli tertij ex Oratione pro Murenâ.*

Quando mundum ex nihilo produxit Deus ſanè omnipotentiæ ſuæ, clementiæ ac bonitatis exemplum dedit præclariſſimum. Quod *Præmonitio*

tamen ejusmodi eſt, ut ſi cum hoc charitatis opere quo filium nobis dedit comparetur, dubitari non poſſit, quin ut illic potentiæ divinæ, ita hic charitatis imago longè exiſtat illuſtrior.

In productione rerum hoc donabat mundo Deus ut ex nihilo aliquid eſſet: In filij miſſione, ut cum Deo, hoc eſt beatitudine ſua conjunctiſſimus eſſet. Illic mundum ex nihili tenebris: hic ex inferni faucibus excitavit. Illic lapſurum mundum produxit: hic lapſum à caſu erexit: illic fecit ut eſſet aſpectu pulcherrimus, hic ut Dei dignatione & amore feliciſſimus: hic curavit ut hominis imago in Deo reluceret, quemadmodum illic fecerat ut Dei imago in homine impreſſa eſſet: hic ad homines filium demittendo hos in cœlum tranſtulit, quemadmodum illic mundum à ſe diverſum procreando potentiæ ſuæ ſedem hunc eſſe voluit. Ac nimirum, ſi penitus rem introſpicere voluerimus, fruſtra, imò magno malo noſtro mundus conditus fuiſſet noſtrâ ſane pravitate & culpa, niſi hæc facta fuiſſet à Deo filij donatio. Hæc nobis Dei gratiam, hæc generi noſtro cæleſtis beatitudinis ſpem comparavit: hæc peccatorum noſtrorum abolevit nomina: omnes Spiritus Sancti fructus, omnia quæ à Deo vel poſſidemus vel ſperamus, & hæc adeò hujus cognitionis lux ex verbo Dei effulgens à filio & per hujus miſſionem nobis impetrata eſt. Quæ ſane nulla contigiſſent, perijſſemusq; in tenebris noſtris, niſi Deo reconciliaſſet noſtri in Chriſto conjunctio.

## CAPUT VII.

### *DE TERTIO modo Amplificandi per congeriem.*

*1. Quid ſit. 2. Exempla.*

### *DE PRIMO.*

Congeries aliàs dicta ἐπιμονὴ immoratio: quando in re una & eadem immoramur ſive rem unam & eandem alijs atq; alijs verbis efferimus, ut magnitudinem tandem videat ex ea inculcatione auditor. Fit per Synonymias item partes enumeratas aliquas, item per Hyperbolem: Interrogationes hic ſunt crebræ e. g.

## DE SECUNDO.

*Exemplum 1. Cicero pro Ligario.*

Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? Oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas, quid optabas? Hoc eſt; Tu Tubero an non etiam pugnaſti contra cæſarem?

*Exemplum II. Pro Marcello.*

Te enim quem præſentem intuemur, cujus mentem ſenſusq; & os cernimus: ut quicquid belli fortuna reliquum Reipub. fecerit, id eſſe ſalvum velis: quibus laudibus efferemus? quibus ſtudijs proſequemur? quâ benevolentiâ complectemur? Parietes medius fidius Cai Cæſar, ut mihi videntur, hujus curiæ tibi gratias agere geſtiunt: quod brevi tempore futura ſit illa authoritas in his majorum ſuorum & his ſuis ſedibus &c.

*Exemplum III. ex eadem Oratione.*

Nec verò hæc tua vita dicenda eſt quæ corpore & ſpiritu continetur. Illa inquam, illa eſt vita tua Cæſar quæ vigebit memoriâ ſeculorum omnium; quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur: huic tu inſervias, huic te oſtentes oportet: quæ quidem quæ miretur jam pridem multa habet, nunc etiam quæ laudet, expectat. Obſtupeſcent poſteri certè imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monimenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos: ſed niſi hæc urbs ſtabilita tuis conſilijs & inſtitutis erit, vagabitur modo tuum nomen longè lateq;, ſedem quidem ſtabilem & domicilium certè non habebit.

# CAPUT VIII.

## *Imitationes.*

*Imitatio Exempli I.*

Sententia ſimplex ſit: Idololatræ vel qui ſtatuas adorant ipſum Diabolum venerantur; quia quod Deo adimitur honoris, certè Dei

hoſti Diabolo tribuitur. Hæc ratio poteſt per congeriem amplificari
ſcilicet ſi inſiſtamus & immoremur huic uni & eidem ſententiæ alijs
atq; alijs verbis eam efferentes e. g. An non enim quod Deo denega-
tur honoris in Dei ignominiam cedere credendum eſt? An non ſi Dei
cultus negligitur, inde Diabolo honor accedere putandus eſt? An non
quod Deo ignominiæ infertur, inde quaſi ſua quadam religione dia-
bolus colitur? Quid enim poterat diabolo fieri gratius, acceptius, ju-
cundius, magis ad hujus reverentiam quandam pertinens: quam quod
in divinum nomen maximè contumelioſum, quam quod divinis præ-
ceptis maximè adverſarium?

### *Imitatio Exempli II.*

Sit ſententia ſimplex: Hypocriſis eſt maximè deteſtandum
vitium: quia ſciens volens malus eſt hypocrita. Hanc rationem ſic
effer per congeriem: Hypocritam autem qui Deo illudere, qui ſpon-
te ſua ad interitum vitia atq; improbitatem proruere ſe ipſe novit: ut
quæ alios fallit ſæpe, ignorantia ab hoc abſit quam longiſſimè: quibus
convicijs inſectabimur? quibus ſatis dignis nominibus notabimus? quo
ſatis grandi Zelo deteſtabimur: Sol iſte mei A. ut mihi videtur cum
omnibus alijs turpibus hominibus, tum hypocritis imprimis graviſſi-
mè ſuccenſet, quod nimis longa videatur mora illa eſſe, qua propter
horum improbitati tam diu lucem ſuam præbere cogatur.

### *Imitatio exempli III.*

Sit ſententia ſimplex: Superbia eſt peſſimum vitium: quia De-
um contemnit præ ſe homo per ſuperbiam. Neq; verò arbitrandum
eſt homines ejusdem ſecum conditionis tantum à ſuperbis contemni
& pro nihilo haberi: Deum, inquam, Deum mei A. à quo univerſi con-
diti ſumus, à quo omnes originem trahimus, quem vitæ omniumq;
earum rerum quas poſſidemus authorem & largitorem cuncti agno-
ſcere debebamus, hunc iſti habent deſpicatui: Huic illudunt, hujus
non tantum præcepta & voluntatem ſanctiſſimam impunè ſe ridere
poſſe putant, ſed etiam Deum vel nullum eſſe, vel in hominum deli-
cta non animadvertere ſtultiſſimè ſibi perſuadent. Etenim arrogan-
tiſſimè quaſi conculcant leges, mores bonos, pudorem, probitatem,

pietatem, virtutes alias, charitatem inseparabile Christianismi symbolum; aliorum fortunas, ingenij dotes, eruditionem arrogantissime præ se despiciunt. Ut Deum nullum credere videantur, qui pœnas nullas divinas metuunt: neq; Dei providentiâ aut virtutes foveri aut vindicari vitia agnoscant; qui neq; virtutum amore, neq; odio vitiorum ullo flagrent.

## CAPUT IX.

## DE QUARTO *Amplificandi modo Ratiocinatione.*

*1. Quid sit. 2. Exempla.*

### DE PRIMO.

Ratiocinatio est amplificandi modus quo non rem ipsam cujus magnitudinem ex proposito demonstratam volumus, sed aliam aliquo modo ad istam pertinentem amplificamus, ut hinc consequenter istius magnitudo colligatur. Aliquo modo pertinentem: circumstantiam facti principaliter amplificandi aut simile aut contrarium aut partem. e. g.

### DE SECUNDO.

*Cicero II. Philippica.*

Tu istis faucibus, istis lateribus ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauseras, ut tibi necesse esset in conspectu Populi Romani vomere postridiè. O rem non modô visu fædam, sed etiam auditu! Si inter cænam in tuis immanibus poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cætu verò populi Romani, negocium publicum gerens, magister equitum cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal implevit.

Hic amplificata est turpitudo hujus facti 1. à personâ vel corporis constitutione in Antonio 2. à loco per comparationem fictam vel Exempli ficti. 3. à partibus,

*Exemplum II.*

*Virgil. lib. 1. Æneid.*

ubi Æolus cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine facto
Quà data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Hoc est, ex causa facta est amplificatio per Rationationem, nempe illa magna & grandis descripta est: scilicet porta patens data ventis omnibus: ut intelligeret auditor magnitudinem effectus sive tempestatum.

*Imitatio exempli I.*

Sit sententia simplex & amplificanda: Tyrannide sanguis humanus effunditur. Amplificetur à persona tyranni 2. ab exemplo ficto 3. à partibus facti e. g. Ille autem, tyrannum dico, ita cruentis manibus, ore teterrimo, animo truculentissimo & ad omnem immanitatem projecto reperitur, ut ne ab humano quidem sanguine magnâ copiâ profundendo crudelitatem abstineat. O rem ad quam non humanæ tantum aures sed tota rerum universitas contremiscat! Si forte humanâ specie lupus aut diabolus, eam in ejusdem secum figuræ homines ferocitatem exerceret, quis non detestaretur? Ejusdem autem sanguinis & naturæ hominem, & ad salutem omnium publicam in sublimi honorum collocatum fastigio, cui inclementem esse & inhumanum nefas videri debebat, is innocentum civium sanguine magna sui delectatione jugulatorum, vitam suam & omnem posteritatis memoriam fædare nihil veretur.

## CAPUT X.

## DE QUINTO *Amplificandi modo.*

*1. Quid sit. 2. Exempla.*

### DE PRIMO.

Orationis digestio sic appellatur ab oratoribus si res vel partes rei alicujus diversæ ita inter se digerantur vel collocentur, ut semper quod posterius est majus sit, & sic per gradus atq; incrementum ascendatur quasi ad summam magnitudinem.

### DE SECUNDO.

*E.g. Cicero contra Verrem.*

Phalargum centurupinum dixeram exceptum esse à Cleomanthe quod in ejus quadriremi Clemanthes vectus esset: tamen quia pertimuerat adolescens, quod eandem suam videbat causam esse, quàm illorum qui innocentes peribant, ad hominem accedit Timarchides, à securi negat ei esse periculum, virgis ne cæderetur, monet caveat, Ne multa: ipsum dicere adolescentem audivistis se ob hunc virgarum metum pecuniam Timarchidi numerasse. Levia sunt hæc in hoc reo crimina, metum virgarum Navarchus nobilissimæ civitatis precio redemit, humanum: alius ne condemnaretur pecuniam dedit, usitatum est. Non vult populus Romanus obsoletis criminibus accusari Verrem, nova postulat, inaudita desiderat, non de prætore Siciliæ sed de crudelissimo tyranno fieri judicium arbitratur. Includuntur in carcerem condemnati, supplicium constituitur verbo in illos, revera sumitur de miseris parentibus, prohibentur adire filios suos, prohibentur liberis suis cibum vestitumq; ferre. Patres hi quos videtis jacebant in limine, matresq, miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Aderat janitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorq; sociorum & civium, lictor Sestius, cui ex omni gemitu doloreq; certa merces comparabatur. Ut adeas tantum dabis, ut cibum tibi introferre liceat, tantum. Nemo recusabat. Quid ut uno ictu securis afferat mortem filio tuo? quid dabis ne diu crucietur, ne sæpius feriatur, ne cum sensu doloris aliquo aut cruciatu, spiritus auferatur? etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur. O magnum & intolerandum dolorem, ô gravem acerbamq; fortunam! non vitam liberûm, sed mortis celeritatem precio redimere cogebantur parentes, Atq; etiam ipsi adolescentes cum Sestio de eadem plaga & de uno illo ictu loquebantur, idq; postremum parentes suos liberi rogabant, ut levandi cruciatus sui gratiâ, pecunia lictori daretur. Multi & graves dolores imminent parentibus, & propinquis multi: Veruntamen mors sit extrema? non erit, Estne aliquid ultra, quò crudelitas progredi possit? reperietur. Nam illorũ liberi cum erunt securi percussi ac necati, corpora feris obijcientur. Hoc si luctuosum est parenti redimat precio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum hominem nobilem dicere audivistis se ob sepulturam Heracliti

*Extenuatio hujus primæ partis.*

*Ætiologia.*

*2. pars narrationis.*

*Conglobatio definitionum vel conviciorũ.*

*Amplificatio hujus partis per circumstantias.*

*Extenuatio illius partis præ illo quod sequitur maximo facinore.*

Navarchi pecuniam Timarchidi numeraſſe. Hoc ne poſſis dicere, patres veniunt amiſſis filijs irati, vir primarius, homo nobiliſſimus dicit, neq; de filio dicit. Jam quis tam fuit Syracuſis qui non audiverit? quin ſciat has per Timarchidem pactiones ſepulturæ cum vivis illis etiam eſſe factas? Non palam cum Timarchide loquebantur? non omnes hominum propinqui adhibebantur? non palam vivorum funera locabantur? Quibus rebus omnibus actis atq; deciſis producuntur è carcere, & deligantur ad palum. Quis tam fuit illo tempore durus & ferreus, quis tam inhumanus præter unum te, qui non illorum ætate, nobilitate, miſeriâ commoveretur? Ecquis fuit quin lacrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, ut fortunam quidem alienam, periculum autem commune agi arbitraretur?

*Motus à deſcriptione & congerie*

## *Imitatio.*

***Sit ſententia, iram eſſe grande malum: quia non tantum mores deformat verum etiam valetudinem lædit, Imò rationem corrumpit.***

*Pars prima*

Principio univerſæ humanæ vitæ haud levem ignominiæ labeculam aſpergit iracundia. Quippe cum magnum ad famam atq; exiſtimationem dedecus afferre videatur, ſi ita incontinentis animi ſis tantaq; adeò mollicie: ut vel unus, irruentis offenſiunculæ impetus in eos facinorum ſcopulos te impellat, ubi chariſſimarum rerum inevitabilis facienda jactura ſit. Sed ferri hoc poſſet, famam hominis atq; exiſtimationem iracundia contaminat, idem ab alijs vitijs fit. Turpitudinem vitæ ac morum homini adfert, non debet hoc in vitiorum genere videri inſolens. Non hoc nunc agimus ut communia iracundiæ cum alijs vitijs incommoda inſectemur: in ea inquirimus, ea ad vos adferemus iracundiæ detrimenta, quæ maximè inſignia ex hoc quaſi fonte vel lerna potius ita promanant, ut hinc omnium contagioſiſſimam agnoſcere valeatis.

*Extenuatio hujus facti.*

*Altera pars*

Ipſam valetudinem affligit, corpus hominis atq; adeò naturam in oppugnatum. Exhaurit enim atq; abſumit quaſi quoddam incendium ſanguinis ſpirituumq; temperiem, perturbat ac convellit nervorum ſoliditatem, oculorum aciem præſtringuit, totius vultus confor-

mitatem ac decus labefactat, & omninò universam hominis sanitatem à statu suo deijcit. Videas enim in iracundis hominibus oculos lippientes, trementes manus, infirmos pedes, ventrem debilem mortis deniq; celeritatem. ô verè pestilens vitij genus quod non tantum famam ac vitam hominis commaculat, sed etiam valetudinem aufert & mortis adeò apportat celeritatem. Itaq; permolestum oportet esse hoc vitium ijs qui infecti fuerint: Veruntamen cum famam cum valetudinem læserit hominis, quod præterea corrumpat, nihil supererit? Imò erit. Estne igitur aliquid ultra quod homini auferri possit? Reperietur. Nam cum ijs qui sæpe tenuiori utuntur valetudine: aut per calumniam, aut alio aliquo casu famæ jacturam fecerunt in mente: atq; intelligentia commodum nonnunquam eluctandi præsidium inventum sit: etiam hanc rationis dico arcem iracundia oppugnatam atq; oppressam habet. Ira furor brevis est dixit Poeta. Quid enim sanæ mentis reliquum est? quis usus rationis? quis locus cogitandarum sententiarum salubrium quibus tanquam vitæ regulis universa consilia nostra gubernari debebant? scilicet ubi justò laxiores iracundiæ habenas habuerimus? Ut sane miserrimum hominem efficiat iracundia, à quo mentem etiam, & sic penè sibi hominem ipsum eripiat.

*Amplificatio hujus partis per exclamationem.*

*Extenuatio hujq partis*

*Conclusio.*

## CAPUT XI.

### *Alia de Amplificatione ex Granatensi 1. De Amplificatione in genere 2. De Figuris Elocutionis.*

### DE PRIMO.

Granatensis lib 3. Rhet Ecclesiast. hæc habet digna memoratu de Amplificatione 1. Quid differat ab Argumentatione. 2. De inventione. 3. De figuris Elocutionis. Differt amplificatio ab argumentatione 1. secundum materiam vel quæstiones vel conclusionem. Argumentatio probat rem esse veram: Amplificatio rem esse magnam. Differunt 2. formâ: Argumentatio ponit propositiones, argutatur vel monstrat consequentias & facit conclusiones. Amplificatio est quasi perpetuus quidam narrationis contextus. Differunt 3. fine: Argumentatio vult docere & persuadere menti. Amplificatio vult movere &

trahere voluntatem excitare gemitus, aut gaudia, aut iram aut misericordiam.

De Inventione autem hæc præcipit Granatensis, Amplificationem fieri ex locis ijsdem unde fit argumentatio vel probatio scilicet ex definitione ex partibus, ex antecedētibus & consequentibus, ex causis ex effectis, ex comparatis, ex oppositis &c. In quibus tamen hoc peculiariter attendendum sit quod illi tandem loci ad amplificandum utiles sint vel illa argumenta serviant amplificationi unde res magna appareat ut locus utilissimus sit à partibus.

Omne enim multum magnum est. Quare hæc ad monitio ad amplificandum est efficacissima, ut quod magnum ostendere velis, hujus varias partes excogites, & in has orationis generalitatem dispertias.

Secundus locus est, ut quæcunq; singularem & admirabilem faciunt atq; in auditam rem præsentem ut ea consectemur atq; colligamus. Atq; hic proderit in singularibus factis cogitare personas rem causas, tempus, locum, modum: Et hoc secundum ἄρσιν & θέσιν i. e. secundum quæ absunt & adsunt.

Porrò partes aliæ insunt aliæ adsunt. Partes insunt quæ non possunt abesse vel partes necessariæ e. g.

Actionis partes necessariæ sunt, Antecedentia, Res ipsa & consequentia. Corporis partes sunt caput pedes ventres. Partes quæ adsunt voco circumstantias & alia quæ orationis extendendæ causa accersuntur. Hinc illa genera Amplificationum apud Granatensem: primum genus à veris partibus.

2. Genus à præcedentibus sive longius repetitis initijs & consequentibus sive inculcata multitudine cōmodorum vel incommodorum: item à comitantibus scilicet circumstantijs singulis negotij explicatis. 3. à causis. 4. à locis communibus.

## DE SECUNDO.

Censet Granatensis amplificationi inservire peculiares elocutionis figuras, ex quibus ille has enumerat.

1. Descriptionem, quæ est figura, qua eas facti alicujus partes oratione prosequimur, quibus res auditoribus quasi ante oculos spectanda sistatur.

Secunda Figura apta Amplificationi nominatur ab authore ſermocinatio vel Dialogiſmus, Quando ſcilicet non tantum negocij partes narratione noſtra vel oratoris exponuntur ſed introducuntur ipſæ perſonæ de quibus narramus inter ſe loquentes.

Tertia Ethopœia eſt pars ſermocinationis quando alicui perſonæ attribuimus ſermonem, non quo uſa illa ſit, ſed quo uti potuerit aut debeat e. g. Sap. 2. Homines impij & contemtores ita ſecum ipſi: Exiguum, inquiunt, eſt tempus vitæ noſtræ, & nemo unquam reverſus eſt ab inferis. Venite curemus cuticulam, ſorbillemus vinula venuſtula, coronemur roſis &c. Item Nobis ipſi aliquando orationem affingimus e. g. Si horter ad pœnitentiam, & dicam mei A. faciamus igitur diligentem in omnes vitæ noſtræ partes inquiſitionem, cogitemus aſſiduè imprimis veſperi ubi cubitum iverimus quam rectè iſte collocatus ſit dies. Ecquid hodie, inque, Deum meum offendi, eccubi officium facere neglexi? an non hoc fieri illud omitti oportuit? an non hoc ſecus illud rectius inſtitui potuit? num forte verbum aliquod effutivi imprudẽtius? nũ in aliquo cõſilio egi præcipitantius? Videornè aut læſiſſe quem non debebam, aut deſeruiſſe qui adjutandus fuerat?

Quarta Figura Proſopopæja eſt fictio audentior, ſi & ſermonem fingas & perſonam e. g. ſi Diabolum facias loquentem, aut virtutem aliquam, aut vitium, aut patriam aut ſolem aut aliam partem mundi.

Quinta Figura Idolopæia, eſt ſi homines mortui dudum, iterum revocentur quaſi in vitam & producantur in theatrum loquentes ab oratore: h. e. ſi orator orationem aliquam attribuat hominibus dudum mortuis & fingat eos coram præſentes, auditores alloqui.

Sextò, omnes aliæ figuræ quæ faciunt orationem vehementem poſſunt huc advocari e. g. Exclamatio, Apoſtrophe præſertim ad res inanimas: Hyperbole, Interrogatio, obſecratio per Chriſtum & per Deũ & per animam, Adjuratio vel juramentum, optatio, Imprecatio, Admiratio, Itẽ illæ figuræ quæ addunt acrimoniã orationi, ut Repetitiones illæ, Anaphora, Epiphora &c. Item Antitheſis, & Homæoptoton, & Homæoteleuton. Item Paradoxon.

## CAPUT XII.

## *DE AMPLIFICATIONE ex Cicerone.*

Cicero

Cicero in libro partitionum oratoriarum hæc habet de amplificatione. Amplificatio, inquit, est gravior (h. e. cum quadam animi commotione facta) quædam affirmatio, quæ motu animorum, (h. e. commovens auditores ad dolorem, metum, spem, gaudium, misericordiam &c.) conciliet in dicendo fidem. Ea & verborum genere conficitur & rerum (h. e. Amplificatio utitur peculiari verborum genere. Præterea habet rerum quosdam locos sive peculiare genus quibus in orationem adductis fiat amplificatio.)

*Primum præceptum de verbis.*

Verba ponenda sunt quæ vim habeant illustrandi (h. e. perspicuè declarandi & quasi ob oculos ponendi, ne adducantur verba ignota auditoribus, aut alias obscuritatem habeat oratio) nec abusu sint abhorrentia (qualia sunt antiqua illa Cyrnea pro poculo &c.) grandia (i. e. à rebus magnis deducta e. g. Adhibere dolori medicinam pro consolari, divinam opem in ægritudine animi summa adhibere pro consolari) plena (h. e. perspicuæ & illustris significationis) & præterea sonantia, (i. e. quæ constant aliquo numero & spacio syllabarum, & literis grandius aliquid sonantibus e.g. Pertimesco pro timeo: cohorresco pro metuo, disceptationes pro pugna) juncta (i. e. periphrastica e. g. si dicas pro cura, curarum tempestas aut multitudo: pro probus, homo summæ probitatis) facta (i. e. composita vel derivata e. g. complures pro multi, circumspectus pro prudens) cognominata (i. e. Metonymica & synechdochica e .g. ut dicamus non homines avari sed hominum turpem avaritiam & sceleratas sordes. Non, sacerdotes contemsit; sed venerabilem sacerdotum authoritatem. Non, nihil te metuo iratum, cum habuerim hostes potentiores: sed, non metuo nubeculam frontis tuæ cum sævissimas tempestatum procellas sustinuerim) non vulgata (i. e. plebeia aut rustica aut in quibus nihil disceditur à familiari sermone) superlata (i. e. hyperbolica e. g. ut homicida appelletur parricida: homo nequam, appelletur sacrilegus. dicamus cælum lætari quodammodo hujus diei festivitate, non mirum esse si terra absorbeat illos homines) imprimis translata (i. e. Metaphorica quæ & omnem alias orationem & imprimis Amplificationem venustam faciunt, maximè si continuentur per imaginem vel Allegoriam.)

Nec in singulis verbis sed in continentibus soluta quæ dicuntur

ſine conjunctione ut plura videantur (i. e. Aſyntheton quando plures in eadem re partes copulantur ſine conjunctione, non tantum per verba ſingula ſive commota, ſed etiam in verbis continentibus h. e. per membra & cola.) Augent etiam Relata verba (i. e. homæoptota quæ ſolet Cicero appellare paria paribus relata e. g. quantum iniquitas,apud improbos poteſt, tantum innocentia apud æquos & juſtos judices valet.) Iterata (i. e. Epizeuxis e. g. crux crux inquam: item Anaphora & Epiphora: item ſymploce e. g. Quis legem tulit? Rullus &c.) Duplicata i. e. per Epanodon aut Epanalepſin aut Anadiploſin aut Epanadiploſin repetita) & ea quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus verbis ad ſuperiora (i. e. climax incrementum e. g. Veni vidi vici.) omninoq́, ſemper quaſi naturalis & non explanata oratio (i. e. ſine affectatione, ut non videatur oratio à nobis magno ſtudio accerſita & multum diſcrepans à communi loquendi uſu, ſed nobis familiaris & ſub linguâ nata, quod ajunt) & grandibus referta verbis (i. e. ſonantibus, plenis, & deductis à rebus magnis.)

Hæc igitur in verbis: quibus actio voce vultu & geſtu congruens & apta ad animos permovendos accommodanda eſt. Sed & in verbis & in actione cauſa erit tenenda & pro re agenda (h. e. negocium eſt diligenter conſiderandum, & ſingulæ partes, ut revera magna ſint quæ velis amplificare, ne ex muſca Elephantem facias) nam quia hæc videntur per abſurda (hæc i. e. verba, & actio) cum graviora ſunt quam cauſa fert: diligenter quid quamq; deceat judicandum eſt. *Præceptum ſecundum de actione: & aptitudine.*

Rerum amplificatio ſumitur ijsdem ex locis omnibus quæ valere dicta ſunt ad fidem (i.e. ex definitione, ex partibus, ex cauſis, ex effectis unde fiunt argumentationes: ſcilicet ſi illa afferri poſſint vel multa vel ſingularia inde fit amplificatio) maximeq; definitiones valent conglobatæ (i. e. multæ definitiones ejuſdem rei inter ſe continuatæ quæ ſumuntur Ex laude vel vituperio e.g. Si pro virtute dicam: Egregiũ illud humanæ vitæ decus, frenũ aureum cupiditatis animæ ſummum ornamẽtum, rerum adverſarum præſidium, proſperarum temperamentum virtus) & conſequentium frequentatio (i. e. enumeratio per partes multas eorũ quę ex præſenti negotio amplificando promanant vel cõmoda vel in commoda) & contrariarũ & diſſimiliũ & inter ſe pugnantiũ rerũ conflictatio (i.e. Antitheſes & enumerationes rerum pugnan- *Præceptum tertium de rerum ad amplificationem inventione.*

tium quæ fortè in unum atq; idem præsens negocium nostrum con-
currant, e. g. Ebrietas ex pio profanum, ex industrio ignavum, ex in-
genioso hebetem plumbeumq; facit: opes eripit, paupertatem affert,
gratia & favore aliorum spoliat, collocat in odium & invidiam: om-
nem bonam famam adimit, summam conciliat ignominiam &c.) &
causæ (scilicet enumeratæ amplificant, si illæ sint mirabiles e. g. si di-
grediaris in locum communem de providentia, aut narres ea singula-
ria quæ vel lepida sint vel erudita) & ea quæ sunt de causis orta (i. e.
effecta) maximeq; similitudines (h. e. comparationes adductæ rerum
in natura, aut saltem alius diversi generis) & exempla (i. e. fabulæ &
historiæ: in quibus narrantur res gestæ similes fortè aut dissimiles
præsenti negocio) fictæ etiam personæ, muta deniq; loquantur (perso-
næ fictæ e. g. si introducatur in oratione loquens Turcus, aut Prophe-
ta aliquis, aut Aristoteles, aut virtus. Muta e. g. si fingatur Sol loqui,
aut vinum quod homines temulenti perdunt) Omninoq; ea sunt ad-
hibenda si causa patitur quæ magna habentur: quorum est duplex ge-
nus: Alia enim magna naturâ videntur, aliâ usu. Naturâ ut cælestia,
ut divina, ut ea quorum obscuræ causæ, ut in terris mundoq; admira-
bilia quæ sunt, ex quibus similibusq; si attendas ad augendum permul-
ta suppetunt. Usu, quæ videntur hominibus aut prodesse aut obesse
vehementius. Quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam
aut caritate moventur homines ut Deorum, ut patriæ, ut parentum:
aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium: aut
honestate ut virtutum, maximeq; earum quæ ad communionem ho-
minum & liberalitatem valent (i. e. facienda est mentio quomodo res
præsens pertineat ad Deos, patriam, parentes: indeq; demonstranda
illius magnitudo.)

## CAPUT ULTIMUM.

### DE LOCIS *Amplificationis ex* ARISTOTELE.

Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 19. dicit magnitudinem rerum sive
amplificationem, esse sumendam ex istis locis partim quæ probant rem
esse bonam, partim quæ probant rem esse meliorem. Rursum Aristo-

teles loca unde probatur res esse bona exposuit lib. Rhet. 1. cap 6. Et loca nnde probatur res esse melior lib. eodem cap. 7. Ex ijs locis huc quædam repetemus 1. loca bonorum alia sunt bonorum indubitatorum: Alia bonorum controversorum vel verisimilium.

Loca bonorum indubitatorum sunt hæc.

1. Siquid per se eligendum est hoc est bonum & magnum. Per se i. e. ubi absit omne lucrum, & omne aliud commodum. Eligendum h. e. tale quod libenter facias & cupias.

2. Si cujus rei causa aliud quiddam eligimus vel facimus præsertim multa, illa res est bona & magna.

3. Quod omnes appetunt aut omnia adeò si haberent sensum vel mentem, illud est bonum vel magnum.

4. Quò naturali mentis appetitu invitamur in vita, hoc est bonum & magnum.

5. Quo præsente bene habemus, & nullâ re egemus magnoperè illud est bonum & magnum.

6. Quod efficit istorum aliquid aut simul secum trahit, hoc est bonum & magnum.

7. Omnis virtus est magna.

8. Felicitas est magna.

9. Omnia bona corporis & animi.

10. Omnia bona fortunæ.

11. Adde, Maximum est favor Dei, beatitudo & reliqua cælestia. Item horum contraria Diabolus, peccatum, Damnatio.

*Loca bonorum controversorum.*

1. Cujus contrarium malum, id bonum & magnum.

2. Cujus contrarium inimicis prodest & inimici volunt, id est bonum & magnum.

3. Cui multi student hoc est bonum & magnum.

4. Quod laudatur passim.

5. Quod etiam inimici & impij coguntur laudare.

6. Quod prudentes & optimi judicant bonum.

7. Quod proprium est, vel à nobis solis proficiscitur.


8. Rara & talia quæ nemo alius possit imitari.

9. Valde excellentia.
10. Valde congruentia circumſtantijs, perſonis, tempori, loco, &c.

Loca comparationis vel demonſtrationis unde demonſtratur res Melior, ita accommodabimus, ut demonſtrari poſſit res maxima.

1. In quo ſunt plurima numero bona vel plurimæ partes illud eſt bonum maximum.
2. Quæ efficiunt multa vel magna bona ſunt bona maxima.
3. Cujus cauſæ ſunt maximæ hoc eſt maximum.
4. Finis multorum honorum eſt bonum maximum.
5. Quo carere non poſſumus ad multa bona, eſt maximum.
6. Difficilimum: quia virtus eſt ad illud contendere.
7. Facillimum, quia ignaviæ eſt deſerere.
9. Neceſſaria. &c.










# SYLVULA
## vel
# MATERIES
## Exercitiorum

*Ex hâc tertiâ parte.*



# Nomina Exercentium in tertia parte Progymnaſmatum.

*Henricus Dubislaus à Rammin. Nob. Pom.*
*Laurentius à Reventlovv, Nob. Megapol.*
*Valentinus Sperling, Nob. Megapol.*
*Nicolaus ab Arnim, Nob. March.*
*Marcus ab Eichſtedt, Nob. Pom.*
*Chriſtianus Reineccius, March.*
*Petrus Boblin, Stet. Pom.*
*Martinus Friderici, Freinvvald. Pom.*
*Frölichius Hoppius, Stolp. Pom.*
*Paulus Sagittarius, Belg. Pom.*
*Henricus Giltermannus, Lubec.*
*Martinus Hennichius, Coslin. Pom.*
*Georgius VVarnimus, Coslin. Pom.*
*Matthias Lizovius, Rup. March.*
*Elias Berlin, Rup. March.*
*Johannes Gerardus, Stolp. Pom.*
*Jacobus Fabricius, Coslin. Pom.*
*Joachimus a Sager, Nob. Pom.*
*Martinus Chemnitius Jun. Roſt. Meg.*
*David Reclingius Gryphsvv. Pom.*
*Gothfridus Reimarus, Sileſ.*
*Valerius Carſtadius, Stet. Pom.*
*Jacobus Scammius, Luſatus.*
*Daniel VVaſſerfuhrer, Stet. Pom.*
*Joachimus Hoppius, Coslin. Pom.*
*Elias Æbelius, Lubec.*



# EXEMPLVM I. COMPARATIONIS.

# EXEMPLUM II. COMPARATIONIS: Comparatio inter Romulum & Ciceronem.

*Exordium captat benevolentiam ab excusatione suscepti argumenti. Figura elocutionis occupatio.*

COgitanti mihi instituere quandam inter Romulum & Ciceronem collationem, quod in utroq; principe, quamvis seculis multis disjunctissimo, natura sive Deus potius ita multa coniunxisset aut paria fecisset, ut dubium etiam prudentissimo cuiq; esse possit, utri potior laus debeatur cum utriq; debeatur maxima: Cogitanti hæc inquam mihi, incidit illud quod ex Tacito produci solet: Vulgus neminem sine comparatione sinit vivere. Quo Author sapientissimus ad plebejos mores refert & vulgi temeritatem, comparationem inter viros excellentes instituere. Verum ut illam vulgi curiositatem temerariam non approbo: ita non fieri adversus Taciti Sapientissimi

*Objectio.*

*Solutio objectionis.*

historici sententiam puto, si in instituto comparandi Ciceronem & Romulum perrexero. Cum enim natura ipsa quandam inter viros magnos quasi contentionem exhibeat, dum alios paribus, alios ejusmodi ingenii, fortunæ, virtutis, honoris, dignitatisq; ornamentis expoliat, ut quasi ipsa in medium proponat disceptandum, in utrum excellentiora contulerit: non videmur alienum à probis moribus facere si eam naturæ industriam simili aliquo orationis studio æmulemur.

*R. ad rationem per distinctionẽ* Vulgus quod attinet temerariè quælibet inter se comparat; opinionem potius in plerisq; sequitur, quam æstimationem verarum laudum. Alia autem est eruditorum & literatorum intentio, qui ex vera virtutis admiratione quasi in bilance appensas diversorum hominum vitæ fortunarumq; conditiones, accuratè examinant. Horum igitur propositum est adumbrare ac sectari accurationem, non ad vulgi abire levitatem &c.

*Petitio benevolentiæ.* Facite ergò æqui boniq; auscultatores ut sitis.

## COMPARATIO *ipsa.*

*Circumsta. 1. Origo.* Cicero fuit non Romæ natus, sed in oppido Arpino: Ita Romulus communen hanc habuit originis fortunam cum Cicerone, ut non in solo illo Romano sed Albæ nasceretur.

*2. Origo propria.* Romulus ex regibus oriundus fuit, Cicero ex equite.

*3. Majores.* Romuli maiores fuerunt Æneas & posteri: Ciceronis maiores ignoti.

Fiat hic contentio e. g. Debuit itaq; aliquam partem Romulus suarum laudum alienis authoribus, nempe maioribus suis: At Cicero quantus quantus extitit à seipso & virtute sua commendationem accepit. Ille quod à regibus esset oriundus spem aliquam de se fecit, quod dignus imperio futurus esset: hic prius virtute comprobavit, seq; ipsum Romano populo ad inusitata honorum nutrimenta commendavit, quàm eveheretur &c.

4. Romulus natus est ex concubitu illegitimo: Cicero ex legitimo (potest fieri contentio) Frater fuit Remus: Charus quidem Romulo verum usq; ad imperium. Cum enim regni socium hunc tolerare non posset, prætenta violatæ legis specie, de non transiliendo muro publico affecit supplico. Cicero fratrem Quintum constanti &

5. perpetuo amore conprehendit.

Educatus fuit Romulus inter rusticos, nempe apud Pastorem Faustulum & uxorem huius Laurentiam Lupam meretricem. *Comparatio naturæ.*

Adolescentiæ studia fuerunt, pecoribus pascendis præesse. Cum aliquantulum adolevisset ut videas quid natura possit, regem sæpe egit inter pueros rusticos. Tandem ætate juvenili arma tractabat, & impatiens publicorum facinorum, coërcebat latrocinia pastorum. Hoc ille ingenij specimen dabat. Longe maius ac præclarius Cicero: scil. quo educatus fuit honestius, inter philosophos & in scholis. Nam cum puer primum præceptores auscultaret, facile omnes ingenij industriaeq; felicitate superavit, ut nominis sui fama etiam graves viros ad puerum hunc visendum in scholam alliceret. Primum poeticæ operam dedit: deinde ad eloquentiam animum applicuit. Demum ad philosophos. In singulis tantum præstitit: ut commilitonibus difficile esset Ciceroni non paribus quidem sed secundis esse. Neq; a militia abhorruit, sed sub sylla tyrociniũ edidit. Ætatis anno 26 orationem dixit in foro elegantissimam & gravissimam illam pro Quintio: item alteram pro Roscio, qua Syllæ apud populum Romanum, & sibi apud Syllam gravem invidiam conflavit. (Fiat hic contentio per simile) Quemadmodum frutices & arbores agrestes ejusdem sunt naturæ fere cum ijs, quæ in hortis nostris alimus: fructus tamen & fætus longè uberiores, blandiores & delicatiores ex his quam istis carpimus, propter culturæ assiduitatẽ: ita in humanis ingenijs fieri censendum est &c.

*Scientiæ comparatio*

Romulus sub magistro suo Faustulo rem quidem rusticam didicerat: verum ingenij bonitate, & sub se ipso magistro vel proprio experimento rem militarem ita percepit probè, ut non solum strenui militis sed optimi imperatois officio functus sit.

Solet enim Deus penes quem omnis imperiorum distributio est, eos, quos ad dignitatem evehere vult, & necessariis ad eam rem donis instruere. Cicero vero non tam natus ad res magnas administrandas, quam sua virtute factus videtur: ita à puero diligentissimè ijs artibus incubuit, quæ in principe, cui Respub. commendanda est, requiruntur: Eloquentiam dico, philosophiæ cognitionem, variam non historiæ Romanæ tantum, sed omniũ fere rerum a nationibus exteris gestarum eruditionem. (potest fieri contentio Eloquentiæ cum peritia rei militaris. 2. imperatoris vel magistratus aphilosophi, & philosophi) *Αἰτιολογία.*

Præterea Cicero etiam non fuit alienus à rei militaris peritia: quod probavit in bello difficillimo adversus Parthos: ubi ab exercitu imperator salutatus est; & Romæ triumphus illi oblatus.

*Mores.* Primò in Romulo fuit insignis fortitudo bellica scilicet in hostibus vincendis. Et hujus virtutis probandæ multiplex occasio data, quod vicinæ gentes initijs Romæ felicissimis inviderent armisq; obsisterent. Prælia igitur gessit multa, multos reges ac principes devicit, civitates ac nationes imperata facere coegit. Imprimis memoratu dignum est quod in bello adversus Hetruscos, cum hostium cecidissent quatuor & decem millia, Romulus plusquam dimidiam partem proprijs manibus trucidasse fertur. Cicero verò magis à togata, ut vocant, fortitudine commendatur: h. e. animi quadam constantia in sententijs dicendis, consilijsq, pro Reip. salute dictis tuendis.

Hinc ille longe præclariori victoria non hostes sed cives, non singulatim sed confertissimè pugnantes, neq; plebem tantum, sed principes: & quidem sine vulnere ac sanguine vicit: eoq; plane eventu, ut & Ciceroni vincere gloriosissimum esset, & adversarijs vinci saluberrimum.

Secundò Cicero fuit singularis innocentiæ: Romulus non caruit supicione injustitiæ, quod senatum authoritate sua privaret, nimiumq; potestatis sibi arrogaret. Cicero fuit humanissimus: Romulus nihil minus.

*Res gestæ.* Romulus urbem ædificavit & vindicavit ab injurijs variorum hostium. Cicero conservavit & domesticorum hostium flammas prohibuit.

*Mors.* Romulus creditur à senatoribus interfectus quibus tamen illos honores concesserat. Cicero ab Octaviano neci destinatus in gratiam Antonij, quem Octavianum Cicero senatui honorificentissimè commendaverat, & ad tantam protestatem povexerat.

Romulus inter Deos relatus & immortalitati consecratus est à civibus suis. Cicero ipse monumenta memoriæ nunquam intermorituræ in scriptis suis sibi erexerat.

Conclusio per præteritionem e. g. Non fugit me posse etiam alijs partibus multis comparari inter se Romulum & Ciceronem: si

non

non illud potius spectandum esset, ut satietati auscultandi occurratur, quam orationis indulgeatur prolixitati.

## *Exemplum III. Comparationis.*

# Comparatio inter Alexandrum Magnum & Julium Cæsarem.

### *Exordium à commendatione præsentis argumenti.*

CUm plena sit jucunditatis atq; admirationis ea consideratio, qua virorum à virtute & rebus gestis clarissimorum vitæ rationes atq; instituta perpenduntur: tum plurimum delectationis in hoc meditationis genere accedit inde, si insignia quædam aliorum exempla adjungas, inter quos quasi certamen & contentio quædam fuerit de virtutis excellentia. Fit enim in hac comparatione, ut dum dubitamus quibus major laus tribuenda sit, admirabilior in omnibus atq, insignior appareat Commendatio, majoremq; sui apud nos amorem admirationemq; excitet.

Itaq; non abs re mihi facturus esse videor, cum de Alexandri vita ac gestis rebus dicere instituissem: si orationem meam patiar in perpetua Alexandri cum Julio Cæsare comparatione versari. &c.

Alexander Magnus à rege natus fuit Philippo Macedonum potentissimo. In majoribus vero etiam Deos numerat, nempe Herculem, ratione patris: & Jovem in familiâ maternâ. Patria regio Macedonia est celebris Alexandri & Philippi virtute. Julius Cæsar à cive quidem natus est. Originem tamen etiam à regibus habuit, nempe Albanis, Ænea scilicet & hujus posteris. Et sic Venerem Deam authorem habet familiæ suæ. Patria autem fuit Roma rerum domina. *Circumsta. 1. Origo.*

(Fieri hic potest contentio) Alexander patrem clariorem habuit, Cæsar patriam. Ille igitur aliquem nominis & celebritatis suæ lucem ac claritatem parenti se debere negare non poterit: Hic autem non tantum nihil ad honoris ea fastigia, ad quæ conscendit, à parentibus adjumenti accepit, verum etiam obscuris ijsdem ferè hominibus gloriæ immortalis nunquam intermoritura monumenta primus constituit &c.

2. Circumst. Educatio.

Alexander etiam puer egregia edidit animi magni ſpecimina. Bucephalum equum tredecim talentis emtum, quem nemo attingere audebat, ſibi domandum tradi poſtulavit, & in patris conſpectu, quamvis recalcitrantem conſcendit, calcaribus impulit, & iterum habenis contentis retorſit, patre præ gaudio collacrymante.

De patris victorijs quando domum renunciatum erat, reliqua aula gratulationibus perſtrepente, Alexander puer ſolus triſtis incedebat, nonnunquam inlachrymabat. Et quid inquit ad comites ſuos, mihi olim erit negotij? quæ gloriæ materies? ſi ita pater perrexerit omnia occupare. Sedecim annos natus, patre abſente, adverſus Megarenſes deficientes bellum ſuſcepit, & perfecit feliciter &c.

Julius Cæſar verò & ille quidem ea præclara virtutis fundamenta ætatis initio ſtruxit, quorum non facile alium quenquam pænitere potuiſſet: verum ipſum tamen pænituit, quod ad Alexandrum Magnum comparanda non viderentur.

Quanquam verò celeriorum ingenij ac naturæ fructuum prærogativam ultrò ceſſurus eſſe Alexandro Cæſar videtur: tamen quò ſerius ad virtutis in Alexandro æmulationem acceſſit, eò gravius ac vehementius fuit illud contentionis ſtudium: ut quò tenuiora in Cæſare initia, eò ponderoſiora victoriæ atq; eventus monumenta exiſtant. Accidit enim in humanis ingenijs atq; fortunis, id quod in fruticibus, herbis atq; arboribus contingere videmus, ut quædam breviſſimo temporis curriculo, inſignem atq; admirabilem proceritatem atq; amplitudinem occupent, Verum citiſſimè defloreſcentem: alia occulto quaſi, ut cum Poeta loquar, ævo ſuccreſcant, ſed robore quodam conſolidato & adverſus tempeſtatum, aliusq; corruptionis pericula probè communito.

3. Circumst. ſcientia.

Alexander Magnus præter rei militaris peritiam quam non alienis præceptis ſed ſuis imperijs imbiberat, etiam ex Ariſtotelis ſchola excellentem Philoſophiæ cognitionem ad imperium attulit. Præterquam quod in Medicina tantum profecit, ut nonnunquam amicis ægrotantibus opem adhibuerit. Iulius Cæſar nusquam quidem Philoſophiam attigiſſe commemoratur: quod hujus tempore hæ literæ Romæ non magnifierent: interim eloquentia, quæ tum Romæ regnabat, & à Cicerone, unà cum militari diſciplina, imperatoria ars vo-

Cic. pro Murena.

cari solet, tantum profecit, ut Romæ secundus à Cicerone numeraretur.

(Fieri poterit contentio eloquentiæ & Philosophiæ.)

Alexander audacissimè in pericula se conjecit: ut etiam hoc nomine ab amicis sæpius reprehensus fuerit: primus in acie pugnare solebat, primus murum conscendere, fluvios clypeo innixus tranare. Julius Cæsar magis id metuere visus est, ne hac parte ab Alexandro relinqueretur quam ipsa pericula: ita sæpe sine omni evadendi spe, certissimo, non dico periculo, sed exitio se commisit: quando cum hoste bis tantis atq; amplius viribus instructo signa conferre, quando intempestivo ad navigandum mari navigare, imò quando in mari natare nihil veritus est. *4 Circumst. Morum cõparatio 1. Fortitudo.*

Uterq; intemperantior fuit, ille in poculis, hic in libidine (fiat contentio utrum vitium pejus sit) Alexander vicit Persas, gentem quidem potentissimam, verum rudiorem artium militarium: Julius Cæsar non Hispanos tantum nationem bellicosissimam: non Gallos in armis exercitatissimos: non Britannos & Germanos ferocissimos: verum etiam ipsam Romam, ante ea tempora Dominam terrarum invictissimam, in suam subjecit potestatem. *2. Temperantia. 5. Circumst. Res gestæ.*

Alexander Monarchiam constituit Græcorum vel Macedonum: Julius Cæsar Romanorum. *2. Res gestæ.*

Alexander superbius gessit se in dominatu, Cæsar humanius. *Fortunæ.*

Alexander præsagium imperij habuit equum cum bovillo capite: Julius Cæsar equum cum humanis digitis.

Alexander Magnus perijt vini insidijs: Julius Cæsar amicorum. *Vitæ exitus.*

## *Exemplum IV. Comparationis.*

## Comparatio inter Aaronem Sacerdotem summum, & Josephum patriarcham.

*Exordium à commendatione argumenti.*

*Figura elocutionis, Similitudo.*

SI rectè fit A. ut hominum piorum, & à prudentia celebrium præ-
conium aliquod suscipiatur, in eorum conventu & confluxu, qui
ad earundem virtutum laudem contendunt: eodem jure fieri puto
posse, hoc est summo vestro consensu, ut in hoc conventu vestro, de
vita, moribus ac fortunis Aaronis sacerdoris dicam, & ita quidem ut
perpetua quadam contentione hunc cum Josepho patriarcha compa-
rem. Nisi etiam quod verè mihi arrogare posse videor, melior hujus
argumenti conditio futura est, quam illius simplicis laudationis, de
qua initio mentionem injiciebam: Sive enim propter exemplum ju-
cunda est alienæ virtutis consideratio, sive ipsa per se plurimum de-
lectationis adfert: certe utrumq; præclarius duobus istis per conten-
tionem propositis viris magnis consequemur, quam ex unius illius lau-
dis solitudine &c.

*Captetur benevolentia.*

1. Communis patria vel potius exilij locus fuit terra Canaan.
*1. Circumst. patria.* Quam Joseph puer vidit: Aaron procul tantum de monte quodam
excel'o aspexit. Uterq; ea in re admonitus per divinam gratiam, pi-
js patriam suam nusquam inveniri hic in terris istis, verum a cælo usq;
expectari.

Deinde exularunt uterq; in Ægypto: unde quidem Aaron vivus
exijt: Josephus autem olim populum suum exiturum esse in Spiritu
prævidit: & ut ossa sua mortui una aveherentur demandavit. In eo
igitur felicior fuit Aaron, qui cum in captivitatem Ægyptiacam ætas
ipsius incidisset, mirandam populi liberationem sub ipso ac fratre du-
cibus, toties patribus promissam coram aspexit. Verum ea felicitatis
parte Josepho concedit Aaron: quod hic Pharaonis servitio & se &
populum suum oppressum vidit, cum ille universæ non tantum aulæ
Pharaonicæ sed regioni Ægyptiacæ dominaretur.

*2. p. Originis, Majores.* Majores Partim communes, nempè primi illi populi hujus au-
thores, Jacobus, Isaacus, Abrahamus: partim proprij Aaroni. Quan-
tò Josephus communes illos parentes propius attingit, cò plus vide-
tur gloriæ, quasi per hæreditatem propiorem ad ipsum devolutum es-
se quam ad Aaronem nostrum.

Verum si & illud consideremus: promissiones Abrahæ & semi-

ni ejus factas magis spectasse illa tempora, quæ ab Abrahamo remotiora sunt, & Aaronis seculum propius stringunt: Videbitur illud in duobus his heroibus accidisse, quod in arbore aliqua nobiliori. Hic enim eæ partes, quæ à radice absunt propius, plus quidem roboris sustinent: verum quæ abierunt remotius à stipite, & in quandam tenuitatem se effuderunt, ut fructuum aliqua spes jam ab istis nobis fiat, hæ inquam, nobis chariores & in majoribus delicijs sunt. Tantò ergò charior Aaron divino numini, qui ad hanc temporum felicitatem reservatus, quibus divinarum promissionum quasi fructus aliquis atq; eventus sperabatur, præ Josepho, qui ab eadem longe remotus fuerat.

Nativitas utriusq; ejusmodi fuit ut facilè etiam hinc conjectare posses, ad singularia quædam & præclarissima munera obeunda ambos illos viros divinitus destinatos esse. Josephus matre natus fuit Rahele multis annis sterili, quæ tamen hunc filium suum Josephum tandem à Deo precibus impetravit. Aaron ex fæcundo quidem natus fuit conjugio sed infelici seculo, quo scilicet multæ infantum innocentes animæ per Pharaonis tyrannidem prius ex luce ista abreptæ sunt, quàm eam sensissent. Ut miraculosa quadam conservatione Aaron infans ex cruentis Pharaonis manibus extortus sit, qui deinde populum suum liberaret. Josephum fratres perdere volentes in Ægyptum vendunt avehendum; quo tamen facto maximè servarunt. Obstetricibus id datum erat negotij à rege ut Aaronem in nativitate, quemadmodum reliquos Iudaicos pueros fraude tollerent; quarum tamen pietate ille tyranni crudelitatem maximè evasit. 2 Circumst. Educatio. 1.Nativitas

Eruditio, Utriq; contigit ut ijs artibus à quibus nunc potissimum eruditionis existimatio capitur parum imbuerentur. Josephus enim inter opiliones, Aaron in officinis lateritijs educatus fuit: tantum tamen abfuit, ut ea neglectioris institutionis calamitas quicquam ipsorum sapientiæ in adultiore ætate derogaret, ut etiam ultrò ad magnitudinem summæ admirationis ingentem cumulum adjiciat, quod in tam excellenti utriusq; prudentia, nullorum humanorum præsidiorum adjumenta ac vestigia appareant. Aaron enim universi Israelitici populi sacris præsedit, & de controversijs respondit: Iosephus Ægyptiacum regnum prudentia suâ administravit (Fiat contentio in-

ter politicam & Theologicam facultatem) Quanquam in utroq; eæ extiterunt virtutes inter quas difficilis omnino futura est comparatio: Maximè si non id tantum spectemus, ut paria in ambobus esse laudum monumenta commonstretur, verum etiam ut utri potiores & priores commendationis partes debeantur scire libeat: tamen & ea in quibus aliqua convenientia est morum, commodè præteriri non possunt: & sunt præterea quidam sui utriq; ita proprij mores, ut alter alteri haud invitus in ijs concedat. *Mores.*

*1. Temperantia.* Temperantia fuit in Josepho singularis, quam optimo jure heroicam dicere posses. Abstinuit enim à conjuge herili juvenis, qui ab ætate pelliceretur, neq; ab hac tantum, verum etiam ab herili conjuge ipsa: præterea proposita præter præmia etiam impunitatis certissima spe: imò cum videret vitæ summum periculum imminere sibi si recusasset; maluit tamen ille fidelis erga herum esse quam videri, & Dei sibi quàm heræ incolumem gratiam.

*Concessio.* Hîc sane fatendum est, non occurrere in Aaronis vita quod cum ea animi fortitudine comparemus. Nisi illud afferre placeat, quod cum Israeliticus populus graviter Deum offendisset, unus Aaron inventus sit, qui arrepto thuribulo, in medium procurrens, iram divinam adversus populum jam invalescentem placare atq; extinguere ausus sit. *Monstratur similitudo.* Inusitata est ea atq; inaudita Iosephi continentia: nec minus hæc animi præsentia in Aarone. Ille heram hujusq; preces & minas injustissimas superavit: hic Dei justissimam iracundiam mitigavit & compressit. Ille suam unius animam ab impudicitiæ macula castam integramq; custodijt, hic verò universum populum ab internecione certissimâ expedivit.

*2. Magnanimitas.* Uterq; honorum quidem minus appetens, ad eosdem tamen summos pervectus est, & ita usus, ut facilè appareret sub sordido pueritiæ pallio magnos utriq; animos latuisse. Iosephus præfectus regius summam regni Ægyptiaci sibi concreditam habuit. Aaron princeps sacrorum fuit; saluti maximæ fuit regno Ægyptiaco illius administratio: nec minus Israelitico populo hujus præsidium.

*3. Candor.* Candor primum in Josepho dum heræ suæ injurias ita patienti fert animo, ut carcerem non recuset, potius quam illius perfidiam pro-

dere velit. Ita Aaron deprecatur apud dominum frequentes populi ſeditiones, potius quam illum ultrò accuſet.

Primum Joſephus parentem & fratrem, univerſam Iſraelitarum familiam in Ægyptum vocavit, regionem propriam quandam habitandam dedit terram Goſen: Regi eam fidem præſtitit, ut omnem Ægypti agrum huic coemeret. Aaron populum ſuum eumq; multò numeroſiorem, & tyrannide Ægyptiorum oppreſſum, ab exilio illo Ægyptiaco eduxit: & non in ipſam quidem Cananæam regionem poſſidendam, veruntamen in limine ejusdem conſtituit. *Res geſta.*

Primum fiat repetitio plerarumq; partium: ſecundo agantur gratiæ Deo, qui iu Eccleſiæ ædificationem non ſatis habeat unis aliquibus temporibus mittere viros clariſſimis donis illuſtres, verum etiam eadem in plures aliorum atq; aliorum ſeculorum conferat &c. *Concluſio.*

## *Exemplum V.*

## Comparatio inter Chriſtum & Archangelum Michaelem.

*Exordium dicat rationem ſuſcepti hujus argumenti à conditione præſentis temporis. Figura elocutionis ſimilitudo.*

IN convivijs hoc facere ſolent, ut eam ſermonum materiam requirant ab ijs qui una adſunt præſentes, quæ ad hilaritatem & convivarum delectationem aliquam pertineat. Quod in hunc finem inſtitutum illum conventum dicamus, quo animi mutua aliqua jucunditate perfruantur ac recreentur.

Idem eò potius in ſerijs negotijs obſervandum eſt, quò horum negotiorum, dico certior quam otiorum ratio conſtare debet.

Quid igitur huic tempori convenientius? aut quodnam ad dicendum argumentum aptius eligere poteram? Quam ut Archangeli Michaelis, cujus nunc in Eccleſia laudes concelebrabuntur, comparationem quandam cum Chriſto ſervatore noſtro inſtituam? vel illud demonſtrem, nullum alium eſſe eum quem Archangelum Michaelem prædicamus, quàm ipſum dulciſſimum caput noſtrum ac ſummum patronum Chriſtum mundi ſervatorem. In qua opera dum verſor vos

quæſo obteſtorq́; A. per eam pietatem veſtram, quam Servatori noſtro debetis, ultroq́; præſtabitis, vacuas attentasq́; aures mihi patefaciatis.

*1. Circumſt. Naturà quò pertinet 1. Nativitas & nomen.*

Principio Michael angelus eſt, h. e. Spiritus, eſt eſſentiæ cujusdam, ut cum Philoſophis loquar, ſpiritualis. Dum autem Spiritum dico intelligi volo de re aliquâ plane humanis ſenſib9 incognita, atq́; adeò incomprehenſibili: vel ut dilucidius me expediam: quando ſpiritum dico eſſe angelos, hoc cum Chriſto noſtro dictum atq́; intellectum volo, Angelos neq́; carnem neq́; oſſa habere, aut aliquid corporearum rerum eſſe. In eo primum convenit Michael cum Chriſto noſtro. Etenim etiam Chriſtus Angelus eſt Malach. 3. Et ſpiritus, Deus enim ſpiritus Iohan. 4. Imò omnium ſpirituum pater ac conditor.

*2. Circumſt. Matth. 22.*

Michael nativitatis originem aut parentes aliquos ſuos agnoſcit nullos: non enim humano more per nuptias copulantur Angeli: ſed in mundi primo exordio univerſi a Deo eadem creationis opera exſtiterunt. Deum tamen patrem ſuum agnoſcunt atq́, appellant Iob. 1. v. 1 cap. 38. v. 13. Chriſtus noſter eadem gaudet excellentia, niſi quod eam longè majorem conſecutus eſt. Nam ſecundum divinitatem nullos & ille parentes è creaturis quidem habet: Deum verò patrem ſuum appellat verum, cum quo ille unus & idem Deus eſt, ab æterno genitus & ante æternitatis tempora. h. e. nullo unquam facto hujus generationis initio.

*3. Circumſt. Mores.*

Commendatur Michael imprimis à ſingulari fortitudine. Id quod ipſo nomine indicatur. Dicitur enim Michael, ſi ad verbum interpreteris, Quis ſicut Deus? vel quis ſe cum Deo roboris & virium paritate comparare audebit? Unde etiam non tantum in ſubſidium aliorum Angelorum iterum iterumq́; vocatus fuit: Dan. 10. v. 21. verum etiam dignus habitus, qui æterno illo & ἀσπόνδῳ adverſus diabolum prælio imperator crearetur Apocal. 12.

*Απόδοσις*

Atq́; hic dubium nullum eſſe poterit, quin iſte Michael Archangelus nihil præter nomen à filio Dei diverſum habeat: atq́; illud quidem ejusmodi, ut ſecundum literas quidem alium aliquem, verum ſecundum abſtruſiorem & penitiorem ſenſum neminem quam ſervatorem noſtrum indicet. Quis enim ille eſt qui eſt ſicut Deus, vel parem cum Deo potentia? niſi filius, qui paribus vel iisdem potius cum patre, viribus valet. Quis ille angelorum omniumq́; dominationum

cæle-

cælestium princeps & caput? nisi servator noster Christus super omnes dominationes evectus? Ephes. 1. Philip. 2. Rom. 8. & ab omnibus angelis adorandus?

Michael Archangelus depugnat pro Dei populo Dan. 12. v. 1. ut eos salvos faciat: atqui hic non est aliqua creatura, non aliquis Angelus aut Archangelus: sed ipse de cælo Dominus. Non enim quisquam unus vel hominum vel angelorum hoc poterat, ut nos ex diaboli potestate explicaret, aditumq; ad salutem nobis communiret: nisi ab ipso Domino suscepta fuisset tanti oneris & difficultatis provincia. Porrò Michael Archangelus Diabolum vicit, atq; è regno cælesti deturbavit Apocal. 12. & hoc sane prædictum fuerat, fore ut Diaboli tyrannis infringeretur. A quo verò? num ab aliquo è reliqua cælestium Spirituum turba? imò a mulieris semine: ut habet quidam in Moyse textus: quod est ab ipso Christo nostro: hic caput serpentis vel Draconis conterit secundum Moysen, vel ex D. Iohannis visione Diabolum è cælo expellit, h. e. potestatem in humanum genus abjudicavit atq; ademit. Neq; enim debetis cogitare Diabolum aut caput habere osseum aut pelle tectum, vel hactenus in cælo post januam stabulasse. Spiritus divini mysteria illa sunt, quibus illa visionum & verborum ad nostrum captum accommodatorum quasi integumenta atq; involucra injecit: quod intelligentiæ nostræ infirmitas minus caperet, si illa suis h. e. cælestibus verbis efferrentur. *4 Circumst. Res gestæ.*

Caput igitur diaboli calliditas scelerati illius Spiritus est: tum dominatus tyrannicus in humanum genus nostrum: quo a cælestis hæreditatis aditione, jure eo quod propter peccata nostra habebat traditum, nos arcessebat. Ab eo jure per Christi redemtionem exclusus, a cœlo dejectus esse dicitur. Neq; unius horæ ea est expulsio: sed perpetua adversus Diabolum fidelissimi Michaelis nostri contentio. Quamvis enim ille Diaboli immanitatem dudum pedibus suis subjectam habet sanguinis sui merito: tamen ei etiam nunc usq; ad mundi finem pro nobis depugnandum est, ut & sub nostros pedes Diabolum conterat Rom. 16. v. 20. Quod ita intelligere debetis: peperisse quidem Christum nostrum universo mundo ex diabolica potestate liberationem: verum eos tandem huius victoriæ beneficio frui, qui per fidem Christo se adjungant. Hæc igitur pugna est atq; concerta-

tatio, ut fidei primum compotes fiamus, deinde in eadem semel percepta consistamus &c.

*Conclusio.* Sed redeat unde digresa est oratio: intellexise vos spero, Michaelem Archangelum tam similem esse Christo nostro, ut nemo sibi ipse similior. quod & origo & nomen: fortitudo præterea & beneficia deniq; in nostrum humanum genus, quæ à Michaele profecta dicuntur, planissimè in unum Christum nostrum conveniant.

## *Exemp. VI.*

## Comparatio Alexandri Magni cum Salomone.

*Exordium modestiæ causa, rationem reddit hujus instituta Comparationis. Figura Elocutionis Occupatio.*

SI quisquam est A. qui ita sentiat, ea ad dicendum argumenta afferenda esse, quæ ab Auditorum auribus non abhorreant: si idem audiat præsentis orationis nostræ illud argumentum esse, ut Salomonem Iudæum Regem pari nominis rerumq; gestarum splendore fuisse monstremus cum Alexandro magno, & audaciæ alicuius hoc institutum nostrum condemnet: rogatum eum volumus, ab ea damnatoria sententia abstineat, donec justam consilii nostri rationem cognoverit. Etenim ita more comparatum est, ut â vulgi judicio non libenter discedamus. Vnde cum notiores sint ex Ethnicorum historiis Alexandri Magni laudes: Salomonis autem rarior in vulgus mentio: hinc factum est, ut nemo è vulgo dubitet, quin hic ad illius laudum magnitudinem nunquam aspirare audeat. Veruntamen si rem penitus introspiciamus: & si benevolentiam attentionis vestræ polliciti mihi fueritis, faciam Deo dante, ut animadvertatis, aliter sæpe vulgus de magnorum virorum laudibus arbitrari, nempe ex temeraria quadam opinione: aliter ex veritate de iisdem iudicandum esse.

*Propositio.* Sentio igitur Salomonem eâ fuise natalium, morum, scientiæ, rerumq; gestarum amplitudine ac nobilitate: qui non solum cum Alexandro Magno æquiparari, verum etiam eidem longe anteferri jure meritoq; possit.

Alexander oriundus fuit ex Macedonia Græciæ provincia, ignobili illâ ante Alexandrum & Philippum. Salomon originem ducebat ex terra ſanctâ divinitus benedicta lacte & melle fluente, adeoq́, inuſitata quadam omnium rerum feliciſſimarum copia abundante. Fiat contentio: Si patria non minimam obtinet partem in laudibus clariſſimorum virorum: dubium non eſt, quin quo quiſq́; clariori patria ortus eſt, tantis partibus poſt ſe relinquat alios obſcuriori atq; ignobiliori prognatos locu. Certe Alexander Magnus nō mereretur alterum tantum imperii, quanquam ſitientiſſimus gloriæ erat, ut ex ignobili quodam Indiæ, aut Thules, aut alio mūdi loco prodiiſset: Fateatur igitur neceſſe eſt tanto inferiorem ſe Salomone eſſe, quantò illuſtrior hujc benignitate divinâ patria contigit.

*1. Circumſt. origo, cōmunis vel patria.*

Accedit quod in Salomonis regno Deus ipſe naturæ author ſedem ac templum ſuum locatum fixumq́; habuit: quem Alexander Magnus adeò ignorabat, adeoq́; ab ſe remotum habebat, ut pro vero illo numine, peſſima Cacodæmonum monſtra templis ſacriſq́; veneraretur. Id quod in magnâ in Salomone quidem felicitatis atq́; excellentiæ: in Alexandro verò infortunii ac calamitatis parte collocandum eſſe planiſsimè ſentio.

*2. Deſcriptio patriæ.*

Alexander patrem habuit Philippum Macedonem prudentiſſimum virum, acerrimum bellatorem, & ducem feliciſſimum: qui Macedoniæ fines longè lateq́; extendit atq́; propagavit. Salomo vero noſter ex eo parente in hanc lucem ſuſceptus eſt, qui ſine omni plane negotio is fuiſſe demonſtrari poterit, ad quem Philippus ille Macedo nullo modo comparandus fuerit. Hic enim multas quidem urbes & regiones cepit, plures tamen fraudibus, quàm juſtis præliis: quod in more poſitum haberet: auro prius experiri omnia quam armis. Vnde etiam in vulgus abiit, & creberrimis uſurpatur ſermonibus, quoddam eius dicterium, quod ille cuidam de civitate quadam prædicante, eſſe eam armis inexpugnabilem, reſpondiſse fertur: num etiam auro onuſtus aſinus ejus urbis mænia tranſcendere poſset? David verò Salomonis parens, præterquam quod numero ſubjectarum ſibi regionum Philippum regem longè ſuperet, nulla proditione unquam aut artibus malis, ſed ſola fortiſſima manu adverſus hoſtes uſus eſſe legitur. Accedit, quod Macedo plurimos hoſtes ſuos prius opprimendo

*Origo propria vel parentes.*

*Ἀπόδοσις*



fecit,

fecit, quam se ab eodem aliter, quam amicorum & sociorum loco haberi sentirent. David verò neminem unquam in pace à majoribus acceptâ aut petitâ turbare, aut ullam nisi intentatam hostilem vim propulsandam adversus quenquam suscipere voluit. Itaq; ille quidem Macedo cum plurima bella gessisset, plurium tamen exhauriendam molestiam subditis & filio à morte sua reliquit. David autem cum multas gentes belli offensione abs se alienasset, ita tamen ea bella gesserat, ut simul cum adversorum armorum devictione animos suorum hostium ita fregerit, ut & Davidi seni, & post hunc filio ejus Salomoni summa voluntate parere, imperata facere, tributa solvere maluerint, quam imparibus viribus, & injusta contentione adversus eosdem rebellare &c.

*Nativitas.* Venio ad nativitatem, quæ utriq; digna tantis heroibus & à prodigiis admiranda contigit: longè tamen illustrior Salomoni. Alexandri mater Olympias cum uterum ferret, visus est sibi Philippus pater secundum quietem videre ad uxoris uterum affixam bullam cum leonis insignibus. Consulti arioli responderunt prægnantem esse Olympiam: parituram autē esse marem leonini, h.e. excellentissimi animi. Et hæc quidem præsagia Alexandro obtingeban: Præclariora illa Salomoni. Etenim huius nativitatem, tum regni felicitatem, non per somnia Dæmon aliquis, sed apertis vaticiniis ipsum diuinum numen, prædicebat. Addebantur etiam honorum insignia, ut non quidem sub figurâ leonis pingeretur, sed filij Dei appellatione honestaretur.

*4 Circumst. Mores.* In Alexandro Magno fortitudo bellica: in Salomone togata. In Alexandro primis quidem annis singularis confidentia, in postremis immanissima ad omnes libidines profusio. In Salomone constans quædam ac perpetua vitæ moderatio. In Alexandro magnificentia quædam, in luxu ac splendore aulæ; Sed major in Salomone. Magnanimitas summa illa in Alexandro: major in Salomone. Alexander

*5. Eruditio scientia.* Philosophus fuit: Salomon non humanâ, verum divinâ: plane non Physicarum tantum rerum atq; omnium earum, quæ in hominum scientiam cadunt, peritiâ, verum etiam cælestium cognitione adeò stupendis fuit, ut meritò sapientissimus omnium, qui ex homine nati sunt, prædicetur.

1. Alexander fuit bellis insignis: Salomon pace (comparentur hîc belli incommoda cum pacis commodis) Alexander Magnus urbes devastavit: Salomon exædificavit 3. Alexander Magnus potissimum celebratur à devicta & debilitata Persarum potentia. Salomonis præclarissimum omnium opus fuit, quod Templo Hierosolymitano constructo, religioni illi certam fixamq; sedem constituit: (Fiat hic comparatio horum duorum operum) 6. Res gestæ.

Illum vinum; hunc mulieres perdiderunt. 7. Mors.

Repetat summam dictorum cum propositione. Conclusio.

## *Exemp. VII.*

## Utrum Vinum, an Rex, an verò Mulieres, vel tandem veritas sit fortior & præstantior.

### *Oratio I. Præparatoria.*

#### *Dicetur 1. Summa.*

DArius Persarum rex magnificum convivium instituerat: in quo omnes provinciarum præsides liberaliter prolixeq; excipiebat. Inter pocula, ut fit, sermo incidit de admirandis vini viribus, quodq; homines etiam potentissimi hujus quodammodo imperio parere cogerentur.

Alius verò de vino illud negare: mulierum contra dominationem extollere cæpit. Inventus porrò est qui eam vim longè lateq; omnibus rebus dominandi, indignum censeret ad vinum aut mulieres potius quam ad reges rerum dominos referri. Tandem etiam quidam pro veritate quædam in medium afferebant, quod hujus potestatem summam esse ac maximam dicerent. Cum placuisset ea plena eruditionis & jucunditatis contentio Dario regi, per præconem proclamari jussit: ut si qui essent qui dicto die in consilio principum eam rem diligentius meditati, de singulis sententijs verba habituri essent: promittere regem ei, cujus oratio proximè à veritate absfutura esset, munera planè digna magnificentiâ regiâ: nempe ut purpurâ ei uti liceat: tum aurea vasa plurima, lectulos aureos, aurea frena, byssinam to-

gam & torquem. Et præterea ſecundum à rege habitum illum iri.

Poſtero die convenit inter regis cubicularios, ut ipſi inter ſe hanc diſceptarent controverſiam. Itaq; literas ad regem miſerunt quibus eam voluntatem ſuam, & quam ſinguli partem defenſuri eſſent ſignificabant. Perplacuit tũ id regi quod ita eruditis uteretur cubicularijs. Indictus eſt principum conventus: cui ipſe Darius interfuit. Hic in medium prodiere juvenes illi: pro ſe quiſq; diligenter dixit ſententiam. Tandem pronunciatum eſt Zorobabelem veriſſimè omnium dixiſſe, qui primas veritati aſſignaverat. Eam litem ſuam fecerunt quas adeſſe videtis adoleſcentes. Quod illud jam non tantum more vulgato liceat: verum etiam magno ſtudiorum commodo fiat: ut cum ille eloquentiæ uſus ſit, de rebus ſcilicet ſerijs in Repub. ſententiam dicendi: multò ante in ſcholis exerceamur, aliorum agendis ac ſuſtinendis perſonis fictis, horumq; verbis dicendo ea, quæ ad illorum ſententiam videantur quàm proximè accedere, Itaq; & hoc orandi eſtis, ut liceat nunc iſta area pro Darij curia uti. Et eum qui primus aſſidet facietis opinione veſtrà Darium regem: reliquos è conſiliariorum numero habebitis. Juvenes diſceptatores hujus litis ipſi ſe indicabunt &c.

Petatur porrò benevolentia auſcultationis.

## *Oratio II. DARII REGIS.*

*Qua exponit præſens inſtitutum, Captat benevolentiam à ſignificatione clementiæ & amoris erga bonas literas.*

Non opus puto fore, viri principes, vobis omnium vitæ noſtræ rationum conſcijs commemorare: quantæ ſemper, nobis curæ fuerit, ut animum noſtrum veſtrum omnium, qui boni eſtis, amantem intelligeretis. Sane quantum in eâ re aſſecuti ſimus vos longè rectius judicare poteritis quam ego prædicare: id tamen jure meritoq; affirmare poſſe videmur, nihil à nobis prætermiſſum, quo vel honoribus deferendis, vel voluptate aliqua ac delectatione honeſta creanda, benevolentiam ac gratiam noſtram quoquo modo vobis probaremus.

Eo accipietis mei principes, quod cum heri corporis refectioni ali-

aliquid tribuerimus, hodiè in hunc locum vos convocaverim, ut aurium atq; animi quadam recreatione & ijs delicijs quas nobis quidam adoleſcentes noſtri facere polliciti ſunt, vos una mecum afficerem ac permulcerem, Nunc ergo vacuas aures patefacite, & hilaris mecum animis adeſtote: ut non minori voluntatis æquitate hoc ſtudium noſtrum, quam illud heſternum, vos accepiſſe ex vultibus atq; attentione veſtra colligere valeam.

## *Oratio III. Cancellarij.*

*Primum exponitur ſumma controverſia orta inter juvenes & occaſio: Secundò leguntur literæ, quas ſuper eâ re ad regem ſcripſerint: tertiò jubentur ſinguli dicere ſententiam.*

Literæ fingi debent 1. exordium à laudatione virtutum in rege: præcipuè magnificentiæ illius in præmia, quæ ad aliorum excitandos animos decernat e. g. cum omnis virtus in regibus animadverſa à tanti cultoris dignitate ſingularem quendam ſplendorem trahat: tum nihil illuſtrius eſt, nihil gravius, nihil admirabilius eâ liberalitate, quâ principes ad aliorum inflammandos animos in virtutum ſtudio, nulli munerum aut profuſionum etiam generi parcunt &c. Cum igitur & tu clementiſſime rex id operam dederis, ut non reliquis tui ordinis principibus par in hoc virtutum amore, ſed longè ſuperior evaderes: permovit inuſitata ea clementiæ ſpecies animos noſtros, ut peſſimo dedecori futurum nobis arbitraremur, ſi non aliqua ſimili induſtriâ reſponderemus.

2. Pars propoſitio: Quare eam controverſiam, quam per præconem proclamari juſſiſti, à nobis explicandam recepimus.

3. Pars. Confirmatio. 1. ab honeſto. Non quod pares adeò gravi negotio videremur: ſed quod ea in mentem noſtram inſediſſet cogitatio: ſiquidem regi honeſtum videretur, ſi qui ex omni ſubditorum numero prodijſſent, qui ſuper hac controverſia, quam poſſent ſententiam dicerent: multò eidem honeſtius viſum iri, ſi ejus rei dubiæ diſceptatores exiſterent, qui cum rege quam proximè communi ſcili-

cet familia jungerentur (possunt argumenta alia addi à facili, jucundo, possibili &c.)

4. Conclusiô: Quare regem obtestamur, ut si etiam nunc videri digna poterit tua auscultatione & principum consessu liticula illa: potestatem dicendi nobis facias. Dabimus equidem operam ut appareat, proximè regem eruditionis amantissimum, adesse non tantum qui de literis garrire, sed aliquid dignum regis auribus afferre possint.

## *Oratio IV. Sententia prima pro Vino.*

*Exordium ad imitationem Ciceronis pro Roscio. Dicit caussam quare ipse cum socijs adolescentibus prodeat ad hanc dicendam causam: cum tot eruditißimi & gravißimi viri sedeant.*

Primum non esse eam hujus consilij rationem: quod plus sibi præ alijs vel peritiæ vel audaciæ arrogent: Verum in ipso argumento esse quod se excuset. Nempe hanc disceptationem animi delectandi causa à rege esse mandatam. Itaq; regem parcere voluisse authoritati reliquorum principum, ut majori cum dignitate illis ad seria uteretur. Huc accedere, quod hoc controversiæ genus ad voluptatem totum comparatum, ingeniorumq; quandam exercitationem, alienius videatur à maturiore ætate illa principum 2. petatur benevolentia 3. fiat propositio e. g. Sentio equidem eas esse vini vires quare reliquarum in hac controversia oppositarum rerum facultati ac robori longè præferendum sit.

Argumentum I. Cui plura insunt bona hoc est melius: Vino plura insunt bona E. est melius: Propositio major. Principio facile assensuros vos esse mihi spero, eam digniorem esse cujuscunq; rei laudem, quæ non ab unâ aliqua solitaria virtute proficiscatur, sed à pluribus alijs quasi comitibus & socijs cohonestetur.

Ratio. Etenim est quoddam virtutum inter ipsas vinculum & conjugium, ut societate mutua delectentur, eaq; sui conjunctione singulæ ab alijs peculiarem quasi quandam lucem & dignitatem mutuentur: sin autem à se disjungantur, & solitariè alicubi appareant, longè

obſcuriores & tenuiores deprehendantur.

Simile: Id quod etiam in luminibus fieri videmus vel facibus ac flammis, etiamſi eæ res ſeorſim collocatæ radios aliquos à ſe emittant ac ſpargant: tamen hos omninò infirmiores eſſe, quam ſi multa luminoſa corpora copulentur. Contrarium: quanquam idem etiam in vitijs ac morum turpitudine obſervare eſt: ut qui uno aliquo ſceleris contagio infectus ſit, magis lateat: qui verò plurium ſcelerum maculam in ſe conceperit pejor & contaminatior habeatur. Unde illud Poetæ tractum eſt,

At vitijs nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis urgetur &c.

Concluſio. Sit itaq; nobis hoc extra omnem dubij aleam poſitum, eò quamq; rem præſtantiorem eſſe, quò plures ejus commendandæ rationes extiterint, quoq; plura quaſi virtutum inſignia in ea quaſi ſuſpenſa ſint. Propoſitio minor: Porrò ea eſt vini excellentia, ut non tantum reliqua omnia quibuscum comparatur facilè viribus ſuperet ac frangat: verum etiam alijs laudum inſignibus, eadem longe poſt ſe relinquat. Etenim neq; mulier tantâ unquam aſtutiâ inventa fuit, quæ non ſingulari vini facultate labefactaretur ac proderetur: nullus unquam vel auditione perceptus, vel ex hiſtoricorum libris obſervatus, vel ex antiquiſſima patrum memoria ad nos delatus rex fuit, cujus vel ſapientia vini hauſtu cupidiori non oppreſſa, regni dominationisq; potentia vini nimio ſtudio non imminuta, vel tandem cujus inuſitata atq; inaudita quædam continentia vini hauriendi cupiditate immoderatiore non aliquando victa fuerit. Quid dicam de veritate? quid illâ nudius? quid inermius? quid miſerius? ſcilicet ubi ad pocula ventum fuerit? nuda omnibus ridenda proſtituitur, ſilentij ſui præſidijs quibus per ſobrietatem bene munita cuſtodiebatur ad primam vini oppugnationem facilimo negotio exturbatur, exuitur, exterminatur. Atq; hoc nunc primum eſt mirandæ in vino fortitudinis experimentum. Quod eò eſt præclarius, quò pluribus atq; illuſtrioribus alijs bonorum ac virtutum ſubſidijs adjuvatur.

Etenim non tantum iſtis longè prævalet vinum quibuscum contenditur robore ſuo, verum etiam quod ſingulari quadam ſuavitate univerſam vitam noſtram aſpergat ac condat, dum & ſenſus noſtros ve-

hemen-

hementer afficit: & in ipſa pugna jucundam facit eam cum adverſarijs colluctationem. Narrari hic poſſunt ridiculi geſtus ebriarum 1. mulierum 2. virorum maximè principum. Porrò etiam juſticiæ quædam quaſi mater vinum eſt, quod alieniores à dolo & fraude ſunt, qui vino ſunt dediti. Item facit veraces homines & candidos: Demum ad fortitudinem impellit: item prudentiam creditur conciliare, maximè ab iis hominibus, qui non niſi inter pocula deliberant de rebus gravibus. Concluſio. Ex quibus omnibus patet vinum eſſe longè fortius & præſtantius.

Argumentum 2. In quo inſunt pauciora mala, hoc eſt præſtantius: In vino inſunt pauciora mala E. eſt præſtantius. Propoſitio minor.

Mulierum in viros imperium affert omnium rerum perturbationem: ſi viri ſunt patresfamilias inde familia: ſi ſunt principes inde Reſpublica conquaſſatur: Reges multa crudeliter, multa libidinoſè faciunt: regum victoria multo ſanguine & ſubditorum & hoſtium conſtat. Veritas omnium litium eſt cauſa in religione, unde tot hæreſes? in foro, inter Philoſophos, in re domeſtica &c. Sed vinum quid habet incommodi? quod quidem cum iſtis comparari poſſit: pedes titubare facit? at ridiculo ſpectaculo. In lutum abiicit? veſtem corrumpit? at domi uxor eſt quæ lavare poſſit. Valetudo attenuatur? imò corroboratur magis & animus exhilaratur &c.

Concluſio. Itaq; vinum eſt fortius & præſtantius. Propoſitio maior. Tanti enim unaquæq; res eſſe debet, quanto q. intervallo à damnis & moleſtiis abfuerit.

Argumentum 3. Diuturniora bona ſunt præſtantiora: vis vini eſt diuturnior E. eſt præſtantior. Concluſio ponenda primò. Præſtantia igitur vini, ſatis ex illis quæ dicta ſunt patebit: nec minus tamen eandem ea, quæ porrò dicturi ſumus, demonſtrabunt. Minor propoſitio. Quid enim etiamſi regis potentia in ſubditos, aut mulieris in virum longè amplior ſit: an non propterea majores vires vino tribuemus quod illa, regis dico & mulierum imperia ut violentia quadam continentur, ita diſſolvuntur quam facilimè, cum nullum violentum poſſit diuturnũ eſſe: vini autem ille in humanum noſtrum genus dominatus, voluntate noſtra quadam ſuſceptus, non tantum nullum ſui faſtidium afferat, ſed conſuetudine & ætate magiſq; nobis

commen-

commendetur. Unde etiam ex veteri prouerbio: in ſenibus pleriſq; videri ſolet illud quod dicitur, aquilæ ſenectus h. e. vehemens quoddam potandi ſtudium. Propoſitio maior. Neq; hoc leue putandum eſt argumentum, quoniam in aliis ita ferè æſtimare ſolemus: ut quò cujusq; rei firmior & diuturnior eſt poſſeſsio, eò ipſa habeatur carior.

Argumentum 4. Longius peruagata ſunt præſtantiora: Vini uſus longius peruagatur E: eſt præſtantior. Propoſitio minor. Rex tantum in ſubditos, & eos ſæpe vnius regionis aut oppidi etiam poteſtatem habet. Mulier in unum virum: veritas in Theologos & ſimplices homines: vinum in omnium ordinum, locorum, ſeculorum homines mandata dat: illorum ſubditi inuiti: hujus volentes obſequuntur. Rex tantum ſubditorum opibus: mulier mariti libidini: veritas opinioni: vinum omnibus vitæ partibus præſidet.

Vino non eſt opus regis operâ aut mulieris: reges ſæpe uſi ſunt, vino ad vincendos hoſtes, ut Cyrus adverſus Maſſagetas: mulieres adverſus amatores ut Judith.

Concluſio 1. repetat argumentorum ſummam 2. propoſitionem.

## *Oratio V. Sententia altera pro præſtantia Regis.*

*Exordium modeſtiæ cauſa conqueretur de argumenti hujus difficultate, quæ mirâ quadam ratione ex ejusdem facilitate exoriatur.*

Cum enim, inquiet, nihil videatur demonſtratu facilius, quam regis longè majorem eſſe potentiam, quam non vini tantum aut mulierum ſed omnium aliarum rerum: hoc tamen in hac re difficultatis mihi obiicitur, ut in re cuiq; obvia, aliquid novum afferam, quo audiendi faſtidio occurratur.

Et hoc promittet: ſi rex & reliquas conſeſſus benevolentiam polliceantur & præſtent, daturum ſe operam, ut ſi id aſſequi nequeat, ut digna illo auditorio afferantur, tamen appareat, nihil, ut illud aſſequeretur, ſtudij atq; induſtriæ à ſe prætermiſſum eſſe.

Argumentum I. ex quibus plura bona propagantur ſunt præ-

ſtantiora: ex rege plura bona propagantur E. Eſt præſtantior. Propoſitio major. Ex pluribus quaſi exemplis & fructibus certum animi præſtantis ac veræ fortitudinis documentum capitur. Contrarium Et vana eſt ea laus, qua robur aliquod jactatur quidem verbis verum nullo experimento comprobatur. Ut in hujusmodi quorundam mores dudum uſurpatum ſit proverbium: Hic Rhodus, hic ſalta.

Propoſitio minor: A Regibus proficiſcuntur plura fortitudinis experimenta: nulla eſt tanta vis, quæ non eos metuat: his non effæminati tantum ut vino & mulieribus, ſed etiam fortiſſimi quiq; obſecundant & morem gerunt.

Ab his robur nequiſſimorum hominum frangitur: juſtitiæ amantium potentia confirmatur. His debemus, quod à beſtiarum violentis impulſibus, quod à latronum firmiſſimis conſpirationibus, quod ab hoſtili manu tuti & ſecuri uivimus: quarum rerum omnium impetum noſtris ſinguli viribus excipere non poteramus. Quid minus concuti poteſt fortiſſimis mænibus & turribus? regum tamen potentia ea multa concuſſit atq; evertit: quid minus ulla humana facultate perdomari poteſt, quàm Maris furor? Cyri tamen primi Perſarum regis potentia maris fremitum ita perdomuit ac compreſſit, in multos rivulos eo deducto, ut placidiſſimi fontis inſtar deflueret. Quid minus humanis manibus tractari poterit, quam montium moles? & tamen has etiam regum potentia loco ſuo moviſſe, & aliorſum tranſportaſſe legitur. Deniq; quid admirabilius? quid cum divina illa mundi gubernatrice majeſtate convenientius? quam unius alicujus hominis imperio ac nutu multa millia hominum capita, & ut imperata faciant cogi & à mutuis externisq; injurijs prohiberi?

Concluſio: Quare cum quo plura adſunt fortitudinis experimenta, eò minus de ipſius fortitudinis præſentia dubitandum ſit: cumq, à rege ita multa præſtentur, quæ eximiæ alicujus fortitudinis indubitata ſigna ſunt: quis eſt qui dubitare auſit, quin certaminis hujus palma regibus adjudicanda ſit?

Argumentum 2. Quæ plures imitantur meliora vel præſtantiora ſunt. Regem plures imitantur E. rex præſtantior eſt. Concluſio, Præſertim ſi & illud attenderimus quod nunc dicam, magis ita ſentiemus. Minor: Qui enim fit, quod illam, quæ in regibus eſt, vim &

authotitatem â multis quidem exoptari inusitata quadam cupiditatis vehementia: ab omnibus autem quacunq; imitationis ratione ad se rapi animadvertimus? ( Narretur hic de Iulio Cæsare & Alexandro magno & aliis regna affectantibus Deinde narretur quid singuli homines imitentur regium) 1. pueri ut videas mirabilem naturæ vim, per ludum inter se creant reges. Item cives. Item in serijs officijs videas quandam imaginem Reip. ut aliquis quasi rex eminentiori potestate reliquos cohibeat e. g. in scholis: in opificijs: in senatu: in familijs &c.

Peroratio. Fiat repetitio propositionis & argumentorum per subjectionem e. g. Quid igitur est A. cur dubitetis quin omnium maximum robur penes regem sit? Experimentum enim singulare roboris & potentiæ desideratis? in rege illud extare demonstravimus. An verò aliorum sententiam confugitis? illudq; robur maximum judicatis, quod à pluribus præ alijs potentiæ generibus eligitur? Etiam hanc prærogativam in reges competere ostensum est. &c.

## *Oratio VI. Sententia tertia pro mulieribus.*

### *Exordium vel insinuatio à narratione ridiculâ de Æsopo.*

Hunc de ficubus deuoratis accusarant conservi: quas tamen ipsi abligurierant. Æsopus difficillimæ & impeditissimæ erat linguæ, ut quæ vellet animi sensa exprimere satis non posset. Ea hominis calamitate abutebantur isti. Verum quod linguæ facultate consequi non poterat Æsopus ut de crimine se purgaret, lepido quodam ingenij commento tentavit. Epotâ aquâ calidâ vomuit, idemq; ut conservi facere juberentur nutu petijt: & statim apparuit dolus cum ille nihil præter aquam, hi ficus egererent. Sed quorsum hæc tam multa de Æsopo? videbitis profectò A. si paululum animum attenderitis, idem hodie mihi usu evenisse quod olim Æsopo illi contigit. Quanquam de sociorum meorum dolis aut fraudibus quod conquerar non habeo: tamen ea in re merito cum illo me compono, quod justissimam quidem causam lingua balbutiente adversus disertos adversarios profiteor: Ideoq; nimium metuo, ne meo vitio atq; hæsitantia ipsius causæ

æquitas in dubium apud vos vocari poſſit. Et hic quidem quid mihi maximè optandum ſit plane perſpicio: ut ſcilicet item aliqua ingenij felicitate ſubtiliq; commento tanto huic mala occurram. Verum cum id optare mihi magis liceat quam ſperare: ad tuam rex clementiſſime judicij æquitatem, veſtram illuſtres proceres humanitatem, ſupplex me recipio, ut quod in hac cauſa à me ipſo præſidium non ſuppetit: id à vobis petere mihi liceat: ut ſc. illud magis cogiteris, quam quibus rationibus, ac qua ingenij orationisq; elegantia à me defendatur.

Propoſitio: ſentio igitur mulierum eam authoritatem vulgo non apud plebem tantum, verum etiam principes uſurpatam eſſe: cui merito ille regiæ dignitatis ſplendor ſe nulla ratione comparare audeat.

Argumentum I. Quæ per ſe ſunt bona ſunt præſtantiora quam quæ propter aliud. Mulieris potentia eſt per ſe, regis propter aliud. 2. mulieris eſt præſtantior: Propoſitio minor. Principio autem in confeſſo eſt, regum omnem illam potentiam, quanquam latiſſimè ſe extendat, tamen ab alienis potius quam proprijs facultatibus ſuſpenſam eſſe. Multum hic poteſt fides ſociorum, ſubditorum virtus, præſidiorum & munitionum firmitas, item vicinorum animus pacis ſtudioſior, & à tumultibus alienus. Atq; hæc ejusmodi ſunt, ut nec ſine illis tueri imperiũ ſuum princeps valeat, neq; tamen omnia ſatis in ipſius manu ac poteſtate ſita ſint. Mulier autem ad eam quam in maritum habet ſuperiorem poteſtatem, nullo cum ſocijs aliquibus fædere indiget: nihil civium aliquorum aliena virtute confidit: nullis arcibus, nullis vicinorum operis utitur.

Ipſa à ſe accipit quæ ad aſſerendam authoritatem neceſſaria ſunt: ipſa miles, imperator mænia præſidium. Concluſio: Quare quò minus alienis quam ſuis pollet viribus, eò etiam potentior præ rege judicanda eſt.

Propoſitio major: Quippe cum non eæ noſtræ vires ſint quas ab alijs mutuamur ſed quas ipſi præſtamus.

Argumentum 2. Innata ſunt præſtantiora aſſumtis: fæminæ potentia eſt innata regis aſſumta E. illa eſt melior.

Propoſitio minor: Ad ea imperia quæ mulieres in viros habent

quasi natura invitamur: ut nullus unquam animus ita ab omni humanitate alienus repertus sit, qui non, si non aliud, saltem mulieribus blandus & obsequens esse didicerit. Etiam in pueris hoc animadvertas ut socijs quidem suis ejusdem sexus non concedant, jurgia moveant verbera intentent: puellis autem ultrò supplices fiant. Et ne quis hoc ad puerilem ætatem referat: nullus adeò hominum ordo vel à prudentia & sapientia ita institutus, vel ab animi magnitudine obfirmatus fuit, quin mulierum imperijs cedere potius & obsequi, quam ijsdem opponere se maluerit. Ex Philosophorum scholis principem illum & atavum quasi Socratem producere possunt: ex castris Samsonem, Alexandrum, Herculem? Quid igitur aliud judicarunt hi viri fortissimi & sapientissimi? quam mulierum imperijs reluctari, quæ à natura imponantur, esse quodammodo cum Deo belligerare.

Propositio major & conclusio: Quare cum tantam à natura commendationem tamq; fortissima auxilia quasi capiat mulierum imperium: Quid mirum est, longe illud alijs imperijs prævalere.

Præsertim cum regum imperium maximè naturæ adversetur: Quippe cum nihil indignius feramus ista superioris domini in nos potestate &c. Idem de vino dici posset: scil. cui nisi per dolos & fraudes nihil in homine potestatis est. Sapientes enim & prudentes viri per sobrietatem illius dominationem longissimè à se arcent. Apud imprudentiores per insidias irrepens non nihil turbat.

Conclusio 1. Fiat repetitio 2. motus per obtestationem ne judices vim faciant conscientiæ, suo exemplo commoneantur domesticæ erga mulieres observantiæ: ut quod uxoribus tribuunt & domi quidem sentiunt tribuendum esse, id ne hic publicis sententijs ijsdem abjudicent.

## *Oratio VII. pro veritate.*

*Exordium captat benevolentiam à modestia: dum adversarios laudat: ita tamen ut de causâ suâ nihil concedat.*

Quod facere alij pleriq; solent, ut eorum quibuscum oratione contendunt, quibus possunt modis extenuent sententiam: ut ipsi eo videantur sentire rectius: eò more etiam me nunc usurum esse, vos

jam tacita cogitatione ſuſpicati nullus dubito. Quanquam autem eam in initio hujus orationis non incommodam eſſe rationem agnoſcam: tamen ab ea abſtinendum mihi eſſe planiſſimè judicavi. Non quod tantum ingenio meo arrogem, ut quæ vulgo comparata ſunt dicendi ſubſidia, ea temerè contemnam: verum quod præſentis cauſæ quaſi ſingularis quædam ſanctitas non patiatur illud, ut vel leviſſimus quiſq; mollior ornatus, aut quicquam aliud quod fuci & ſimulationis ſpeciem habeat huc adducatur. Dicam enim de veritate: quæ omni ſimulationi & injuſtæ aliorum extenuationi inimiciſſima eſt, & ita quidem dicam, ut ipſam per ſe tantarum demonſtrem eſſe virium, quæ aliarum rerum robur longiſſimè ſuperet: itaq; omnino etiam in hac oratione non tam longius petitis argumentis quam ipſa re demonſtrari oportebit, quantum veritas per ſe ipſa valeat, quamq; parum in animis bonorum virorum ſibi conciliandis, alîus cujusquam rei adjumento egeat.

Propoſitio. Concedo igitur collegis meis eam laudem: quod accuratè, quod diligenter, quod eruditè, addo etiam quod ipſi inter ſe non concederent, quod pleraq; veriſſimè dixerint: interim etiam hoc contendo, veritatis imperium ac vim latius extendere ſe, & plus poſſe quam eæ res quas ipſi prædicabant.

Argumentum 1. Honeſta utilibus ſunt præſtantiora: veritas eſt honeſta, reliqua tantum ſunt utilia: E. Veritas eſt præſtantior.

Propoſitio minor: Nam quæ eſt in regibus potentia, ut de hac tanquam præcipua dicam: quid aliud vinculi habet quo continetur, ſi utilitatem ei adimas, quæ ad publicam omnium pacem ac commoditatem ex ea in magiſtratum reverentia derivatur? veritatis autem ea ratio, ut ſi nulla inde ullius lucri ſpes oſtendatur, tamen nativa quadam atq; inſita vi animos noſtros convincat & parére ſibi faciat&c.

Argumentum 2. Facilia ſunt meliora laborioſis: veritatis potentia eſt facilior E. melior.

Propoſitio minor: Quid quod regi quidem ad tuendam in ſuos authoritatem multarum rerum comparatione opus eſt: arcibus dico, legibus, milite, miniſtrorum fide, & ſexcentis talibus: quibus diligenter conquiſitis ne ſic tamen ſatis tutus erit. Veritati autem, ut quod velit in hominum effectum animis conſequatur, nullo hujusmodi ap-

paratu opus eſt: ipſa per ſe vincit: illic non ſemper absq; vulnere tranſigi res poterit; hic omne vulneris periculum quam longiſſimè abeſt.

Argumentum 3. Perfecta inchoatis ſunt meliora. Veritas eſt perfectum quid. E. eſt melior.

Propoſitio minor: Porrò quis finis tandem eſt quare regium illa immenſa potentia introducta ſit? an non, ut cum tanta humani ingenij malitia ſit, quæ ipſa ſentire vera & honeſta nolit, niſi alienâ authoritate jubeatur: ut reges ſcilicet eo fungantur jubendi officio? Quare ipſi jam perſpicitis ſi in hominum ſocietatibus veritati locus, ſit nos regum illam dominationem parum deſideraturos eſſe.

Argumentum 4. Ratione utentia vel in quibus major rationis uſus ſunt meliora.

Propoſitio minor: Præterea reges potentiam ſuam corporis & alijs externis viribus conſtabiliunt: veritas rationis viribus pugnat: Itaq; etiam illi corpora ſaltem & fortunas hominum ſubjecta ſibi habere poſſunt: ut autem animi ſubditorum ſe illis ſubijciant aut faveant ſaltem: nulla vi impetrare poterunt.

Hæc autem veritas ſcilicet mentem intelligentiamq; omnium debellat, & ad conditiones accipiendas quaſi adigit.

Concluſio 1. habeat repetitionem argumentorum 2. motum per obteſtationem & proſopopæian: fingatur veritas loqui, & obteſtari proceres, ut pro ſe pronuncient. Addatur dilemma: non poteſtis pro adverſarijs meis pronunciare, quin pro me pronuncietis. Si enim non ex verâ animi ſententiâ dixeritis, longè alienum à veſtra dignitate facietis: ſin autẽ ei adjudicare voletis cauſam qui vera dixerit, veritatem viciſſe ipſi fatebimini.

## *Oratio VIII.*

### *Concluſio generalis.*

Alter Cancellarius 1. repetat propoſitiones quatuor orationum. 2. ſingulos adoleſcentes laudet 3. Dicat ita placere conſilio principum ut ultimus qui pro veritate dixerit, palmam reportet, & præmia à rege decreta auferat.

## *Exemplum VIII.*

## Collatio ordinis Literarij & militaris.

***Exordium à narratione de Herculis bivio: Secundò fiat accommodatio vel interpretatio fabulæ.***

Hoc voluerunt dicere authores unicuiq; nostrûm necessariam esse deliberationem de certo eligendo vitæ genere. Et eam esse adeo gravissimam ut non nisi Hercules, h. e. felicissimo ingenio natus illud constituere valeat, quod est saluberrimum. Quare non videmur abs refacturi esse, si non ingenii tantum, sed prudentiæ etiam exercendæ causa quasi deliberationem quandam de eligendo vitæ genere introducamus. Sunt autem tres potissimum hominum ordines ne minutius prosequar. Alii enim literas sectantur, alii ad militiam applicant se, alii deniq; ad mercaturam animum abjungunt. Ego itaq; meo loco literatorum ordinem cum militibus comparatio. Quod ut facilius mihi fore in vestro literatorum consessu arbitror, ut sc. literarum decus præ militari gloriâ longe majus esse obtineam: ita vos oro obsecroq; vehementius, ut in argumento vulgari quidem, sed tamen ad ordinis nostri dignitatem pertinente vestra me in audiendo attentione derelinquat.

Argumentum I. Quæ plures imitantur sunt meliora: Vel ad quæ plures se applicant: ad literas plures se applicant E. sunt meliores. Propositio maior. Quod si A. rebus censendis valere quicquam potest illud judicium, quod publicè fit: vel saltem hoc aliis præferri debet æstimationibus, quæ sunt paucorum privatæ: an non eæ res majoris pretii sunt, quæ plurium studio appetuntur, quam quas consectantur pauciores? Conclusio: Atq; hoc si mihi conceditis, videte an non concesseritis etiam hoc, literatorum ordinem præ militari longe digniorem iatq; excellentiorem esse? Propositio minor. An non enim ad literas confluunt, tanquam ad saluberrimos quosdam vitæ thesauros, omnium ætatum, locorum, ordinum homines; Divites quidem, quod recte putent in literis acquirendis divitias suas se collocaturos esse: Pauperes verò, quod eruditione comparatâ reliquas

opes se parum desideraturos credant: Ignobiles, ut literarum claritate familiæ suæ lumen inferant: Nobiles, ut à majoribus suis partum famæ ornamentum, literarum quasi conditurâ quadam conservent: Probi & modesti atq; ingeniosi, quod ad se propriè literarũ studia pertinere arbitrentur: improbi, hebetes atq; infelicioris ingenij, quod in literis adversus improbitatem & ingenij difficultatem medicinam sibi paratam esse persuasi sint: Vulgus quod literas quasi alas quasdam esse videat quibus ex inferioris loci sordibus ad altissima dignitatis fastigia subvolemus: Principes autem quod præcipuum tuendæ tantæ excellentiæ præsidium in literis positum esse, certissimum habeant. Ἀπόδοσις Ad militiam quæso quis hominum ordo se confert? nisi turpissima plebeculæ fex: tum quos aut ignavia ad militiam tanquam otij quandam palestram allicit: aut scelerum atrocitas ex honestiori aliorum societate eijcit: aut summa tandem rerum necessitas ad arma sumenda cogit.

Argumentum 2. Quæ per se bona sunt sunt meliora: Literæ per se sunt bonæ E. sunt meliores.

Propositio Minor: Quid autem in militia est, quo non mallemus carere nos, si illud per hostium improbitatem liceat? Ab hoste spolia auferuntur? mallet vir bonus suis istis hostem frui, modo ipse domi sua secura teneat. Victoria ab hoste obtinetur? at non sine multo sanguine, & eo plane eventu, ut honesti homines victoriæ insignibus carere non dubitent, modò pacem salvam obtinere valeant. Dum desint hostes desit quoq; causa triumphi: Hæc ducibus belli gloria major erit: inquit venustissimus Poeta. In literis autem omnia per se commoda, grata, utilia; nullum hic sanguinis profundendi periculum &c.

Conclusio 1. repetat propositionem 2. rationes.

## *Exemp. IX.*

## Oratio II. pro ordine militari adversus literarium.

Exordium ἐξ ὑπολήψεων h. e. opinionibus adversis: vel sinistris auditorum opinionibus respondens de præsenti instituto. Parum

quidem A. convenire instituto meo videtur, ut cum literarium ordinem præ militari longe indigniorem & inferiorem censeam: tamen ad hoc evincendum literarum vel orationis auxilijs utar. Verum non tam mea me voluntas ad hanc disceptandi rationem impellit, quam præsentis temporis locorumq, ratio quodammodo cogit. Cum enim ab adversario meo ad rationis quandam contentionem potius quam armorum provocatus sim: cumq; hæc loca & ille consessus vester potius adversarias orationum declamationes quam digladiationes armorum desideret: ita faciam omninò, & quod vos malle intelligo, paucis evincam, non armis tantum defendi militarem ordinem posse, verum etiam orationis h. e. eis telis quibus omnium maximè impugnatur.

ARGUMENTUM I. Innata atq; insita sunt meliora assumtis: Ars militaris est innata, literæ sunt ascititiæ E. Ars militaris est melior.

MINOR PROPOSITIO. Est homini quædam ingenita vis se suaq; ab injurijs defendendi, & ulciscendi si quicquam iniquè passi simus. Unde etiam in omni historiarum memoria nullius rei crebrior occurrit mentio, quam bellorum gestorum. Quid quod etiam feris bestijs insita sit, quædam quasi belligerandi cupiditas?

Unde etiam sin gulæ suis quibusdam armis instructæ sunt (Narretur de singulis bestijs quæ inter se pugnant) Ἀπόδοσις: Literæ autem sunt recens inventum & apud paucas gentes.

ARGUMENTUM 2. Integra sunt meliora contaminatis: Ars militaris est quiddam integrum: literæ contaminatum E. ars militaris melior.

MINOR PROPOSITIO Ars militaris virtute conficitur & animi quadam præsentiâ: literæ in otio leguntur, & sunt cum mollitie quadam conjunctæ &c.

ARGUMENTUM 3. Proclivia sunt meliora laboriosis: Ars militaris est proclivis vel facilis E. melior est.

PROPOSITIO MINOR Ad literas magnis opus sumtibus multis coëmtis libris, plurimorum annorum otio. Miles, facile instruitur, accingitur gladio &c.

CONCLUSIO habet repetitionem 1. propositionis 2. argumentorum.

## Exemp. X.

# Oratio III. pro ordine mercatorum adversus literarium.

EXORDIUM ex adversis opinionibus: Video parum gratam futuram A. eam sententiam ad quam dicendam progressus sum: nempe mercatorum ordinem non esse ita nihili æstimandum, ut non pari, quin etiam (audebo enim dicere quod verè me posse dicere sentio) aliquam partem superiori in Repub. loco, quam literarius, meritò collocandus sit. Audacem credo, aut etiam impudentem me suspicabimini: qui hæc adversus vestrum ordinem non tantum, verum etiam omnium communem opinionem affirmare animum inducam. Verum quæso obtestorq; vos, ut liceat hoc tempore à vobis hoc sperare orandoq; consequi, ut libentius veritatis testimonium, quam ordinis vestri fictas falsasq; laudes auscülteris, plurisq; valeant apud vos argumentorum pondera, quam vulgi in concipiendis opinionibus temeritas: & id deniq; magis consideretis, quibus fundamentis & quam veris ista mea sententia confirmetur, quam quod à pluribus eidem contraveniatur.

ARGUMENTUM I. Jucunda sunt meliora injucundis: mercatorum ars & vita est jucundior: E. est melior.

Propositio MINOR. Mercatores in perpetuis vivunt delicijs: cum interim literati perpetuâ sollicitudine conflictentur. Unde etiam ipsi fabulam excogitarunt de Cornelio, h. e. ut ipsi interpretantur, hæreditario quasi quodam literatorum morbo, quod continuis curis exerceantur & macerentur.

Fiat partitio: adolescentes vitam miserrimè tolerant, eleemosinis victitant, & alienis servitijs vitam sustentant. In diem præterea vivunt, perpetuo solliciti, ne in crastinum ejecti esurire cogantur. Ubi ille albæ gallinæ filius mercator aut in parentum sinu educatur, aut diviti alicui hero commendatus, cum habeat quod pro victu numeret, delicatissimè habetur. Porrò ætate provecti, literati quidem in alias scholas, quasi exulatum abeunt: ad peregrinos veniunt, quibus vel beneficij impetrandi causa adulari coguntur, vel perpetuam flagitantium pecuniam insatiabilem cupiditatem explere. Cum interim non

ſint ſatis grati hoſpites, quoniam ut ſolvendo ſint, ſemper metuitur. Mercator autem noſter, ſi aliquod ingrediundum eſt iter, de equo optimo aut comitibus, tum loculo inſtructiſſimo ſibi accuratè providet. Itaq; hic uno digitulo fores diverſorii aperiet, quas calcibus pultando ſurdaſtras offendit ſcholaſticus. Imò omnis familia hoſpitis mercatori obviam procurrunt, ſalutant, adventum gratulantur, ecquid velit rogant, ut commodè ab equo deſcendat juvant, ad equum curandum ſe offerunt, ut ocreas à ſe potiſſimum detrahi ſibi patiatur, ultro rogant: hic primus ſedet, primus lavat, hunc hoſpitis familiæq; oculi unum ſpeculantur ac cuſtodiunt. Ad virilem ætatem ut veniam, ubi officia demandantur, & exercentur ea quæ ſuperiori tempore didiceris: quæſo quid jucundius, quam aureos nummos & argenteos plurimos ex mercaturâ tuâ lucrari, in ciſtam abdere, iis contemplandis iterum iterumq; numerandis occupatum eſſe. Præterea à quibus hominibus crebiora convivia celebrantur? vel ſaltem quinam minori rei familiaris ſuæ damno convivia adornare poſſunt? ecqui frequentius invitantur? addo etiam eam delectationemquam ex reverentia reliquorum erga ſe ordinum mercatores capiunt: Nullorum enim civium fores magis frequentantur etiam à nobilibus & literatis, quam mercatorum, quando illi ſc, horum indigent operâ & pecuniâ. Hic non ſine ſummâ voluptate mercator aliquis ab iſtis literatis, ut vocant, ſalutatur benigniſſimus Dominus meus, humaniſſimus fautor meus, gratioſiſſimus patronus meus & alijs, quas excogitare iſti norunt blanditijs. Quid beatuli iſti veſtri ſcholaſtici, quid interim, inquam, agunt in ſuis angulis? caput ſcabunt: ungues abrodunt, chartas pervolitant, ſtrenuè eſuriunt: & in eo felicitatem ſuam poſitam putant, quod ex philoſophia quadam ſua miſerrimos ſe eſſe non ſentiant.

CONCLUSIO repetat argumentum & propoſitionem.

## *Exemp. XI.*

## Oratio IV. pro ordine literario adverſus mercatores.

EXORDIVM à ſignificatione candoris. Vereor A. ne oratio mea eorſum accipiatur, ut cum pro vobis ad vos dicam, magis id

ſpecta-

ſpectaſſe videar, quid vobis placere poſſet, quam quid ego verè affirmare. Verum ſeponantur aliquantisper illæ adulationum ſuſpiciones, à quibus me volo eſſe quam alieniſſimum, argumenta ponderentur, non à vobis tantum, ſed à quolibet alio judice.

PROPOSITIO: Quem ſi nactus fuero, non adverſiſſimo erga noſtrum ordinem animo: id ſpero me effecturum eſſe, ut ſatis perſpicuè intelligatur, literatorum ordinem non tantum mercatorum tribu non inferiorem, quod adverſarius meus ridiculè petebat: ſed multò etiam digniorem atq; illuſtriorem eſſe.

ARGUMENTUM I. Honeſta ſunt meliora utilibus: literæ ſunt honeſtæ, mercatura tantum utilis eſt. E. literæ ſunt meliores. MAIOR PROPOSITO: Omnes homines eò nati ſumus, non ut quam plurimum poſſideamus, ſed ut quam honeſtiſſimè vivamus. Hic igitur ſcopus omnis doctrinæ non divinæ tantum ſed humanæ etiam: ut virtutis nobis atq; honeſtatis amor quidam ingeneretur: ut diſcamus reliqua omnia parvifacere in quibus lucellum aliquod eſt, nihil admirari niſi virtutem &c. MINOR; Fateor ſi id quæratur quæ commodior ditеſcendi ratio ſit, utrum illa per literas: an altera per mercaturam: ex literis non tantum minus, verum etiam non quicquam vel minimum rei fieri poſſe: verum ſi mercaturam facere libeat, inde ingentes divitias poſſe reperiri. Uerum de ea laude nunc non contenditur, uter ordo faciat locupletiores: ſed ex utro meliores homines prodeant. Hæc igitur laudum in literis ſumma, hæc literarum victoria, hic triumphus: quod virtutum uberrima quædam ſeges ex literis pronaſcatur. Etenim hinc ſapientia exiſtit &c. hinc prudentia emanat: hujus ſoboles ſunt variæ liberales diſciplinæ. (Addatur ad ſingulas virtutes quoddam Encomium.)

Ex literatorum ſcholis prodiſſe ſe fatebuntur Theologi. Tum jureconſultos, medicos, oratores et quicquid eſt excellentium ingenio virorum: unde niſi à ſcholis prodiiſſe ſaltem fingemus? VIRTUTES MORALES. Et ut ab illis diſciplinis abeam: quam multi fortiſſimi heroes aut à literis eam animi magnitudinem, aut ſaltem acerrimos ſtimulos ex iiſdem hauſerunt? poſſem in eam partem nominare Alexandrum Magnum, Achillem, Cæſarem, Pompeium, qui iidem fortiſſimi viri ſed & à literis cultiſſimi prædicantur. Iam temperantia unde

rectius discitur quam ex doctorum virorum adhortationibus &c. (Fiat inductio reliquarum virtutum moralium, magnificentiæ, liberalitatis &c.

Argumentum II. Proclivia sunt meliora laboriosis: Literæ sunt proclives vel faciles E. sunt meliores: Minor. Adversarius meus valde jactabat se in eo argumento, ut ostenderet jucunditatem quæ ex mercatura perciperetur: cum tamen nihil isto hominum genere sit miserius 1. pueri vel adolescentes sexennium vel amplius famulantur, pro vilissimis habentur mancipijs, plateas verrunt, calceos purgant, vilissima obeunt ministeria. Adultiores facti ubi ista servitute exierint, in aliam pejorem detruduntur, omnibus coguntur abblandiri, & rusticos etiam dominos suos salutare, ut merces vendant: Debitoribus item fiunt supplices miris modis. Item quod plane servile est & quod cum gnathonibus commune habent & canibus, cibum è flamma petunt, imò è maris profundo. Quid quod ne sic quidem ditescere valent nisi ad perjuria perfugiant: ut pane suo non potiantur quin animam periclitentur. Literarum studiosus interim otio suo domi fruitur & literis se oblectat &c.

Argumentum III. Rara sunt meliora vulgaribus, literati sunt rariores E. sunt meliores. Minor Mercatorum omnia sunt plena: ut nullum adeò exiguum oppidum sit quin plurima civium pars mercaturæ artibus sit dedita sc. quia secundum Poetam ommium hominum ingenium à labore proclive est ad libidinem seu otia, ideò mercaturam sectari plerię; malunt quam arare aut opificia tractare. Literatorum autem quanta sit raritas, ex publicis querelis constat. Major à simili; Ut in his fieri animadvertas, quod in duobus istis bestiolarum generibus, bombycibus dico & araneis: illarum quidem maxima utilitas sed penuria summa est: harum autem in summa copia non tantum nullus usus aut commodum, sed etiam molestia haud exigua, persentiscitur.

Conclusio: Fiat repetitio 1. propositionis 2. argumentorum 3. addatur argumentum novum à necessitate: dicant ipsi mercatores an putent rempub. facilius carere literatis à quibus regatur & conservetur, an mercatoribus à quibus peregrinæ merces invehantur?

Exem-

### *Exemp. XII.*

# COMPARATIO ORDINIS MILITARIS cum Mercatoribus.

*Exordium à modeſtia extenuante in ſe dicendi facultatem.*

FAcile intelligo auditores, in quæ pericula me committam, ſed ordinem etiam meum, dum honores ego hujus, ordinis ſcilicet militaris defendendos ſuſcipio. Præterquam enim, quod ipſa ea provincia graviſſima eſt, ut ſcilicet rei digniſſimæ par aliqua oratio inveniatur: Etiam ego parum in iſtis artibus dicendi exercitatus, vix quicquam dignum non tantum argumento hoc, ſed loco etiam afferre poſſe mihi videor. Verum enim verò quamquan non parum commotus ſim his rationibus: tamen ut hæc cauſa qualicunq; potius quam nullo patrono uteretur, prodire in publicum volui. Accedit quod eam de veſtra æquitate mihi facio ſpem, ut videtur juſtiſſimam: facturos ſcil: vos, ut potius illud conſideretis, quam verè & quam firmis rationibus, quam an ſatis ornatè & eleganter dicturus ſim. Quod ſi impetrare à vobis liceat, ut artem quidem dicendi non magnopere in me deſideretis, illud vobis promitto atq; in me recipio, non niſi veriſſimas militaris ordinis laudes in medium me allaturum eſſe. Idq; brevi demonſtraturum, eam eſſe hujus ordinis neceſſitatem, ut non facile hac parte mercatores inventuri ſint quod opponant: Eas porrò eſſe rationes aliarum laudum graviſſimas, quare pudere iſtos homines debebat mercatores dico, qui aliquid vel par vel ſimile in ſuo ordine reperire ſe poſſe ſibi videantur.

Neceſſaria meliora ſunt non neceſſarijs
Milites ſunt neceſſarij : Mercatores non item.
Ergo milites ſunt meliores.

Propoſitio minor ] Principio inter omnes conſtat mercaturam à luxu quodam & mollitie temporis introductam eſſe: olim enim homines ſuis vivebant regionibus, & ijs contenti erant fructibus quos ſingulis ſua regio ſuppeditabat. Poſtea cum luxuries hominum animos inceſſeret, domeſtica ſordere cæperunt, nihil niſi peregrinum

place-

placere potuit. Itaq; non ex ferinis pellibus amplius aut pecorum lanis sed sericis filis ex ultima India usq; advectis vestes texebantur.

Non amplius uasis testaceis sed aureis & argenteis aut gemmis etiam bibitum, in cibis nihil nisi saccaro aut pipere, aut alio aromate Indico conditum sapere visum est. Ad eam igitur gulæ intemperantiam vestiumq; ineptias mercaturæ opera primum opus fuit. Ut non tantum istis hominibus facile carere valeamus, verum etiam magno Reipub. commodo faceremus, si tanquam sanitatis, rei familiaris & morum gravitatis maximè capitales quasdam pestes ultra Sauromatas ablegaremus. Militum autem arte quod mundi seculum; quæ regio; Quod Reipub: tempus, non dicam commode carere, sed omnino sine certissimo interitus atq; èversionis periculo carere poterit? Hi sunt qui hostium irruentem vim propulsare: qui alienas manus à Repub: nostra absterrere & prohibere: qui domesticas turbas civium aut impedire, aut ortas celeriter comprimere norunt: Horum arte & manu Resp: conduntur & defenduntur: Imperia occupantur & propagantur: Omnes disciplinæ atq; artes, quæ otio aluntur omnia, inquam, hæc per milites ita conservantur, ut ad nullum quantumvis exiguum spacium aliter salua esse queant.

2. Argu. Sua sunt meliora alienis,
Quæ in militibus laudantur sunt sua,
Ergo sunt meliora.

Propositio minor ] quid est quod admiramur in mercatoribus istis vel quod in laudis alicujus parte assignari possit? Vulgus quidem de hoc genere maxime prædicare consuevit, quod arcas grandes auro & argento stipatas habeant. Quæ laus sane ejusmodi est, si aliqua est ut ab ingenuis animis non invidendam censeam. Primum Fortunæ ea omnia sunt, neq; faciunt eũ qui possidet, vel uno pilo meliorem. Alias maximè istas cistas bearent, à quibus verius possidentur, quam ab ipsis qui dicuntur, domini. Miles verò pluribus alijs nominibus potest commendari. I. à Peritia militaris artis. 2. ab animo excelso & intrepido, quo pericula aggreditur. 3. à tolerantia laborum. 4. Ab amore in Patriam & pietatem pro quibus vitam effundere non dubitat.

Propositio major ] Hæc nostra sunt bona, à quibus vera laus proficiscitur.

Conclusio generalis habet primùm Repetitionem primæ propositionis. & Secundò Argumentorum.

## Exemp. XIII.

# Oratio pro Mercatoribus adversus milites.

*Exordium captat benevolentiam à significatione studij erga concordiam.*

NIhil pestilentius arbitror Auditores rei alicui publicæ, ijs vocibus, quibus ordinum inter ipsos contentio fovetur, illudq; quæritur, non ut quam amicis inter se animis cives viuere possint, sed ut pessimis quibuscunq; modis singuli reliquos præ se contemnant atq; extenuent. Ex illis enim verborum convitijs quæ primum à paucis quibusdam audiuntur, postea plurimorum animi irritantur, inde sequitur seditio, & hinc tandem quasi quodam incendio Resp. collabascunt. Itaq; placere mihi non potuit adversarij oratio: non tam quod adversus mercatorum ordinem, cui me favere fateor instituta esset: quam quod ipso genere criminationis, & quod earum litium atq; contentionum inter cives semina quædam contineret, de quibus mentionem initio inijciebam, ideo inquam periculo certissimo non carere mihi videretur. Itaq; & propter hanc causam & quod ipse criminationes iniquissimè confictæ sunt, paucis occurram. In eo tamen potius mea versabitur oratio ut ordinis dignitatem immeritò extenuatam ab adversario meo vindicem: quam ut criminationes illius vel dissolvam vel multis in militarem ordinem cavillis compensem.

Argumentum I. Desiderabilia sunt meliora ijs quibus facile carere possimus: Mercatoria ars est desiderabilis; Militia facile carere possumus E. mercatoria ars est melior.

Propositio Minor. Non abibo longius: Uos appello Auditores, militumne putetis operam an mercatorum ejusmodi esse quam vestrâ ætate maximè exerceri cupiatis? Quid cogitari magis horrendum potest? Quid ipsa prima nominatione magis terret animos mentesq; nostras; quid omnibus votis magis detestamur atq;

aversamur? Quam si militum belliq; aliqua imminentis injiciatur mentio? Non dicam nunc de aniculis aut pueris quæ ad belli mentionem factam se crucibus signare solent: non de matronis ant puellis quæ ad militis appellationem toto exalbescunt corpore. Hoc tamen verè possum dicere neminem esse patriæ amantem civem quantumvis animo fortissimum, qui non DEum sæpius deprecetur, ut suo saltem tempore aut aliâs etiam quàm longissimè & diutissimè à Repub: suâ absit bellorum calamitas.

Ἀπόδοσις ut autem mercatura & negotiorum quædam frequentia terrà mariq; florentissima sit atq; amplissimè divagetur, omnibus templis & diebus sacris omnium otarur precibus.

Eaq; Respublica demum felix iudicatur quæ & civium suorum industriâ, & clementiâ principum & divina tandem benignitate illud consecuta sit, ut negotijs amplissimis locupletaretur.

Argumentum II. Perfecta sunt meliora inchoatis. Mercatura est perfèctum quiddam: Militia inchoatum. E. Mercatura est melior.

Minor. Nemo adeò amens reperitur, qui dum mercaturæ operam dare liceat ijs qui in hoc genere exercentur, exoptet hanc temporum felicitatem cum belli fortunis commutari. Est enim in hoc temporum statu rerum omnium quædam perfectio, ut & necessariarum rerum suppetat copia: artes verò ac disciplinæ & quæ præterea ad pacis ornamenta pertinent, liberalitet sustineri queant. Cum contra in bellis miris modis turbetur: Cælum terræ quodammodo misceatur: Et si feliciore quodam contingente rerum successu, tandem pax aliqua constituatur; non tamen ne sic quidem conquiescere poterimus, nisi inter cives ratio quædam ineatur mercium evehendarum & app ortandarum. Quasi quod eò pax militum armis parta sit, cujus per se inutilis esset fruitio, nisi ad mercaturæ exercendæ commoditatem adhiberetur.

Conclusio I. Fiat repetitio propositionis & argumentorum.

2. Adhortatio ad modestiam, e, g, Nolite contumeliosè sentire de alijs hominum ordinibus: quæ res & vobis mutuum parit ab alijs odium, & gravissimorum in Repub. malorum quoddam quasi semina-

minarium est. Piæ cujusdam prudentiæ est, & melius atq; honestius de alijs quam se ipso opinari, & non nisi honorificè de quolibet alio loqui. Qua re & concordia inter omnes publica alitur, & animi aliorum benevolentissimi erga nos parantur.

## *Exemp. XIV.*

# Pro Præstantia sexus virilis adversus fœmineum.

***Exordium à significatione pietatis quæ explicatur sententijs de præsenti argumento.***

VErè quidem & ex animi sententia ita sentio, auditores, non posse viros sine fæminis conservari: neq; fœminas absq; viris vivere, adeoq; utrumq; sexum à Deo esse & suo quodam honore afficiendum: Idq; ex Pauli quodam loco didicimus. Interim tamen quia & hic Apostolus quædam affert, quæ ad deijciendos spiritus fœmineo sexui familiares faciant: Et ea res, si animi tantum causa suscipiatur: non cavillandi libidine, habeat aliquid honestæ & eruditæ delectationis: Equidem in me lubens eam suscepi operam, ut quæ omnes & vere quidem sentiunt, nisi quod à contumacibus quibusdam fœminis parum creduntur, virilem scilicet sexum longe pluribus donis divinitus quasi ad imperium instructum esse: id certis quibusdam rationibus ut comprobarem.

I. LOCUS. Perfecta sunt meliora inchoatis: Sexus virilis est perfectus e. est melior.

Principio enim omnia in viris majorem quasi quandam maturitatem habent, unde etiam à Philosophis fœmina imperfectus quidam mas dicta est (monstretur per partes) 1. In animo est quædam intelligentia solidior & præstantior. Viri de gravibus rebus rectius judicant: fœminæ de ludicris & puerilibus. Unde illi ad Remp. adhibentur, de moribus consuluntur, aut si qua alia res gravis deliberanda inciderit. Fœminæ autem suis sententijs & judicijs non ultra colum aut culinam ac rem vestiariam aut epulas instruendas procedunt. 2. In affectibus temperandis, metu, ira, voluptate fœminæ semper pueri sunt: molli & fracto animo: viri constanti, & qui sibi imperare norunt iram animumq; cohibere.

III. In corpore. In viris vultus totiusq; corporis constitutio ac robur corporis præ se fert soliditatem ac firmitatem. In fæminis autem perpetuam quandam hæc eadem teneritudinem retinent, qualem in pueris conspicimus: ut quasi in ipso flore emarcuisse videantur.

IIII. In voce & reliquo gestu: quæ omnia in viris quidem ad quandam perfectionem ac nativam vim provecta esse appareant: In fæminis autem admodum exigua & tenuia sunt.

*Prop. major*

PEr Similitudinem: ut quod aurum est secundum Chimicos, nempe maturima quadam concoctione, ut loquuntur; ad eum excellentiæ gradum summum perductum metallum, à quo quantò longius absunt reliqua, eò vilioris merito æstimentur precio: eundum locum in humano genere virilis sexus occupet, tanto melior fæminis, quanto hæ ab illius perfectione recedunt longius.

*Prop. min.* II. LOCus. Tota partibus sunt meliora: virilis sex9 est quiddã totum Ergo est melior. III. LOC9 Ratione utentia sunt mel. rat. expertibus, Viri magis utũtur rat. quam mul. Ergo sunt meliores.

Quod etiam inde significatum fuit, quando in prima creatione ex quadam virili costa fæmina exædificabatur, ut scilicet origo ea perpetuo quodam monumento esset, fæminam non paris cum viro dominij, multo minus superioris futuram esse, sed plurimarum viri operarum, quasi quandam administratricem manum. Unde etiam non Domina sed adjutrix dicta est viri. [Propos. Min.] Atq; hoc ipsum in eum finem à Deo ita prævisum atq; ordinatum est, ut quo minus fæmina sibi consulere posset, eo melius viri imperijs regeretur. Quid enim est incontinentius aut minus sui compos, quam fæmineus aliquis animus? qui ad quamvis vel levissimam fortunæ obstrepentem auram folij instar vehementissimè concutitur, ut vel libidine trahatur, i. e. gaudij sæpe vana speciè extra se rapiatur: vel mali levissimi minimo tumultu in eulatus effundatur, vel deniq; ridiculæ sæpe rei metu penè enecetur. Virorum a. proprium est ita coercitos habere illos affectuum impetus ut etiamsi erumpere annitantur, rationem tamen audire cogantur. Itaq; eos plane se comparabunt, ut nihil agant quod vel in præsentia propter affectus vehementiam dedeceat vel postea pænitentiam afferat.

Conclusio habet repetitionem propositionum & argumentorum.

## Exemp. XV.

# Pro Sexu Fæmineo.

EXORDIUM à reprehensione adversariorum in genere. Non latere potest vos, Auditores, ea publicorum morum quasi scabies, qua multi titillantur, ut quælibet in sexum fæmineum comminiscantur convitia, adeoq; sordidissimus quisq; in hisce excogitandis est ingeniosissimus. Quod scilicet non tam ingenium in fingendo, licet vulgo videatur, quam impudentia & malitia in edictando & proferendo requiratur. Quod non tam eò moneo, quasi illum, qui ante me in fæmineum sexum dixit, ejusdem vitij insimularem: quam, ut si quis eorsum accipiat, eam suspicionem anteverterem. Longe enim scio, alia mens est, aliud quid spectatum fuit. Quod neq; ipse orationis initio dissimulabat. Itaq; hactenus quidem ab ejus sententia nusquam discedit oratio mea.

PROPOSITIO] Quanquam neq; hoc nego, omnibus partibus ejus orationis me nequaquam assentiri. Quod enim fæminarum sexum ad virorum plane pedes abijciendum negabat approbo: quod verò dum virilis sexus laudibus efferendis incumbebat, nimium quiddam viris tribuere videatur non assentior. Quare si vestram in audiendo attentionem præstiteritis, cognoscetis spero: Et honestam quidem, priorem illam orationem fuisse: sed honestiora & graviora pro fæminarum laudibus dici posse.

LOCUS I. Ratione utentia sunt meliora rationis expertibus. Fæminæ magis ratione utuntur, viri minus. Ergo fæminæ sunt meliores.

PROPOSITIO MAIOR] Quid est præclarius, quam in eo homines hominibus antecellere, in quo unico bestias superamus?

PROPOSITIO MINOR. Fæminæ maxime ratione utuntur & frequentissimè.

PRIMO viri sæpius ira turbantur, quo affectu nihil magis inimicum rationi, nihil magis cum bestijs commune.

Narrentur de Hercule historiæ vel fabulæ, de Alexandro, Aiace. Fæminæ & ipse quidem aliquando exardescunt & vehementer quidem, sed minori cum periculo, ut harum quidem impetus fulguri si-

milis videatur, intra oculi ictum longè lateq; disperso quidem sed facile exspiranti: Illorum autem vehementia, quasi quoddam tonitru miserandâ clade obvia quæq; ruat, rumpat, prosternat.

SECUNDO. In ingenio rarior quidem, sed eò excellentior & magis admiranda quædam vis in fæminis, quam in viris deprehenditur. Vt excellentia quidam â natura videatur, originem trahere: raritas autem quadam calliditate virorum procurari, qui legibus publicis â disciplinarum culturâ, fæminas prohibuerunt.

Narrentur hic historiæ de eruditis mulieribus.

TERTIO. Porro in vita communi, ubi prudentiæ usus maximè conspicitur, ita vulgare est viros â fæminis ingenio superari, ut vix attingere opus sit. Narretur de Semiramide Assyria historia. In consilis excellit muliebre ingenium: tum reddendis consiliorum rationibus, defendendo atq; accusando, laudando, vituperando. Hæc noster sexus multis annis, magna difficultate, ingentibus sumtibus, studio indefesso â plurimis eloquentiæ & dialectices magistris addiscere elaborat. Vix tamen quisquam repertus, qui omni eâ operâ tantum profecerit, ut si forte cum fæmina aliqua in contentionem disceptationemq; descenderit, non facundiâ hujus quadam naturali facilè superetur.

ARGUMENTUM II. Voluntaria sunt meliora necessarijs: Quæ fæminæ sunt concessa sunt voluntaria, quæ præterea in viris adsunt magis propter necessitatem exoptantur, cum alias possemus istis carcere.

Ergo quæ sunt in fæminis sunt meliora.

PROPOSITIO MINOR. In fæminis est quædam naturalis blandicies & humanitas, maximè commoda ad uniendos inter se hominum animos, tum unde singularem quandam animi jucunditatem percipimus. Vt taceam formæ suavitatem, tum prudentiam, quâ hunc sexum excellere dicebamus. Quid a. in viris singulare est, quod â fæminis absit; Nisi quod membrorum magnitudo paulo sit robustior? Sed animi ad iracundiam impetus vehementior. Quibus rebus tam libenter sane carere velle vita nostra videtur, quam ijs ipsis ad quas depellendas istis opus est, injurias dico & vim adhibitam. Quæ si aut

alias

aliás abessent aut modis quibusdam alijs amoveri & propulsari possent, non viderentur magnopere illa expetenda.

Conclusio. Fiat repetitio propositionum. II argumentorum. III. Motus. E. g. Ad parentes uestros & matres potissimum quibus sanguinem & animam debetis, provoco, has appello: vel illud vos saltē considerare jubeo, si quid non satis honestè & pro merito sexus fæminei statueritis, in has ipsas matres dico vestras redundaturum esse?

## *Exemp. XVI.*

## De Modestia.

Exordium. Cum omnis virtus laudibus exornanda sit, tum jure meritoq; ea præsertim hoc loco commendatur, quæ nostram juvenum ætatem maxime exornat. Modestiam intelligo: quæ unica ferè ratio est collaudandi cujusquam adolescentis. Omnes enim ita judicamus, quæcunq; alia de Adolescente prædicentur, nisi modestiæ etiam quasi accessio fiat non magni æstimandas omnes reliquas laudes. Sin a. modestiæ testimonium dictum sit, ita gravem commendationē factam esse arbitramur, in qua si quid aliud desideretur, facile tamen abesse possit. Hujus itaq; virtutis pulchritudine inductus, tum facilitate argumenti persuasus, pauca de modestia verba ad vos facere institui. Ut quanto minus possum ab ingenio, ab argumenti facilitate adjuvarer: Dignitas autem argumenti meam in dicendo inopiam sublevaret, vestramq; attentionem mereretur. Vos facite Auditores, ut hos conatus nostros vestra audiendi æquanimitate promoveatis.

Locus I. Quid Sit. Principio a. inquirendum videtur, quid modestiæ nomine intelligamus. Nempe virtutem quandam, quæ animi nostri appetitus moderatur in honoribus. Quid autem honores sunt? Opiniones hominum de nostra virtute & excellentia: Tum significationes harum opinionum præclararum. Quare modestia faciet, ut hæc aliorum de te judicia præclara non ultra meritum tuum expetas, imo etiam minora, quam es meritus. quia in hanc partem sæpius peccatur, nempe ut majora ipsi de nobis polliceamur, quā

nostræ ferunt facultates.

LOCVS 2. â PARTIBUS. Spectatur hæc modèstia in variis vitæ partibus 1. in ambiendis officijs 2. in colloquis 3. In contractibus 4. in verbis. 5. in gestu & 6. in vestitu (in singulis declaretur quid deceat hominem modestum)

LOCVS 3. â CAUSIS. Etiam illud consideratione dignum videtur, unde tam pulcherrima virtus & tam latè patens originem ducat.

PRIMA CAUSA. Deus, quia omnis boni causa & præcipuè virtutum. Tum modestiæ vel humilitatis ut vocant Theologi, amantissimus.

SECUNDA CAUSA. Natura; Insevit vero ille omnium hominum mentibus quasi quosdam igniculos, amorem nempe & notitiam hujus virtutis. Omnes enim amamus honestos mores in alijs animadversos, & ipsi novimus absq; disciplina quæ facienda ut modesti simus.

TERTIA CAUSA. Præcepta. Interim tamen naturæ malitia ad superbiam abstrahit. itaq; quasi calcari nobis opus est: quod ex præceptis Philosophorum, sententijs oratorum, Poetarum, historicorum sumimus.

QUARTA CAUSA. EXEMPLA.

QUINTA CAUSA. Institutio domestica & præceptorum.

SEXTA CAUSA. Societates.

QVARTVS LOCVS. Cognata, hoc est similia vel aliæ virtutes. E. g. Fortitudo. monstretur quod modestia sit melior, quia fortitudo plus mali in se habet. Item alia bona. E. g. Divitiæ & nobilitas generis. Hic iterum fiat comparatio, nempe quod modestia sit melior.

SEXTVS LOCVS. Contraria vitia sunt duo. 1. Superbia. 2. Ignavia, si quis non curat rumores de se in malis moribus. Utrumq; hoc vitium describatur â definitione & partibus.

Conclusio per adhortationem, amemus modestiam.

# COMPARATIO NOBILITATIS CUM MODESTIA: ILLA Præfertur.

II. Oratio

EXORDIVM, dicit causam orationis. 2. Criminatur eum, qui prius dixit. 1. Occupatio.

Quanquam parum modeste facere fortassis videar Auditores, qui ad contradicendum laudibus modestiæ allatis procedam: tamen quia non omnem eam dictam orationem eversurus sum, sed reliquas omnes partes approbo, & verissima esse confirmo quæ in modestiæ commendationem afferebantur: uni tamen alicui loco assentiri non possum in quo non tantum nimijs laudibus efferebatur modestia, sed etiam nobilitatis dignitati detrahebatur: Dabitis spero mihi à vobis petenti hanc veniam, quod contrà hanc partem venire maluerim, quam veritatem & nobilitatis dignitatem meo silentio prodere. Non enim ea in laudibus haberi aut accenseri poterit oratio, ubi per fictas etiam causas falsam quandam excellentiam collaudationi attexímus. Multo autem minus ea honesta est cõmendatio, quę cũ aliorũ criminatione & obtrectatione conjuncta est. Verum ita fiit, ut dum nimis impensè id agimus, ut laudes maximas afferamus, sæpe falsis admiscendis præconijs conatu nostro frustremur, omnemq; ipsi fidem orationi nostræ abrogemus. Quemadmodum Entellus ille apud Poetam, dum gravissimum ictum meditatur - vires in ventum effudit: &ultro

2. λύσις per distinctionem. 3. Conclusio per deprecationẽ 4. ἀπολογία. 5. Correctio ficta.

> Ipse gravis, graviterq; ad terram pondere vasto
> Concidit: ut quondam cava concidit, aut Erymantho
> Aut Ida in magna radicibus eruta pinus. 5. Æneid,

Ut meo commilitoni facile fanè ignoscam hac parte, quippe qui non tam sua voluntate, quam publicè recepta consuetudine peccet. Ea tamen conditione ignosco ut etiam æquum judicet ne mihi irascatur, qui verioris sententiæ potius defensor, quam erroris suffragator esse voluerim.

CONCLVSIO. Modestiam aiebat longè præstantiorem esse nobilitate generis: Si tanquam sententiam veram & communibus hominum opinionibus approbatam attulit, nihil vidi magis ridicu-

lum. Sin tanquam paradaxon aliquod Stoicorum cur nos non præmonuit? Cur non ab omnibus agnitas potius Modestiæ laudes, quam istas à nemine, ne ab Authoribus quidem Stoicis creditas produxit?

Propositio Minor. Puerilium laudum ea summa est, ut dicamus modestiam singularem in aliquo Adolescente deprehendi: aut saltem alicujus è plebe & mediocri fortuna hominis: viros principes magnis honoribus functos, Duces, Reges, Imperatores, à nobilitate generis ita commendamus, ut si hæc adsit, facile reliqua omnia in virtutis quandam speciem commutet: sin vero absit, valde omni laudum diligenter undecunq; apparato lumini officiat. 2. Præterea, pueris potissimum ista præcipimus, ut modestiæ operam dent, quod horum pectoris angustiæ non satis capiant, quid sit nobilitatis decus. Viri autem potissimum huc contendunt, ut generis nobilitatem aut confirment ipsi, aut primi impetrent atq; ordiantur. 3. Finge tibi puerum aliquem terræ filium, hoc est obscurissimæ originis, fortasse, etiam illegitimæ: sed eundem modestissimum: h. e. tenuissime de se opinantem. Quis mirabitur? quis hæc ad virtutem aliquam præclaram referet? quis magnopere laudandum judicabit? Et tamen adversarius meus hunc nobilitati longè præferendum censet: h. e. viris gravissimis, ducibus, principibus, Imperatoribus? ô stoliditatem.

Conclusio. Fiat repetitio 1. propositionis 2. argumentum.

## *Exemp. XVII.*

## Comparatio Modestiæ cum Nobilitate: illa Præfertur.

Exordium. Cum neminem vestrum adesse putem, Auditores, qui non iniquam eam reprehensionem judicaverit, qua inter fictas Modestiæ laudes referebatur, quod prima oratione Nobilitati Modestia prælata fuisset: tum non parum multos miratos fuisse non dubito: Quod adeo injusta accusatio justis tamen & æquis rationibus niti videntur. Et hanc quidem opinionem ut in plurium animis inhæsisse credo ita de me fateor. Addo hanc mihi causam fuisse: ut an

veras illas Modeſtiæ laudes defendere, & criminationes diluere valerem periclitari placeret. Vos quæſo auditores ut non tam meam quam veſtram omnium ſententiam meis ſaltem verbis dicenti, auribus attentis animisq; benevolis auſcultetis

II. PROPOSITIO. Quid igitur eſt quod hac ſententia noſtra confirmandum eſt? Modeſtiam virtutem, eſſe longè digniorem majoriq; ambiendam ſtudio, & præconijs concelebrandam, quam illam generis Nobilitatem, quâ poſſis avos proavosq; tuos, longa ſerie numerare, eosq; locupletes homines plerunq, aliquando claros aut bonos aut non malos, viros: frequentius tales, de quibus nihil niſi nomnia ſuperſint.

CONCLUSIO. Iam evicta credo eſt cauſa, poſtquam ſaltem expoſita eſt ſumma controverſiæ: ut vix alijs argumentis opus ſit, ſcil. hoc quæri an virtus opibus, an animi bonum bono fortunæ præferri debeat. Virtutem meliorem eſſe: animi bonum præferendum eſſe, quæ cauſa intervenire poſſit quare non omnes velitis?

Argum. 1, Pluribus probata ſunt meliora, Modeſtia eſt pluribꝰ probata. Ergo eſt melior.

PROPOSITIO MAIOR. Tamen ad Arbitros abeamus. Recuſare ſpero, Adverſarius meus non poterit, ut uter plures calculos quaſi tulerit, ille ſuperior diſcedat: Vel ſi oſtendero plurium hominum prudentium ſtudijs & voluntatibus meam ſententiam quam ipſius approbari, quin mihi lis adjudicanda & ſecundum me pronunciandum ſit. Etenim ea eſt fere ratio in judicanda rerum in vita communi veritate, ut quo quæq; ſententia pluribus Authoribus placuerit, eo verior videatur. Omnis autem opinionum ſingularitas & invidiæ & non injuſtæ aliquando criminationi expoſita eſt &c.

PROPOSITIO MINOR. Sed redeo ad ea quæ propoſueram, de Modeſtiâ vel virtute ſentio plurium prudentium hominum judiciis eã anteferri Nobilitatis vanis titulis. Omnes enim ita judicant prudenter vitam inſtitui, ſi excellere alios veris bonis, virtute, eruditione, dexteritate & felicitate ingenii maluerimus, omnem harum rerum oſtentationem modeſtiſſimè fugitantes, quam ſi ſtolida quadam ambitione cupias inter nobiles accenſeri, emas tibi aut eblandiaris à comitibus Palatinis, ut vocant, auſis ſine ullo merito tuo magnifica diplomata, inſignia nobilia, Clypeos eleganter pictos, aut titulos Doctoreos & Magiſtrales ab Academijs. Quanquam hæc à multis inpru-

dentibus Adolescentibus fiant: nemo tamen bonus est, qui non reprehendat, culpet, aut gemat saltem: aliter fieri cupiat. Qui mutare possent necessitate quadam ferre coguntur, quam mihi non est commodum exprimere.

REPETITIO propositionum & conclusionis.

II. PARS CONFUTATIO.

Sed jam respondendum ad ea, quæ obijciebat adversarius. Quærebat primum, an hanc sententiam tanquam vulgo receptam, an tanquam Stoicum paradoxon produxissemus. (R.) In quo ille graviter errabat: quod putabat nullas sententias esse, nisi aut vulgi essent, aut Paradoxæ. Cum in multa prudentes viri consentiant, quæ nec Paradoxa sunt neq; à vulgo creduntur, ut de virtute de contemnendis opibus, vita &c. Huc ergo etiam nostram sententiam referimus. Deinde obijciebat nobis, ab optimo quoque potius expeti Nobilitatem, quam modestiam: ad puerilia studia hanc, illam ad viros referebat. R. Hic iterum acumen in adversario desidero. Modestia tantum puerorum virtus esset? quid igitur viris licet superbis esse? Maximè præ reliquis virtutibus pueros modestia decet, sed non solos pueros. Ob. 2. Producebat puerum pauperem modestum, & huic opponebat virum nobilem, & quærebat uter melior, putabat hunc meliorem. R. in quo dissentio ab eo. Et quis non mecum? Quis enim hominem nobilissimum & potentissimum sed eundem omni modestia carentem h. e, superbum & vanissimum, non contemnendum & infelicissimum habendum judicaret, præ puero malè à fortuna sed probè à virtute ornato?

PERORATIO. Fiat repetitio brevis dictorum.

## *Exemp. XVIII.*

## Contentio de Armis Achillis ex Ovidio in Locos Comparationis retexta.

EXORDIUM. Antequam ad rem istâ & fortassis etiam alterâ hora hic agendam aggrediamur, Auditores, exponam vobis summam hodiernai hujus negotij, ac consilium, quod ab illis quos assidere

videtis Adoleſcentibus in deliberationem vocabitur. Principio id à vobis petimus ut veſtra pace hoc loco pro Græcorum ad Troiam caſtris uti liceat: In quo graviſſimorum Principum conventus factus adumbretur ab hoc Adoleſcentum conſeſſu. Alius enim, cuj ſcilicet ſedis principatus obtigit, hic inquam Agamemnonis Regis partes agit: qui latus huic proxime claudit dicet Neſtoris ſententiam: propter hunc ſedet Menelaus. Reliqui & ipſi quidem principum loco erunt, & ſuas dicent ſententias, ſed non vobis auſcultantibus: Ut neq; operæ precium ſit, ſi nomina indicentur. Qui ergo hodie iſti ſint qui ſedeant, cognoviſtis: nunc quæ diſceptanda ſit controverſia animum attendite. Habuerunt Græcorum caſtra illa, ſi vera ſunt quæ de his commemorantur ab iſtius gentis ſcriptoribus, & viros ſane incomparabilis virtutis, & hos quidem maximo numero. In his autem Achilles fortitudine, Neſtor eloquentia, Ulyſſes prudentiâ, Agamemnon & Menelaus potentiâ, Aiax & alij audacia militari excellebant. Perijt Achilles tandem ex inſidijs à Paride interfectus. Petierat enim à Priamo nuptias Polyxenæ filiæ: miſſus eſt Paris & Deiphobus, qui negotium conficerent, cumq; Achille paciſcerentur & de conditionibus conſtituerent. Hos Achilles in Apollinis templum quoddam ſecum duxit ut ad aram fædus fieret. Eam occaſionem nacti Deiphobus & Paris, ille quidem inermem Achillem complexus eſt quaſi gratulandi cauſa, hic a. latus uno altero ictu fodit ut mortuus concideret. Hic fatorum finis Achilli, quanquam Poetæ ut concinnitatem fabularum ſectentur, aliter paulò. Defuncto fatis ſuis Achille, ajunt inter Principes Græcorum Ulyſſem & Aiacem in caſtris contentionem obortam, quod uterq; petierit à populo Græcorum illo, ſibi tanquam ſingulare virtutis ſuæ præmium attribui tam præſtantis Herois arma.* Quod uterq; ſua quadam peculiari rerum geſtarum nobilitate præ alijs ita meritus ſibi videretur. Aiax militari arte: Ulyſſes facundia ſua confidebat. Primus Ovidius videtur fabulam excogitaſſe, ut quantò Literarum decus majus ſit Militari arte et gloria depingeret. Fingit n. oratione diſceptatam eam controverſiam & ſecundum Ulyſſem judicatum eſſe. Eas diſputationes ex Ovidij deſcriptione transſcriptas ſaltem & numeris Poeticis ſolutas hic audietis. Ne autem nihil de noſtro etiam adderemus, etiam Agamemnoni & Neſtori diſſen-

ſionem

sionem affinximus: qua & hi deliberant, an concertationi armorum, an orationis contentioni lis potius committenda sit &c.

Pete benevolentiam auscultationis.

II. Oratio.

## Sententia Agamemnonis: melius esse ut lis inter Ulyssem armis quam judicio & oratione finiatur.

Imitare Ci. pro Quint. I. period9

EXORDIVM, Quanquam viri Principes libenter utor consiliis vestris: tamen non libenter vos convoco. Quia vereor vobis molestus esse aliàs occupatis. Itaq; & vos interim fortiter pro Græci nominis gloria pugnatis: & nos si quid inciderit controversiarum nostra industria expedimus. CONTRARIA PROPOSITIO: Sed nunc ejusmodi quiddam incidit, in quo vestro consilio maxime opus erit.

2. NARRATIO de Achille mortuo. Encomium & querela intertexatur per Præteritionem. 2. De orta inter Ulyssem & Aiacem dissensione. 3 Laudetur uterq; breviter. 4. Quod Ulysses judicio petat hanc cognosci causam: Aiax postulet ut armis sibi hanc contra Ulyssem controversiam componere liceat.

3. PROPOSITIO. Causa quæ sit videtis: nunc quid vobis statuendum sit diligenter cogitate. Ego sanè ut dicam quod sentio: judico non iniqua postulare Aiacem: omninoq; commodius fieri ut super armis fortissimi viri, & hic in castris quidem, & qui de fortitudinis testimonio à nobis auferendo concertant: Etiam fortitudinis potius quam eloquentiæ experimentis congrediantur.

4. Arg. I quæ sunt in nostra potestate sunt meliora.

CONFIRMATIO. Quia fortitudinem ipse quilibet de se præstare potest: Eloquentiam & judicum sententias non potest: Omnis enim animi illa præsentia, in qua victoria potissimum sita est, voluntate quadam & studijs nostris nobis adjungitur. Verum in eloquentiæ studijs frustra laboraveris, nisi & naturæ quadam felicitate rarissimà & maxime inusitatà adjutus fueris, & in ipsis pueritiæ annis quos nemo fingere ipse sibi potest & qui ab alieno dependent arbitrio præceptorum, nisi in his, inquam annis jacta sint ea doctrinæ fundamenta firmissima, quæ tantam facultatis amplissimæ molem sustineant facilè. Quod a. ad judicum sententias attinet quanquam quod de me

ipso

ipso, idem etiam de his Principibus qui assident polliceri possim: bona fide pronunciaturos nos esse: tamen ita multa interveniunt, quæ etiam optimi & prudentissimi viri mentem nonnihil á veritatis accuratione in errorem abducere valent. 1. Gratia & favor. 2. metus offensionis. 3. ab ipsius eloquentiæ opere multæ struuntur judici insidiæ. Ut vix mihi videatur fieri posse ut qui melior, qui dignior, qui præstantior demum vir sit, Ulysses ne an Ajax: verè & commodè à nobis pronunciari isto pacto possit.

Accedit, quod illa armorum dico contentio ab ipsis solis potest peragi, inter quos lis intercedit, nobis tantum ejus certaminis spectatoribus: hæc autem altera disceptatio, nostris judicijs & sententijs dirimenda: potius inter nos quam inter istos erit hujus controversiæ Authores. Etiam illud considerate, an non hæc dissensio possit etiam longius disseminari, si eàm nostris suffragijs componendam suscepimus; scil. si aut inter nos sententijs dissederimus: aut eum contra quem pronunciatum fuerit adversus omnes nos, aut eos qui maximè contra steterint, odio inflammaverimus. Quod periculum ut maximum, ita & diligenter à nobis præcavendum est, et eo uno fere modo præcaveri poterit, si ipsos inter se solos Martis potius & armorum quam nostrorum votorum arbitrijs litem dissolvere patiamur.

Arg. 2 quæ se ipsis contenta, sunt meliora.

Arg. 3. perfecta inchoatis sũt meliora.

Peroratio modestiæ causâ permittat, libertatem dicendi principibus.

## *Exemp. XIX.*

Orat. III.

## Sententia Nestoris: Melius esse ut lis inter Ulyssem & Ajacem oratione & judicio quam armis finiatur.

EORDIVM. Laudet Agamemnonem: quod non tam id operam det ut potentiâ alios principes excellat, quam clementia & humanitate. Et ejus voluntatis jam exemplum dedisse, quando & in componenda hac inter Ulyssem & Ajacem controversia adeo sit sollicitus: & in dicendis sententijs libertatem Principum consessui adeo liberaliter concedat. Quanquam rectè sentire se ipsum non tantum

firmi-

firmiter credat Agamemnon sed etiam multis rationibus, quæ adductæ sunt, persuasum habeat.

Adversativa. Veruntamen non possum negare, quin a tua sententia dissentiam, & profiteor, me illis rationibus tuis non ita permotum esse, quin & melior sententia altera visa sit, quam tu oppugnabas, & graviores pro hac rationes inciderent. (Petat veniam ut hanc sententiam humaniter audiat Agamemnon: nec ad suam contumeliam dictum putet, si contra ipsum disputaverit. αἰτιολογία. Quod hoc sit Regis, & potissimum Agamemnonis; malle in Consilio vel consessu Principum corrigi sententiam suam, quam postea quæ deliberata sunt, transacta à vulgo imprudentiæ & stultitiæ accusari.)

Propositio Orationis. Sentio prudentius à nobis statui, ut Ulysses & Ajax causam suam oratione nobis exponant & æquis conditionibus inter nos componi permittant: Ut uter meliori jure arma Achillis se poscere demonstraverit, illi communibus omnium nostris suffragijs adjudicentur.

Arg. I. Jucunda in jucundis sunt meliora.

Argumentum I. Quis nostrum possit spectator esse tam miserrimæ cladis ut Principes nostri sanguinis & plurimorum meritorum in Remp. vel uterq; mutuis vel alter alterius vulneribus ante oculos nostros mactarentur?

Ar. 2. honesta utilib9 sunt mel.

Argumentum II. Parum honestum nobis hoc esset, alienum ab omni gratitudine, ut optime de nobis meritos ita turpissime, scilicet mutua cæde ac scelere perire sineremus. Barbarum est; Nos armis in hostes utimur, non in amicos. Melius est, nos controversiam hanc nostra aliqua molestia resolvendam suscipere: quam præ mollitie in tantum discrimen fortissimos illos viros conijcere.

3. Arg. stabilia in certis meliora

Argumentum III. Dubius & incertissimus est Martis eventus: non is semper vincit, qui est melior: sed qui forte casu aliquo fit superior. In consilijs autem & judicijs nulla est hujusmodi errandi occasio.

Confutatio. Ad argumentum I. Etiam armorum usus requirit quandam & naturæ bonitatem & exercitium. 2. Aliud in Oratore aliud in Principe requirimus. Illic ingenij concertatio agitur, hic causæ & controversiæ disputatio &c. Ad argumentum 2. de controversia propaganda. Resp. illud prudentia Agamemnonis præcavendum,

vendum, & polliceatur etiam suam in ea re industriam.

CONCLVSIO. Dicat se in nullius gratiam dixisse, petat ut Deus mentem Principum dirigat in commodum Reipublicæ.

## *Exemp. XX.*

## Oratio Ajacis qva se Ulyssi præfert. Ex Ovidio lib. 13. Metamorph. FAB. I.

EXORDIVM à reprehensione adversarij, & indignitate hujus actionis, quod sua Ajacis contra Ulyssem causa adeo sit perspicua. Sed est alienum ab arte, quia inverecundum, quod non pudet Ajacem irasci, & convicia dicere in adversarium, ante probationem. Cum præcipiant Artifices modestiam præferendam in Exordijs. Verum ita fictum est à Poëta, ut pingeret ingenium militare & rude in Ajace.

Cum hæc meæ, Viri Principes, contra Ulyssem de dignitate Contentio & ipsa per se indignissima atq; iniquissima sit, tum ea hujus certaminis iniquitas inde imprimis animo meo objicitur, ingentemq; mihi dolorem inijcit, quod hoc loco dubitatur, an non ego Ulyssi cedere debeam, qui locus æternum & meæ fortitudinis præclarissimorumq; in gentem nostram meritorum, & turpissimæ in Ulysse ignaviæ ac perfidiæ monimentum extabit. &c. Hic enim fugit ab Hectore Ulysses; ego vero Hectorem contra steti: & incendium à classe nostra prohibui.

Indignum itaq; hoc est certamen: ut ille gestis rebus jam à me dudum victus, nunc oratione mecum de dignitate contendat. Verum non recuso, quanquam possem: cum videam non magna arte opus fore, ut vobis virtutem meam probem: quippe quam aliàs operam dedi, ne vos lateret: Ulysses autem ut suas aliquas res gestas vobis persuadeat fieri non posse, quippe quæ ille mirabili quadam ratione ita peragit, ut nec spectatores adsint dum geruntur, neq; alio nisi se ipso teste eas ita gestas esse probare possit.

Præterea etiam aliud in hac causa incidit unde difficultatem haud exiguam sentio: nempe quoties eventum hujus cogito

judicij, quod scilicet non tam illud spectabitis, uter ego Ulyssi præferendus: quod non posset spero, diu animos vestros suspensos detinere: sed an tanti viri, Achillis scilicet armis gerendis dignus videri possim. Et hic sanè si nihil aliud desiderabitis, saltem illud scrupulum inijciet, quod Ulysses homo vanissimus, is tamen sibi visus sit, qui facile possit meam virtutem et alijs & vobis potissimum videri adæquasse. Verum ut non dubito, quin quæ ille animi quadam vanitate sibi arrogare ausus est, vos in fraudem meam non sitis accepturi: Ita spero me ejus rei veniam à vobis facile consecuturum esse: si illud meritorum erga Remp. nostram præmium deposco, arma Achillis puto: quo præmio Vlysses sibi non indignus esse visus est, quando in hoc judicij certamen mecum congredi postulavit. Quanquam, quæ est hominis calliditas, id astutè providit, non quidem nullo suo se periculo hoc tentatum, sed tamen quocunq; etiam res cecidisset magno commodo. Quod scilicet si non ipsa Achillis arma reportasset, Cujus rei spem quamvis impudentissimus sit, tamen facere sibi non potuit: interim vel eo nomine celebraretur, quod uter Achillis armis dignior esset, cum ipso Ajace scilicet contenderit.

Arg. I. à genere vel origine. Ajacis majores & in his Juppiter, Vlysses à Sisypho scelesto homine. 2. Cognatus Achillis est Ajax: Vlysses peregrinus.

II. à Rebus gestis. 1. Vlysis turpibus. 1. Noluit ad Trojanam expeditionem proficisci. Contra, Ajax inter primos profectus, promptus offert se periculis

Atq; Vtinam. &c. 2. Turpius quod sequitur, Philocteten prodidit.

Ille tamen vivit. 3. Turpissimum, de Palamede.

Qui licet eloqu. 4. At eloquens est Vlysses? Resp. defendere tamen non potest factum, quod Nestora senem turpiter deseruit.

Aspiciunt oculis. 5. Deus ultus est, ut ipse incideret in periculũ: turpiter cecidit, fugit. Hic pro una laude duo regeruntur crimina.

III. Res gestæ Ajacis, primum est à me defensus. 2. Cum Hectore congressus est. 3. hunc à navibus depulit. Quid contra Vlysses fecit? 1. tenuia. 2. per dolum, 3. socio Diomede ut hujus laus sit dimidia.

IV. à Naturâ. Dolosus & timidus Vlysses, tum imbellis: Ergo non apta sunt ei arma.

V. à fortunis. Clypeus Ajacis fractus: Vlyssis integer. Peroratio à motu.

## Exemp. XXI.

## Oratio Ulyssis: Qua se Ajace digniorem esse armis Achillæis demonstrat. Ex ovidio lib. 13. Metamorph.

EXORDIUM 1 à pietate 2 argumento, & forti 3 purgatione. Vellem potius viveret Achilles: quam hanc contentionem ortam. Nunc autem illo martuo, cui meliori jure arma relicta debentur, quam quo authoro ille hæc arma pro vobis cepit? Quod mea eloquentia in invidiam vocata est: ea ne criminatio, quæso apud vos locum habeat: cum vestris commodis ea sæpissime inservierit. arg. à figurâ dictionis.

II. Ipsa Comparatio. 1. à majoribus. Ajax est à Jove. Resp. per negationem consequentiæ. Non est magna laus. 2. per ἀνθυποφορὰν. Etiam Vlysses à Jove & ratione maternæ originis est nobilior. 3. per recriminationem: Pater Ajacis interfecit fratrem. 4. per distinctionem. Non est quæstio, uter habeat meliores, sed uter ipse melior, h. e. plurium meritorum. 5. Et hoc idem sit responsum ad cognatos Ajacis. 6. per instantiam particularem. Etiam Pyrrhus & Teucer sunt cognati. Ergo ad hos etiam pertinerent arma.

II. Res gestæ. Non possum omnia enarrare: dicam quædam 1. de Achille ad militiam pertracto. Quæcunq; ergo hic fecit (quæ per partes enumerantur) earum rerum laus aliqua ad me Vlyssem redundat.

2. Agamemnoni persuasit, & uxori, ut ad placandos Græcis Deos filiam mactari permitterent. Hoc non potuisset Ajax efficere.

3, In ipsam hostilem urbem Trojam profectus est, repetitum res abreptas, & magna hic sustinuit vitæ pericula. Inseritur hic præteritio generalis, non posse se nunc omnia recensere.

4. Toto decennio castra gubernavit: Enumerantur hic multæ

partes hujus officij. Vbi contra Ajax ociosus cesset: nihil huc possit conferre.

5. De revocatis à fuga socijs: inter quos fugerit ipse Ajax. Itaq; quæcunq; gessit ab isto tempore Ajax, ejus laus aliquam partem pertinet ad Ulyssem, qui illum à fuga retraxerit.

6. Ab honore, A Diomede electus socius.

7. A gestis secundum fortitudinem: Dolonem interfecit.

8. Rhesum.

9. Sarpedonem & alios quos hîc multos enumerat.

10. Vulnera habet multa Ulysses: Ajax nulla.

III. In ἀποδόσει respondet nunc ad Ajacis facta ab ipso commemorata.

1. Hectoris incendium à classe depulit? Resp. non nego, sed non solus. Etiam Patroclus pugnavit: & solis armis Achillis Troas conjecit in fugam.

2. Cum Hectore congressus est Ajax solus? Resp. At hoc cum multorum injuria conjunctum est. Novem enim principes nos ad pugnam offerebamus, è quibus ille sorte electus est.

3. Non est laudis cum Hectore pugnare, si non vincas.

IV. A naturâ vel robore Corporis. Ego gestavi Achillem cum armis. Itaq; etiam ipsa arma gestare possum.

V. Ab habitibus. (hic omittit suas laudes) Ajax non intelligit artes, quarum opera sculpta sunt in clypeo Achillis nempe imagines rerum cælestium. Quare est armis indignus.

VI. Confutatio. Criminum objectorum. 1. de mora eundi cum Græcis in bellum. Resp. per instantiam: sibi hoc commune esse cum Achille: & hoc se priorem venisse: tum etiam hunc impulisse, quod non possit prædicare Ajax. Communem autem utriq; fuisse causam, pietatem in suos. II. de Palamede. Resp. per translationem criminis in ipsos Græcos: & Palameden esse juste occisum. III. Idem respondet de Philoctete, & hic digreditur ad promissiones de fide suâ.

Speciatim promittit, se reconciliaturum Philocteten, quod est difficultatis plenissimum. Itaq movet auditores benevolentiâ & admiratione.

VII. Redit ad facta sua: occasione ut faciat illud verisimile de Philoctete: quia olim similia gesserit. Palladium abstulit Troja, quod non potuisset Ajax.

VIII. Ab honore. Ceditur sibi â multis alijs præstantissimis viris.

Conclusio. per congeriem quandam in multis comparat: & repetit: 2. addit motum.

## *Exemp. XXII.*

## Comparatio inter disciplinarum genera.

I. Oratio.

EXORDIVM. Quæ omnium duæ gravissimæ deliberationes sunt, auditores, de socijs scilicet & amicis deligendis, tum de eligendo certo uno studiorum ac vitæ genere: eæ ambæ in nostram juvenum ætatem accidunt. Ut cum error circa has res sit per se ipse periculosissimus, quippe conjunctus cum omni felicitatis humanæ nostræ jacturâ: Inde tamen augeatur periculi hujus magnitudo quod per imprudentiam nostræ ætatulæ minus prospicere nobis & errorem evitare valeamus.

II. Enarrentur pericula ex socio electo si in hunc malum aliquem & nequam incideris.

III. Enarrentur damna ex errore eo, si aberraveris in deligendo studiorum & vitæ genere: ad quos ineptus sis, aut cujus te aliâs pæniteat.

IV. Quæ cum ita se habeant, peropus fuerit, sæpius de his tam gravibus rebus cogitare, & multo ante constitutum habere ac perspectum, quid prudenter, quid commodo nostro de his sentire vel agere vel alijs etiam consulere possimus.

V. Atq; adeò etiam aliud agendo rectè ad hujusmodi serias deliberationes exercitia nostra disciplinarum referimus. Simile) Quandoquidem nautarum pueri per lusum natare, scalmum impellere, vela vel laxare vel adducere discunt, quæ sunt justa opera artificum eorum qui navibus utuntur.

VI. Hoc consilio quos adesse videtis, Adolescentes hodie orationibus

nibus, diſputandam ſuſceperunt controverſiam de eligendo ſtudiorum genere. Unus philoſophiam commendabit: alter Medicinam: tertius Iuris prudentiam: Quartus Theologiam.

VII. Petatur benevolentia & attentio.

Orat. II.

## Pro philoſophia.

EXORDIVM. Cum mihi pro philoſophia dicendi partes ſumſerim Auditores, neſcio ſane an eo conſilio meo lætari magis an dolere debeam. Lætor ſanè, quod eam hujus controverſiæ partem delegerim: quam non ſub perſona tantum aliena, ſed ex animi ſententia & quod judicarem eam veriſſimam ideò defenderem. Doleo autem, quod vel non alium potius aptiorem patronum nacta ſit Philoſophia: vel quod à me, à quo recepta eſt, non ea aut excogitandi ſubtilitas, aut eloquentiæ ſuavitas afferri poſſit, qua idem quod ego veriſſimè ſentio, vobis item perſuadere liceat: Nempe unam omnium earum rerum quibus diſcendis literati operam tribuimus, digniſſimam eſſe philoſophiam in qua omnem ætatem conteramus.

Petatur benevolentia & audientia.

Argum. I. Philoſophia magis utitur ratione quam reliquæ facultates.

Pr. Major. Summa eſt jucunditas contemplationis: Ut in eâ felicitatem poſuerint philoſophi. Atq; hæc nihil aliud eſt quam inquiſitio abditiſſimarum rerum, cauſarumq; unde hæ profluunt. Quare quo diſciplinæ genere cauſæ hæ explicantur, et ratio earum quæ opinamur redditur; illa nos ad hanc beatitudinem adducit. Si qua v. cognitio conſiſtit intra nudas affirmationes: à cauſarum autem reddendarum conditione, aut difficultate prohibetur, aut quodam inſtituto ſuo abſtinet: Illa ſanè quocunq; tandem loco ſit propter rerum contentarum dignitatem: illam tamen quam diximus contemplationis jucunditatem non afferet.

In philoſophiamajor eſt ille uſus

PROPOSITIO MINOR. Medici circa corporis ſanandi curam occupati & ſic in opere faciendo, & varietate ſingularium rerum impediuntur à ſcientiæ perfectione: tum in conficiendis pharmacis magis exercentur, quam quod ex ſpeculatione afficiantur. Unde etiam hæc facultas ex contemplativis diſciplinis, ut vocant, ad artificum ſocie-

cietatem relegata eſt. ICti magis memoria exercentur in compræhendis tot juris & reſponſorum voluminibus: quam judicio in rationibus legum ex ipſa natura reddendis. Theologi religione prohibentur in dictorum divinorum cauſas inquirere: niſi quas item ſcriptas jam in S. codice habeant. Solis philoſophis ea libertas conceſſa; ut nihil aſſentiantur, niſi ratione aliqua affirmatum: nihil affirment, niſi à ratione inventum ac profectum fuerit. Neq; his ſufficit, ſi quid ab aliquo gravi authore affirmatum, à ICto reſponſum, ab imperatore reſcriptum, à Galeno aut Hippocrate obſervatum dixeris, niſi ratione approbatum dederis, inter opiniones incertas referetur.

Argum. 2. Studium philoſophiæ magis liberum eſt; reliquarum v. diſciplinarum uſum neceſſitas introduxit. Itaq; illud à ſe ipſo commendatur: hæ autem ſi tolli neceſſitas ea poſſet non expeterentur. Si valeant homines ars tua Phæbe jacet, inquit Poëta. Ita ſi ceſſent fraudes, ars tua Balde jacet. Verum philoſophiæ contemplatio eo jucundior erit, quo minus neceſſitate aut tolerandæ hinc vitæ aut famæ quærendæ ad eam impellemur.

Epilogus faciat repetitionem.

## *Exemp. XXIII.* *Orat.III.*

## Pro Medicina.

EXORDIVM. Perplacuit mihi, Auditores, ea ſemper ſententia quæ eſt apud Horatium: Tu nihil invitâ dices faciesvè Minervâ. Qua prudenter ſanè ſuas quiſq; facultates exploratas habere jubemur, & quid valeant humeri quid ferre recuſent, dudum antè noſſe quam aliquid oneris nobis imponamus. Nam quemadmodum in omnium animis non ineptis ad ingenij aliquam culturam, eſt quædam ad certum quoddam artium ac literarum genus propenſio, ab alijs alienatio: Ita fit ut ubi ad alia temeritate, errore ac negligentia quadã animum applicemus, ad quæ minus naturæ proclivitate adjuvamur, admotâ q. operi manu maximam difficultatem ſentiamus, & deſperato ſæpe ſucceſſu ad alia atq; alia reijciamur.

Quare ſi à me quæratur: cuinam ex omnibus, ut vocamus Facultatibus vel Literarum generibus potiſſimum opera danda ſit; dicerem,

ad quod naturæ quodam instinctu inviteris.

Verum si quis hoc parum dijudicare & constituere possit: & quærendo urgeat: quodnam ex omnibus illis generibus disciplinarũ quibus nunc operam damus dignissimum putem: in quo rectissimè æ. tas, sumtus, studium atq;opera collocentur: Respònderem, Medicinam eam mihi videri omnium aliarum facultatum dignissimam ac præstantissimam. Verum quoniam alij ab hac sententia mea dissentiunt, paucis exponam eam causam, quare & ipse ita sentiam & vos mihi assentiri velim,

Argumentum I. ] Medicina est quodammodo naturalis, vel connata homini: neq; homini tantum sed etiam bestijs. Quare turpe esset hæc semina & ingniculos à natura optima & providentissima duce nobis insitos, tanquam necessarios ad nostri conservationem non propagare, fovere, alere, augere. In philosophia omnia difficultatum plenissima, a quibus natura adhorret. Præterea spinosissimæ quæstiones à curiositate humana excogitatæ: quibus nec sapientior, neq; melior animus redditur: corporis autem valetudo & universa natura miserrimè affligitur istis perquirendis.

Ita litium apud IÇtos multitudo, unde nisi à naturæ perversitate ortum ducit? Object: etiam Medicina propter morbos est: & ex morbis originem ducit. Respons. Est hæc quædam Medicinæ utilitas fateor. Origo tamen videtur alia dignior: nempe admiratio divinæ cujusdam in singulis herbis alijsve naturis virtutis. Unde etiam qui ad usus curandorum corporum non adhibent, tamen cognoscere volunt Medicinæ secreta.

Argumentum 2. ] In Medicina plus artis quam in alijs: philosophi, ICti, Theologi ex lectione alienorum scriptorum paucis annis non contemnendi prodeunt. Medicis vero etiam his sane opus est: Verum vix inde fundamenta jaciuntur hujus peritiæ: ita multiplici opus est experientia: tum varijs ac multis artibus, quæ ad Chymiam pertinent: adeò diuturnà observatione multarum in omni genere morborum occurrentium varietatum.

Epilogus faciat repetitionem breviusculam dictorum.

Exemp.

# Exemp. XXVI.

## Pro Jurisprudentia.

Orat. IV. á ſententia vel gnome quà cõque rimurde difficultate hujus muneris vel orationis. Cic. 3. in Verr.

EXORDIVM. Omnes qui aliorum ſententiam, Auditores nulla provocati compellatione, nullà injuria læſi neq; eiam officio adducti contradicendo reijcere volunt providere debent, non ſolum ut parum veriſimilem opinionem improbent, ſed etiam ut quam ipſi potius credi volunt ſententiam eam & meliorem eſſe docere & probè confirmare valeant. Legem enim ſibi ipſi dicunt accuratius ſentiendi & diligentius quod ſentiant comprobandi, qui in aliorum oratione hæc eadem deſiderant. Nam qui hoc ſibi ſumſit ut corrigat aliorum errores & peccata reprehendat: quis huic ignoſcat, ſi ipſe non minus vel longius etiam à veritate declinarit? Itaq; video quantum oneris ſubierim. Alij fortaſſis uni alicui ſententiæ: ego multis me oppono, ex quibus heri quædam, reliquæ hodie dicentur. Præterea alij ſe oppoſuerunt fortè in controverſijs non magni momenti. Hæc autem de graviſſimo omnium negotio ſuſcepta eſt diſceptatio: ſcilicet de eligendo certo ſtudiorum genere.

Ubi & non ſine magno tuo aliorũq; periculo erratur, ſi ſententia falſa aliqua dicta ac credita ſit, & non ſine arrogantiæ ac temeritatis ſuſpicione ſententia dicenda ſuſcipitur: quippe cum de tantis rebus ſine ſingulari quadam ingenij dexteritate, maximo rerum uſu, incredibili pænè doctrinà judicium fieri non poſſit. Ego igitur non mea voluntate ſed ne jurisprudentia juſtitiæ patrona, omni patrono hoc loco & hoc tempore careat hanc ejus defenſionem ſuſcipiam. Petitionem elegantem benevolentiæ item imitare ex Cicerone hoc loco.

I. Argumentum.] Jurisprudentia efficit quæ promittit, nempe juſtitiam. Ubi enim audiuntur jura & leges: ibidem feliciſſima juſtitiæ ſeges conſequatur neceſſe eſt: prohiberi fraudes & injuriam. Nam leges nihil aliud ſunt niſi juſticiæ regulæ, & juſtè vivendi præceptiones. Armatæ ſunt eædem authoritate & potentià, ut cultores ſuos ornare, eos qui degeneraverint pœnis cogere poſſint. In Medicorum autem poteſtate non ſunt morbi aut valetudo, & vix pauciores ex omni ægrotorum numero revaleſcunt, quam ex ijs qui Medicorum

curationi se commiserunt. Philosophi item multa pollicentur, animi quandam perfectionem, beatitudinem, summam suavitatem, praeterea morum honestatem. Sed ea omnia hujusmodi sunt: ut qui illa hactenus didicerint multi reperti sint: qui inde nugaciores & callidiores evaserint, item nonnulli numerari possint: sed qui propter ista meliores viri habiti fuerint vix quisquam unus nominari queat.

Argumentum 2. Jurisprudentia se ipsa contenta magis. Nam ad philosophiam discendam quanta mole disciplinarum discendâ opus est? Phisicâ, Ethicâ, metaphysicâ, Logicâ, Rhetoricâ: tot Mathematices partibus? Arithmeticâ, Geometriâ, Musicâ: de primo mobili, de secundis mobilibus, tot elementorum Euclidis libris: ut reliqua praeteream. Tum, quot hic opus est commentarijs ad cognoscendas saltem eas quae sunt inter logicos controversias, ne de reliquis dicam. Ita ad Medicinam accuratiori philosophiae cognitione opus est. In jurisprudentia jactis fideliter linguarum fundamentis & leviter haustis Dialectices & Rhetorices praeceptis, reliqua omnia discenda satis copiose ex uno juris volumine disci possunt &c.

Argumentum 3. Magis est in nostra potestate. Facile disci potest nostrâ operâ absq; prolixis commentarijs: aut interprete: si quis sit paulò ingeniosior.

Epilogus faciat repetitionem.

## Ex. XXV.

*Orat. V.*

## Pro Theologia.

*Cic. pro M. Cælio.*

EXORDIVM. Si quis, Auditores forte hic adsit ignarus & aliàs usitatae in scholis, & jam pridem apud nos receptae consuetudinis: mirabitur profectò quae sit ista mira quaedam dicendi ratio, ut qui posterior in hanc cathedram surgit semper superiores sententias atq; orationes evertat ac refutet: Idem cum audiat, esse eum publicum morem, quo de varijs quae in vita incidere possunt consilijs ac deliberationibus, in scholastica cathedra q. animi causa sententiae exponantur, rationes afferantur: mox istis contradicatur, hae solvantur ac reijciantur, novae proponantur ac meliores sententiae, quibus ijsdem modis postea occurratur: donec tandem in aliqua una sententia maxime

imè verisimili acquiescatur: hic morem sane improbare non poterit: sed quis in hac controversia de disciplinarum præstantia tandem exitus futurus sit requiret. Cum revocabitur à vobis homini ei in memoriam, omnibus reprobatis ac reiectis illis quæ jam auditæ sunt sententijs, pro philosophia, pro Medicina, pro Iuris prudentia; ultimã fore Theologiæ cõmendationẽ: cõmentationẽ elegantẽ atq; eruditã commilitonum reprehendere non poterit: incommodè tamen collocatam esse censebit, ut qui istas humanas disciplinas præ divino Theologiæ studio præferendas probare voluerint: mihi cui pro Theologia dicendum restet, facillimam operam relictam arbitrabitur. Etenim si attendere diligenter, existimare verè de hac inter nos distributa disceptatione volueritis, Auditores, sic constituetis: recte collegas meos difficiliores probandi partes sibi elegisse, quo elegantior esset ingenij exercendi materies. Neq; meum factum improbabitis, quod quo minus ab ingenio & exercitatione possum, subsidio mihi hanc sententiæ facilitatem comparaverim &c.

PROPOSITIO. Theologia est præstantissima: cui vel potissimum, si parentes & patroni assentiantur opera danda est: vel si illorum voluntati cui omnino parendum est ad aliud literarũ genus te applicaveris tamen literarũ sacrarũ adjungenda est quotidiana & studiosa meditatio. Atq; hoc quo minus dubiũ est, eo paucioribus arg: utar &c.

Argumentum 1.) Theologia certior reliquis facultatibus. Quia exstructa sunt capita cælestis doctrinæ omnium solidissimo principio vel fundamento, nempe Dei authoritate. Quippe quod hujus sapientiam nihil latere, per potentiam autem ejusdem nihil non fieri potest. Reliquæ disciplinæ omnes omnia fere ex rationis judicio hauriunt. Unde quo hoc imbecillius & fallacius est, eo incertius & infirmius est, quod tam ruinoso fundamento superstruitur. Potest hic fieri quædam inductio: ut per partes aut certa quædam sententiarum capita hæc monstremus.

Argumentum 2.) Theologica scientia, aut sapientia potius, amitti non potest: tum quam illa præstat, felicitas nunquam eripitur aut deperditur. Contra reliquæ disciplinæ, unà cum mundi ista vanitate desinent. Explicetur per partes.

Argumentum 3.) Præstantissimi semper exstiterunt singula-

rum disciplinarum professores vel artifices. Medici Hippocratem, Galenum, Dioscoridem alios jactitant; Philosophi de Aristotele Platone, Socrate sibi gratulantur: Oratores suum prædicant Demosthenem & Ciceronem: ICti ipsum Imperatorem in cathedra sua collocant. Quæ ut summa laus est, quæ à tantis cultoribus ad ipsas artes redundat: ita longe major judicanda est S. Theologiæ excellentia, quam non tantum prophetæ, Apostoli, Reges, Sed ipse filius Dei docuit.

Epilogus habet repetitionem: per subjectionis figuram.

## *Exemp. XXVI.*

## Comparatio inter furtum & calumniam: prima quod hæc sit majus vitium.

*Oratio.*

I. Benevolentia.

Exord. à significatione pietatis significatæ sententijs super re præsenti fig. elocutionis, Votū. Vellem equidem, Auditores, ea nos conditione vivere possemus homines, ut sponte nostrâ & naturæ quadam invitatione declinaremus vitiorum turpitudinē, virtutis autem honestatisq; studia atq; ornamenta sectaremur. Correctio) Verum quò minus hoc per ingenij humani pravitatem non dico consequi sed sperare licet, eò magis necessaria judicanda attentioriq; animi studio auscultanda est illa oratio, quæ vitiorum deformitatem quam fædissime potest, depingat, animosq; nostros q. horrenda quædam specie inde absterrere studeat. Quæ sanè me cogitatio non parum commovit, ut cum meo loco aliquid à me dicendum esset, illiusmodi argumentum mihi deligerem, quo ista spectasse aut voluisse saltem viderer: nempe ut adversus aliquod vitæ humanæ vitium, & propter frequentiam & suâ quadam fæditate atrocissimum dicerem, tum ita dicerem ut illam fæditatem quam posset fieri teterrimam ob oculos statuerem. Quæ postquam cogitare cæpi, sanè non longâ circumspectione opus fuit: statim occurrit, nec facile inveniri posse, & pejus & seculis nostris familiarius vitium quam calumniam: neq; posse eam nec fædius neq; verius describi, quam si perpetua quadam collatione cum furto comparetur. Id igitur nunc agam, Aud. si me Deus, quod spero, bene juverit, & vestra in advertendis animis auribusq; accesserit benevolentia: ut cognoscatis, non tantum quia vulgò omnes ita sentiunt, sed propter

II. Benevolentia à necessitate hujus argumenti.

Pr. major.

Prima conclusio Ergo & ego volui necessarium argumentum occupare.

Pr. minor.

Hujusmodi est præsens illud.

Propositio orationis.

plurimas, easq; magni momenti rationes calumniæ ſcelus furti crimine longè indignius & minus ferendum eſſe.

Arg. I. Inanimata animatis: vel quæ ad animam pertinentia tollunt ſunt pejora quam quæ non. Calumnia animum & ad animam pertinentia tollit perdit, corrumpit: furtum non. E, illa pejor.

Declaratio minoris propoſitionis. Principio hoc certum eſt calumniam & ejus animæ nocere adverſus quem ſævit: & præterea ac pejus quidem ipſius calumniatoris: furtum ferè quod damnum affert eo plerumq; fortunas ſaltem lædit, animum non ſemper attingit. Nam pleriq; fures non tam ex animi quadam malitia peccant, quam coacti extrema quadam rerum communium inopia & intolerabili famis ac paupertatis calamitate urgente. Correctio) Non omnes excuſo fures, de quibusdam hoc verè dicere poſſum. Animus ergo poteſt manere integer maximè ſi maturè pænis aut aliâs corrigatur. Alijs autem nocet fur non niſi numerum nummorum & leviſſimè ſæpè imminuendo. Sed calumnia non poteſt proficiſci niſi ab animo improbiſſimo, 2. tum confirmat in malitia animum 3. aliorum improborum morum cauſa & invitamentum eſt. (inducantur) Porro eos, quos lædit non fortunis privat quod tolerandum eſſet: Sed his animum ipſum affligit. 1. dum triſticia intolerabili afficit 2. dum non virtutis atq; eruditionis quidem facultatem, ſed tamen opinionem inter homines & ſic etiam etiam exercitium, ad quod illa neceſſaria eſt aufert. Propoſitio major) Quanto animus excellentior opibus, tanto illud nocentius & peſtilentius eſt, quod illi quam quod his nocet.

Concluſio. Ergo calumnia eſt longe pejor furto.

Arg. 2. non naturalia naturalibus.

Propoſitio minor) furti multæ ſimilitudines ſunt & tolerantur in natura h. e. in beſtijs & hominibus, imò etiam in rebus inanimis, e. g. beſtiæ pabula accipiunt quæ non ſeverunt, & mutuo ſibi ſubtrahunt, imò quædam aliarum carne vivunt. Et hæc à naturæ authore Deo ita ſunt conſtituta. Homines per bella quid aliud agunt, niſi ut alijs eripiant quæ horum ſunt? Et illa tamen approbantur. Ignis, aqua, frigus, calor, ſiccitas & humor, alia alijs alimenta ſubtrahunt. Uerum Calumniæ artes omni naturæ adverſæ ſunt: quibus ſc. malus bonos ſupprimit, propter hoc quod non ſui ſimiles ſint.

Propoſitio major) Quæ ab omni natura abhorrent ſunt fœdiora,

ra, quam quæ non ita longè diſcedunt à quadam cum naturæ inſtitutis ſimilitudine. Concluſio. Ergo &c.

Peroratio faciat repetitionem propoſitionis.

## *Exemp. XXVII.*

## Comparatio inter furtum & calumniam altera: quod illud ſit pejus; *Confutatoria.*

EXORDIVM. Modeſtiæ cauſa, conqueritur de difficultate cauſæ: & multa concedit adverſario. (fig. elocutionis, epanodos vel prolepſis: vide orat. Cic. pro Quintio) Quæ duo adverſus cauſam & ſententiam meam maximè metuenda eſſe videbantur, ea in oratione illius, qui ante me dixit, ambo adeſſe contra me video: Sententiæ adverſariæ vulgaritas, & rationum veritas. Quia cum eam quam tuetur adverſarius ſententiam etiam vulgò receptam eſſe confiteri cogor; ne ea res fidam meæ orationi abroget, cogor metuere. Quod autem eandem veris & gravibus rationibus confirmatam audiviſtis, ne propterea fruſtra aliud perſuadere vobis contendam, haud mediocriter pertimeſcó. Quæ quo majora ſunt, eò vehementius à vobis contendo, Auditores, ut has dicendi partes non temeritate ulla ſed veritatis amore à me ſuſceptas: Sed quas nunc graviores ac putaram ſentio, veſtra benevolentiâ adjuvetis: deinde vero ne prius de tota cauſa quicquam judicetis, quam quid in alteram partem dici poſſit cognoveritis. Quod ſi impetravero, non dubito, quin brevi ita judicaturi ſitis, etiamſi plebecula aliter ſentiat, etiamſi porrò non longe aberrare à veritate videatur ea vulgi ſententia: tamen verius & prudentius eam teneri ſententiam, quod furti facinus ac ſcelus longe fædius ſit calumniæ levitate & improbitate.

ἀξίωσις.

Propoſitio

### *Confutatio vel contraria comparatio ex iisdem locis.*

Adv. Arg. I. Quæ ſententia prudentibus placet, melior quam quæ vulgo &c. furtum eſſe pejus placet prudentibus. Ergo.

Propoſitio minor per communicationem. Quid faciam? negabo ita vulgus ſentire? calumniam eſſe pejorem furto: fateri hoc

non plebem tantum, ſed etiam ſummos viros? poëtas decantare? oratores & hiſtoricos declamare? Reſponſio per diſtinctionem) Non potero. Huc me convertam: concedam populi eam eſſe ſententiam. Prudentum & eruditorum nego. Objectio) At extat? Reſp. quid viri docti, principes, prudentes ſentiant, non eſt inquirendum ex ipſis quando cum vulgo agunt, ſc. cum ad horum captum tanquam pædagogi ad puerorum ſe accommodant. Neq; cum affectibus turbantur. Sed quando leges ſcribunt aut dictant. In his ex animi loquuntur ſententia. Item in judicijs. Hic ergo furtum dicunt pejus eſſe quippe quod ſuſpendio puniunt.

Adverſarij arg. 2. Quæ animum lædunt ſunt pejora quam quæ fortunas. Calumnia lædit animum, furtum fortunas. Ergo. Reſp: nego minorem.

Venio ad illud quod dicebatur à calumnia animus lædi & calumniatoris & ejus qui calumniâ impeteretur. Quod ut concedo: ita miror cur hoc idem damnum dari à furibus negetur. Etiam furandi malitia tanta eſt ut non niſi in extremæ improbitatis hominem imo monſtrum hominis cadat. 2. confirmet in improbitate 3. ad alia ſcelera invitet. Ejus a. cui bona aufert, an non etiam animum lædit? dum triſticia afficit: dum honeſtæ vitæ inſtrumenta neceſſaria auffert: & quantum in ipſo eſt, ipſa vitâ & animâ ſpoliat.

Nam opes noſtræ ſunt ita neceſſariæ cuiq; ut à latinis ſubſtantia à Græcis ἐσία dictæ ſint. Concluſio Ergo furta ſunt pejora calumniâ.

Arg. 3. Adverſarij. Non naturalia ſunt pejora naturalibus. Furta ſunt naturalia. Ergo. Reſp. per inverſionem vel negationem majoris 2. per negationem minoris.

Quod vero de natura dicebat adverſarius, vix poteram credere ſeriò illud affirmari: niſi etiam confirmare quibusdam exemplis aggreſſus fuiſſet. Quid audio? illane ſunt mitiora ac tolerabiliora vitia ad quæ natura invitat? Dicamus ergo libidinem, ſuperbiam, mendacia & ſimilia leviora eſſe verborum aut artium erratis &c. Ita philoſophi ſentiunt, & cum his Theologi, & quicquid eſt prudentium hominum, eò difficilius correctu & fædius eſſe vitium ſi naturæ pravitate communi eò invitemur, vel quæ ex naturæ corruptione oriuntur pejora eſſe, quam quæ ex alijs cauſis.

II. Sed quicquid de his ſit: non enim hac defenſione nunc po-

tiſſi-

tiſſimum utar: Age illud conſideremus an naturâ ſint furti, ut dicebatur ſimilitudines: & illæ quidem approbatæ, divinitus inſtitutæ. Elementa producebantur. Reſp. furtum committitur non abſq; animo furandi. Ridiculum igitur in iſtis eſſe furtum. Beſtiæ producebantur. R. At his pabula conceſſa ſunt: non furantur hæc igitur, carnibus quædam veſcuntur? ex corruptione naturæ hoc eſt: non à Dei prima inſtitutione: non approbatur. Ideo beſtias illas perſequimur. Bella ſunt? R. quædam ſunt legitima, non ſunt furti cauſa. Quædam fiunt furti cauſa, ſed non ſunt legitima.

Peroratio fiat repetitio per propoſitionem & argumentationem

III. *Exemp. XXVIII.*

## Comparatio inter furtum & calumniam tertia quod illud ſit pejus vitium. Confirmatoria.

EXORDIVM benevolentiæ captandæ cauſa ſignificat veracitatem, Figura elocutionis ἐπιμονὴ & diſtributio. Vide orationem pro Archia: Si quid eſt in me ingenij Auditores, quod ſentio quam ſit exiguum: aut ſiqua Exercitatio dicendi quam fateor optatam à me magis hactenus, quam tentatam: aut deniq; aliqua alia eruditionis facultas, in qua ruditatem & infantiam meam planiſſimè agnoſco, ea omnia ſanè nusquam libentius converterem, quam adverſus humanarum ſocietatum peſtem illam Calumniam. Nam quantum ego ſanè cogitare poſſum, nullum vitium memini, à quo majores clades, hominibus optimis & innocentibus inferantur, quam per calumniatores. Quod cùm veriſſimè ſentiam, interim tamen hoc mihi in memoriam revoco id quod in laudibus fit, ut ſi illæ nimiæ ſint vituperatio quædam videantur: idem etiam hic accidere poſſe, ut ſi illa convicia vituperationis loco in calumniam aut aliam turpitudinem ingeram, quæ propter vehementiam fidem non inveniant apud auditores; videar quodammodo ineptâ ratione collaudaſſe calumniam. Itaq; ut maximè vituperandam ſentio: ita potius ex orationibus jam dictis huic aſſentior, qui defendebat majus eſſe in furto quam in calumnia flagitium

quam ei quæ contrarium contendebat. Quæ igitur partes proximo collegæ relinquendæ fuerunt, ut hanc verissimam sententiam rationibus confirmaret, eas in me suscepi agendas.

Argumentum I. ] Non artificiosa vel in quibus minus opus est subtili aliqua ratione : aut ubi non errore sed per ignaviam peccatur, hæc sunt pejora erratis ingenij. Furta sunt illius, calumnia est hujus generis. E. furta sunt pejora.

Declaratio Majoris. Duo sunt genera delictorum, quædam cum advigilaveris, cum rationem consulueris atq; attenderis, tamen per quandam infirmitatem naturæ nobis obrepunt: Alia a. cum possent vitari per socordiam committuntur. Isto modo nemo est qui non peccet, etiam prudentes & pij : Hic autem vel posterior modus non cadit nisi in vilissima mancipia & scelestos homines.

Propositio Minor ] Jam furta dico esse ejus generis, in quibus vitandis nulla opus sit arte, omnes norunt, & ab ijs abstinendum esse, & quibus in rebus committantur. Atq; adeò etiam ipse belluæ ut canes, si quid è culina abstulerint: Item lupus, de quo pulcherrimè Poëta,

Prius quam tela inimica sequantur
Continuo in sylvas sese avius abdidit atras
Occiso pastore lupus &c.

Calumniæ autem tanquam & hæ sepe à malitia proficiscuntur, tamen frequenter per imprudentiam excidunt, ut magna opus sit arte, ingenti sollicitudine, incomparabili pene prudentia ut ne calumniam alicui dicas aut facias: Ne verò dicere vel facere videaris, vix videtur fieri posse. Homines enim sum9 dum provocati injuria ad iram accensi vim propulsare studemus, facile fit ut inhonestius, quam dignus est adversarius, judicemus. Item dum per credulitatem aliorum delationibus plus justo fidei adhibemus. ut affirmare ausim, vix quenquam esse repertum, tantæ humanitatis, patientiæ, prudentiæ, quin aliquando si non condemnatus calumniæ crimine, saltem ejusdem in alium intentatæ suspicione non caruerit. Hi ergò omnes si cũ furibus in crucem aut gravius etiam supplicium adigendi essent? Deus bone, quam pessimè huius sententiæ autor, & alijs bonis viris, & sibi ipse etiam

consuluerit? quanta inde turbatio Reipub.? quanta humani generis clades?

Conclusio. repetitio primò majoris 2. minoris. 3. propositionis.

Orat. I.

## Exemp. XXIX.

## De forma Reipub. constituenda ex Herodoto.

EXORDIVM. docilitatis causâ narret rem gestam ex Herodoto.

PROPOSITIO. I. Hanc gravissimam sanè Principum fortissimorum & de negocio omnium maximo, deliberationem describendam & pronunciandam in se susceperunt quos adesse videtis Ornatissimi Adolescentes.

2. PROPOSITIO HUJUS ORATIONIS. In hoc a. instituto nostro cum quædam reprehendi possint, his primum respondebo: Deinde attentionis benevolentiam quod alterum meum munus est à vobis petam.

I. OBIECTIO. Fortassis non deerunt, quibus hoc argumentũ nimis vulgare videbitur: quippe iam multorũ operâ descriptum & declamatum. Itaq; postulabunt ut potius nova exercendi materies afferatur. R. per inversionem. Adeò nos ab his dissentire profitemur ut hanc eandem causam nobis fuisse non negemus, quare dignum operâ nostra hoc argumentum videretur, quod familiare esset & frequentatum scholasticis exercitijs.

Ἀπολογία. Quia in hæc adhiberi debent ea argumenta, multorum operis trita ac peruulgata. Quod in omni institutione prima elementa communia quædam ab omnibus discenda sunt &c. Adde si vis alias rationes.

2. OBIECTIO. Itaq; tantum abest, ut metuamus, ne jure accusari à quoquam posse videamur, propter delecti hujus argumenti vulgaritatem, ut veniat nobis nonnunquam in mentem subvereri ne gravior sit hæc atq; difficilior deliberandi ratio, quam pro nostra ætate, pro ingenio, pro loco hoc. Dicent, idem nobis faciendum fuisse, quod in tyronibus exercendis milites faciunt ut ligneos equos aut hostes statuant, non veros, ad quos jaculando artem eam discant. Ita

non

non fuiſſe nobis hic producendos, Otanes, Darios, Megabyzos h. e. virorũ graviſſimorũ fingendam perſonam & ſententiam, ſed vulpem forte aut ciconiam, aut aliud è fabulis: neq; deliberandum de Repub. conſtituenda, ſed de chartis forte, aut aliud quiddam ſaltem quod non longe à nucibus abeſſet.

R. Si qui verò hoc ſentiunt, hos ſanè graviſſimè errare contra ſentiö. αἰτιολογία, Iuvenes oportet in ſcholis in ijs rebus exerceri quibus olim in Repub. occupabuntur. Quod ſcholæ ſunt gymnaſia quædam, in quibus exercitatum animum, afferre debes ad Rempub.

II. Petitio benevolæ auſcultationis.

## Primus Princeps dicet pro Democratia. *Orat. II.*

EXORDIVM. à pietate.

Quanquã ſumma veſtra, viri Principes, ſatis perſpecta eſt animi magnitudo in ſubeũdo hoc pro libertate patriæ periculo, turpiſſimoq; ſervitutis jugo fortiſſimè à cervicibus omnium noſtris depellendo: tamen quæ veſtra pietas eſt ſponte veſtra mecum agnoſcitis tantam Reip. noſtræ fortunam, tam inſperatam libertatem, tantam omnino omnium noſtrum commoditatem, non noſtris hominum vel conſilijs inveniri vel viribus obtineri potuiſſe, ſed divina aliqua numinis clementia certiſſimè nobis conceſſam eſſe. Quæ cum ita ſe habeant, principio Deo omnium adminiſtratori, ſcelerum ultori, juſticiæ vindici &c. gratias agamus.

Porrò cum quæ accepimus à divinò numine felicitatis tempora, ita nobis tributa eſſe videantur, ut ne per negligentiam quandam temerè, aut in quandam calamitatem Reip. dilabi patiamur: ſed prudentia noſtra conſervemus quantum quidem per nos fieri poteſt, Reip. diuturnam. Itaq; indictus eſt hic inter nos hodie conventus ut de Rep. conſtituenda ageretur. Atq; hic utinam mei Principes, idem Deus qui mentem nobis liberandæ à Magis patriæ indidit, etiam facultatem ea excogitandi conſtituendiq; concederet quæ Reip. ſunt quæ ſaluberrima. Quod à numine recte quidem ſperare poſſumus, interim noſtri officij erit quàm diligentiſſime de hac eadem re etiam atq; etiam cogitare.

Si quid mihi videatur auſcultare vobis commodum eſt, puto nihil rectius poſſe Reip. conſuli quam ut depulſa ſemel â Rep. intollerabili illa Regiæ poteſtatis licentia ac dominatione : hanc civib. noſtris libertatem integram illabefactamq; reſtituamus. Interim tamen ne Magiſtratu omni careamus ſine quo ſalva eſſe non poterit Reſp. ex omnium civium ordinibus deligantur certi quidam, quibus Reſp. adminiſtanda credatur. Qui non tanquam domini nobis pro libidine imperent, ſed tanquam vigiles quidam noſtri ac legum cuſtodes, prudentiâ, juredicendo, conſulendo, juvando Remp. moderentur.

ARGUM. 1. Dixi quid ſentiam. Nunc quæ me ratio ad hanc ſententiam impulerit, attendite. A pluribus civibus hæc approbabitur ſententia: Imo omnes hoc exoptant, omnes â vobis contendere videntur: Ut quoniam Deus immortalis per vos quidem libertatem, ſed non ſolum vobis ſed univerſæ Reip. reſtituit non vobis ſolis uſurpetis: ſed quod omnium eſt, omnibus quam primum committatis.

2. eſt hoc commune alijs hominibus imò animantibus. Omnes enim ita nati ſumus, ut nihil magis averſemur quam alienum iſtum dominatum. Nihilq; magis commovet hominum animos, & ad quandam humanitatem ac mutuam benevolentiam traducit, quam juris, Legum, officiorum ac dignitatum quædam paritas. Feræ beſtiæ impatientiſſimæ ſunt ſervitutis, ut cecinit quidam Poeta:

Sint benè concluſæ quamvis Pandione natæ,
Nititur in Sylvas quæq; redire ſuas.

ARGUM. 2. Quò quiſq; generoſior eſt, eò eſt alienior ab iniquiſſimo illo ſervitio. Nam quid æquius quã illum imperio præſidere, qui prudentia & virtute melior ſit? Regi autem ab hoc alios ignaviores & ſtolidiores? quæ fiunt in populari imperio. In regio eadem omnia peſſime pervertuntur.

Epilogus faciat repetitionem. 2. motum per proſopopæiam, Inducat Deum loquentem pro libertate populi.

III. *Exemp. XXX.*

## Alter Princeps contra Democratiam, pro Ariſtocratiâ.

Exor

EXORDIVM. Cum pluribus nominibus gravem nobis fore dudum animo quasi ac mente prospicerem, Viri principes, hanc quasi turbatæ Reipublicæ in tranquillitatem revocationem, propter sententiarum quæ à vobis gravissimis viris dicendæ forent varietatem: tum nunquam sanè incidere mihi in mentem potuit, futurum esse, ut eò usq; libertatis amantes essemus, ut propter hujus prætextum nomen Reipub. splendorem ac salutem adeò, vulgi temeritati creditam cuperemus. Itaq; miror eam sententiam collegæ nostro placere potuisse: idq; eò magis quo certius animum ejus ac fidem summam erga Remp. exploratam habemus. In quo de ipso judicio cum minime errare nos persuasissimum habeamus: etiam hoc sine omni animi dubitatione credimus, fore ut non tantum non offendatur, sed etiam gratissimum habeat, si quid melius in Reip. salutem cuipiam inciderit. Præsertim cum sublata regni potestate, etiam hæc in dicendis sententijs libertas hodie nobis usurpetur.

Propositio orationis,) Ut igitur quid mihi de Republica videatur vobis exponam; de Regiæ potestatis nomine abolendo, postquam ipse ille dominatus regius sublatus est planissime collegæ assentior. Verum ut promiscuam Magistratus autoritatem & communem cum plebecula faciamus, non video an non sit cum certissimo Reip. damno & exitio conjunctum. Itaq; quam optimè Reipub. consulturos nos puto, si qui sunt in Persarum regno optimi quiq;, virtute non sua tantum, sed etiam majorum & generis sui commendati, tum qui etiam â potentia aliquam autoritatem & reverentiam apud cives sibi concilient: his Rempub. committamus.

Argumentum 1.) Pauciora hic sunt mala. Non ita metuenda discordia sententiarum quæ facilè accidit in multitudine plebei Magistratus; Non ea superbia, quæ animadvertitur in vulgo, ad honores obrepente: non seditionis periculum, quod plebecula facile eam comitat adversus eos quos ejusdem secum generis sordibus natos meminerunt: Eos autem, quos nobiliori & ampliori loco natos sciunt: etiam digniores, quibus pareatur credunt. Non ea dominatus libido, quam sæpe sub corruptissimi unius hominis moribus injuriam in vitam, opes, liberos, non plebecula tantum, sed viri Principes etiam experiuntur. &c.

Argumentum 2.) Plura hic bona. Virtuti operam plurimi dant, qua ad nobilitatem illam contenditur. Cum plebecula, tantum opibus inhiet: Regi autem tantum abblandiri & supparasitari studeant 2. Hic optimo cuiq; præmium: apud plebem invidia: apud Regem suspicio aut contemptus paratus est. Hic paretur â volentibus: in Regno ab invitis: sub plebis imperio ne paretur quidem:

CONFUTATIO Ad primum Argumentum (Omnibus placet, plebi præsertim nostræ.) Resp. per negationem majoris propositionis. Vulgus ex libidine sua omnia æstimat, non ex veris caulis. Itaq; non tam nobis videndum quid illi expetant, sed num honestum sit, num cum Reip. salute conjunctum &c,

Epilogus fiat repetitione dictorum.

## *Ex. XXXI.*

*Orat. IV.*

## Tertius Princeps pro Monarchia.

EXORDIVM. Si ea semper sententia, viri principes, absq; ulteriori inquisitione accipienda in consilijs est, quæ & à gravi authore profecta & benè firma ratione communita est: video nullum nobis deliberandi aut sententias dicendi locum superesse.

Quoniam qui ante me dixerunt collegæ mei ita authoritate graves sunt, ut si rationibus sententiam suam non communivissent, sola authorum dignitas eam satis tueri deberet; ita vero firmis rationibus ea quæ dixerant obsepserunt, ut si à quocunq; alio dicta sint, tamen non me tantum sed quemvis alium prudentissimum virum commovere potuerint. Verum quoniam ea est publicorum consiliorum ratio: ut etiamsi optima sententia primo loco dicta sit: tamen ne non satis diligenter inquisisse videantur qui intersunt, etiam hi quod visum fuerit dicant: ea mente quid de Repub. mihi videatur non gravabor exponere. Præsertim cum quæ dictæ sunt sententiæ, à viris quidem prudentissimis & patriæ amantissimis prolatæ sint, interim tamen ita comparatæ videantur, ut longe melius consuli patriæ nostræ possit si ista jamnunc non sequamur.

Propositio. Reijciebant enim illæ ambæ Regiam potestatem: una popularem statum: altera optimatum imperium præoptabat.

Qua in re quoniam uterq; ab utroq; dissidebat: Etiam mihi hanc veniam dabunt spero si cum neutro sentiam: sed quod Reipub. salutarius credam, si Regis imperium sub quo hactenus viximus non ita temerariò à nobis excutiatur.

Quod cur ita sentiam, non difficile erit vobis exponere. Vos quæso per eam quam Reipub. debetis fidem, studiose diligenterq; de tota re cognoscatis.

Argumentum 1.) Regnum est diuturnius.) Exempla multa extant regnorum multis seculis propagatorum. Non item Aristocratiæ aut Democratiæ. Ratio) Quia facilius ex multitudine unum aliquem demortuo sufficere aptum imperio, quam multos.

2. Quia adversus seditiones magis tutum: cum cives uni quam multis obedire malint: tum Regi secum ipsius nullæ contentiones metuendæ sint.

3. Item adversus hostem facilius ab uno quam multis ducibus Respub. defenditur. Simile.) A fasciculo lignorum. 2. à familia, quæ diuturnior est si ab uno regatur Domino, quam si à multis: Immò hoc fieri plane non potest.

Argumentum 2.) Latius patet regnum vel communius est. 1. Apud plures gentes usitatum. 2. Tum plures habet imagines in vita. Ita bestiolæ quæ gregatim vivunt sub uno quodam duce congregantur: apiculæ, formica, boum armenta, gallinarum chors.

Arg: 3.) Hinc plura bona in Remp. 1. obedientia subditorum major. 2. Terror ab hoste minor. 3. Vigor legum ac justiciæ major.

Argumenrum 4.) Imitantur ipsum Deum qui non nisi unus mundo præsidet: sicut etiam est unus sol, unus mundus, unum hominis caput: una anima: unus conjugis maritus.

Epilogus, faciat repetitionem.

## *Exemp. XXXII.*

## Comparatio inter ætates.

*Oratio I. L. C. vel Conclusio in thesi.*

EXORDIVM. Attentionis causa fiat à philosophemate vel Loco communi, ut vocant, sed paradoxo, Ætatem sc. aliqua afferre quidem ad felicitatem adjumenta, sed eadem etiam vel similia alijs adesse

esse ætatibus: tum adjuncta quædam habere incommoda. Ut non tam ex ætate quam usu hujus æstimandi sint homines: & non ille sit habendus felicior, qui ætate vixerit commodiori, sed qui eâ melius usus fuerit vel sua virtute vel Dei benignitate. Ut res exemplo fiat illustrior: Ætas provectior, comparata habere poterit à prudentia & virtute plurima præsidia ad felicitatem: quare merito quodam suo videantur præferendi qui hanc assecuti sunt præ adolescentulis. Verû quid si hi divina quodam indole nati aliqui sint, tum advigilaverint, ut his rebus ætatis angustias in acquirenda prudentia compensaverint: Quid si illi senes dico, ignavia & segnitie imo luxu & nequitia vitam transegerint? An non & stultè judicaretur, & iniquissimè fieret, si illi industrij adolescentes præ his turpibus senibus contemnerentur? Sit puer præclara spe natus: Sed eadem ætate tenella morte præventus: hunc si ad hominem plurimorum annorum comparemus, sed eundem aut nequam aut calamitosum: non dubitabitis credo, quin quemadmodum ille quidem ætate & annorum numero à sene: ita hic ab illo puero feliciori & meliori conditione superetur.

*2. In hypothesi.*

Ratio vel αἰτιολογία ab obsurdo consequente. Quæ quanquam ita sunt perspicua, ut ulteriori probatione non videatur opus esse: tamen illud quæso considerate, annon eadem æstimandi ratione scilicet ab ætatis numero, arborum annosissimarum, item lapidum & ferri longe major præ homine esset credenda excellentia? &c. adde alia.

2. à simili. Quemadmodum gemmas propter exiguam magnitudinem non viliores sed cariores habemus quam silices aut pumices: ita ætatis vel exiguus numerus nihil demere nobis nihil addere poterit felicitati; sed omnis hujus conjectura aliunde tutius sumitur, scilicet à veris virtutis exprimentis.

Accommodatio dictorum in rem præsentem. Quæ cum ita se habeant, per commodum est nosse eam rationem, quare singulæ ætates alijs vel meliores vel deteriores sunt, ut utrasq; conditiones illas in nostram aliquam utilitatem possimus convertere. Itaq; quidam, quos videtis adesse, nostri condiscipuli eam in se operam susceperunt, ut ætatum quandam inter se comparationem instituerent &c.

Petatur benevolentia & attentio.

Oratio II. & III. pro adoleſcentia fingantur.

Ora. IV.

## Exemp. XXXIII.

## Pro præſtantia infantiæ & pueritiæ.

EXORDIUM. Memini me audire cum reprehenderetur ea neſcio cujus authoris ſententia, Auditores, qua affirmabatur, optimum eſſe non naſci, proximum maturè poſtquam natus fueris è vita emigrare. Et primam quidem hujus ſententiæ partem neq; ego neq; quisquam alius noſtræ fidei homo approbare facile poterit: propter ſpem maximæ gloriæ à Chriſto noſtro partæ omnibus nobis qui ex hominibus nati fuerimus. Verum quod ponebatur in aliquo felicitatis humanæ numero, ſi in ætate infantili finem vitæ adipiſcamur q.ad beatitudinis collecti horrea, ne inſequentium ætatum tempeſtates, calamitatem nobis inferant: id inquam, annon potius ultro approbandum quam ullo modo reprehendendum ſit ſpero, multos mecum dubitare. Mihi verò, ſi veſtra in auſcultando benevolentia acceſſerit, hoc jam propoſitum eſt, ut eam dubitationem omnem animis veſtris eximam, vobisq; planiſſime perſuadeam, feliciter actum eſſe cum ijs qui poſtquam initia illa vitæ humanæ prægustaverint, morte prohibeantur reliquæ ætatis acerbitatem ſentire. Quod hoc pacto effecturum me puto: ſi oſtendero vobis, plus in hac ætate, infantiæ & pueritiæ dico, boni ac commodi poſitum eſſe, quam in reliquis omnibus: ut ſi iſtis perfruiti ſimus, jam in his nihil reliquum ſit quod magnopere deſideremus.

Argumentum I.) Omnia in ætate infantili ſunt naturalia, in reliquis aſcititia. Nutrimentum, cupiditates, appetitus, ſtudia & occupationes.

Argumentum 2.) Præterea hic omnia integra. Nullus locus ſuperbiæ, calliditatis injuſticiæ, fraudibus.

Argumentum 3.) Perpetua quædam jucunditas: ſcilicet ex ſenſuum oblectationibus: cum nullis vexentur rei familiaris, aut honorum, aut cupiditatum explendarum curis, aut dolote ex jacturis rei vel publicæ vel privatæ, vel ſuæ vel alienæ.

Argumentum 4.) Honeſta omnia. Modus victus, quem ac-

cipiunt tantum à parentibus. Reliquæ ætates sæpe per fas nefas: & patiendo injuriam.

Argumentum 5.) Necessaria hæc ætas. Cum omnes reliquæ ætates ab hac capiant initium: Sed non omnis infantia excipitur à reliquis ætatibus &c.

Peroratio faciat repetitionem

Propositionis & argumentorum.

Orat. V.

## Exemp. XXXIV.

## Pro senectutis excellentia.

EXORDIVM. Credo equidem, Auditores, expectare vos ut more utar communi illo nostro, & orationi habitæ contradicam. Præsertim cum id facillime posse videar: quippe quod illa oratio adeo longe ab omni plane omnium sententia discesserit, ut studio sibi ac laudi habuisse authorem non dubitem, quod aliquam unam alteram rationem excogitare potuerit, qua hanc opinionem adornaret.

Verum quæ causa alium impellere potuisset ad disceptationem hanc ineundam, nempe oppugnationis facilitas, ea me maxime absterruit. Non quod ego eam ingenij felicitatem mihi arrogem, ut istis præsidijs opus non sit: sed quod verecundiâ prohibear ne fastidium vobis ultro parerem, si in ea sententia à nemine vestrum credita studij aliquid ad refutandum à me ostentaretur.

Quid enim minus persuaderi poterimus, quam esse in aliquo felicitatis numero ponendum si quam citissime ac in ipsa infantia moriaris? Si cum vix lucem aspexeris, ea statim priveris? si ante moriaris, quam quid vivere sit didiceris? & tamen hæc defendebantur: Atq; adeo ipsa puerilis & infantiæ ætas, reliquis humanis ætatibus longe anteferebatur.

Verum non disputabo hæc nunc jam. Interim tamen si de ætatibus judicium faciendum est: puto senilem, longe reliquarum unam omnium præstantissimam esse.

Quam sententiam ut exponere vobis possim, facite ut vestra attentione me juvetis.

Argumentum I.) Senectutis functiones ac vita est facilior.

Reliquæ enim ætates aut tenuitate virium prohibentur aut per imprudentiam, aut animi demum i.e. iræ ac cupiditatis impotentiam: Ut vel non possint ad ea pertrahi quibus honeste & commodo Reipub. ac suo fungi poterant: aut præstare etiam quæ præclare cupiverunt non valeant. Senes vero & exercitatos habent sensus: & his adjunxerunt longissimo rerum usu prudentiam: Quâ sane plura præclariora & magis admirabilia atq; adeo etiam difficiliora opera efficiuntur quam manu.

Argumentum 2.) Senectus suâ ipsâ magis operâ vivit.

Quod ad gloriam: Non potest a majoribus accipere commendationem: quippe quorum jam perijt, ut fit, ex animis novi istius seculi, memoria. Itaq; à se ipso senex petit omnem laudis ac nominis materiem. Juvenes vero & viri propter spem foventur, indolis alicujus quam aut à nativitate horum aut ab aliquo specimine colligimus. Hi istorum egent consilijs, præceptis, imperio: Illi facile his carere possunt: quippe sine quibus jam dudum compararunt sibi vivendi præsidia.

Argumentum 3.) Senes rariores.

Argumentum 4.) Senes amamus & suspicimus magis: omnesq; ad similem ætatem pervenire exoptamus.

Epilogus. Per repetitionem: in qua fiat perpetua öppositio, e.g. senectutis functiones faciliores.

Reliquarum ætatum difficiliores &c.

## *Exemp. XXXV.*

## Pro Ætatis virilis Præstantia.

EXORDIVM. Animadverti auditores duas hodie easq; adversas sententias de ætatibus dictas esse, quarum altera pueritiam, altera senectutem feliciorem reliquis efferebat. Ego verò neutram eam recipiendam censeo: Itaq; ut utriq; contradicerem surrexi. Sed cum considero quid mihi contra utramq; afferendum sit: Altera quæ pro pueritiæ felicitate pugnabat, per mihi brevis & non magnæ contentionis fore videtur. *Orat. VI.*

Altera autem pro senectutis excellentia, quæ & Ciceronem Patronum habet, & præterquam quod per se non videatur à veritate etiam abhorrere, rationibus pluribus confirmata est: Prospicio quantum in refutando difficultatis & quantum laboris sit habitura. Sed in hac tanta difficultate illa me res tamen, Auditores, consolatur; Quod vos de sententijs ex hoc loco dictis sic audire consuevistis, ut causarum rationumq; momenta attendatis, ut non aliud de re tota vobis assentiendum existimetis, quam, quantum sententiæ author, & contrarijs opinionibus diluendis consequi, & suis confirmandis probare potuerit. Quamobrem, alteram illam controversiæ hujus partem, de puerorum felicitate, ne attingam quidem, alteram autem paucis disceptabimus. Et ita quidem ut simul virilem ætatem reliquis opponamus ac præferamus. Nam ut illam operam nostram non desideretis, vestra ipsi diligentia hoc assequemini, ut intelligatis in ea datum esse aliquid ingenio ab authore. In hac autem vestram attentionem auscultationemq; benevolam imploramus.

*Refutatio.*

Argumentum I.) Senectutis functiones faciliores: propter prudentiam & domitos iracundiæ & cupiditatis impetus. Resp. At animi corporisq; vires imbecilliores. Ut ille conqueritur, at enim gelidus tardante senecta sanguis hebet. 2. Eadem sunt in viris: sed adest etiam præterea virium integritas. Inde igitur ἔργα νέων, ubi viri intelliguntur.

Argumentum II.) Senectus sua opera magis vivit: quod ad gloriam & vitæ subsidia. Resp. Nihil magis eget alieno subsidio quam senes, Inde enim viri conjugiorum subeunt molestiam ut olim à liberis suis infirmitati ætatis consulant. At non confidere possunt gloria majorum? R. vivunt ergo liberorum gloria. Habent omnia à seipsis comparata. R. At partorum defensio non potest ab ipsis præstari, à reliquis ætatibus mutuanda est.

Argumentum III.) Senex rarior, Resp. Etiam hoc in multis vilibus rebus fit: Item malis, ut certis generib. morborum.


Argumentum IV.) Senes magis amamus. Resp. At illæ quotidianæ querelæ senum quod contemnantur.

*Confirmatio.*

Argumentum 1.) Perfectior eſt ætas virilis. Omnia hic in ſummo vigore. Maturitas quædam ingnij. Præſentia animi in aggrediendis, induſtria in conficiendis negotijs. Tum valetudo confirmata: Hac ætate liberi ſuſcipiuntur, educantur, in alias familias quaſi colonias emittuntur. Quid his ſimile habet, nou dico Pueritia ſed adoleſcentia aut ſenectus? in illa propter anguſta ætatis ſpacia vix tot ac tantarum rerum ſpecimina ac lineamenta prima, ac quaſi oculi apparere poterunt; quæ maturatæ ac perfectæ in viris perſpiciuntur: in ſenectute quadam naturæ infirmitate ad marcorem quendam revoluta ſunt.

Argumentum 2.) virilis ætatis quædam portiones ſunt reliquæ. Nam in hanc deſinit adoleſcentia: Et tanquam tenellus quidam ramus robore contracto juſtæ magnitudinis, ab incremento conquieſcit: Ita poſtquam ab annis adoleſcentiæ ad virilem quaſi conſtantiam & ſoliditatem profecti fuerimus, nihil aliud niſi robur & perfectionem noſtram nacti ſumus. A qua rurſum diminutio quædam fit per ſenectutis languorem:

Epilogus facit mentionem argumentorum verbis ſingulis.



# EXERCITIUM PRIMUM
## Ethopæias Præfatio.

Oratio I.

*Exordium à modestiæ significatione super ea re quod primus assurgas.*

SI quis est A. qui miretur cur ego primus in hoc exercitationum collegio ad dicendum surrexerim: quod credat eas partes deberi his saltem, qui primos in rei oratoriæ studijs progressus fecerit: sciat alium in his exercitiorum præludijs, alium in negocijs serijs ordinem solere servari. Hic in serijs dico ita quidem fieri moris est, ut dignissimo cuiq; etiam agendi & dicendi principatus attribuatur: In ludicris autem & præparatorijs studijs non ex dignitate exercentium, sed materiæ argumentiq; commoditate ordinem dispartiuntur. Ut quo quæq; disceptanda quæstio plus difficultatis contineat, eò magis industrium atq; exercitatum ingenium discipuli requirat atq; eligat exercitiorum præses, quod quasi illi ferendo oneri par ac sufficiens alleget. Quo consilio etiam factum omninò existimabitis, & ego planissimè persuasum habeo: ut hæ partes præfandi & præmonendi vos, quid rerum ad vos hodiè allaturi simus, tanquam omnium facilimæ mihi deferrentur. Quas ego sane pro ingenij mei mediocritate ad me delatas gauderem, nisi vel communi hominum ingenio, vel quod ita revera se res haberet, adeo difficiles expertus essem ut vix à collegis plus captum & exhaustum in suo absolvendo penso crediderim. Sed quicquid hujus sit: expectatis credo ut de quo argumento acturi & orationes dicturi sint qui assident adolescentes id vobis indicem.

Propositio

Indicatio argum. I. de scopo nostro in genere.

Principiò est in Aphthonij progymnasmatis, Ethopæja: unde docemur animum hominis oratione affictà ita pingere, aut facinoribus enarratis: ut auditores vel spectatores admissi videantur sibi quasi ipsis oculis cernere & prospicere intus ferventem animum irà, aut dolore conturbatum, aut gaudio tripudiantem, aut spe erectum, aut abjectum metu: aut virtute aliqua delinitum ac placatum & exornatum, aut pessimo conspurcatum vitiorum cæno. In hoc artificij genere Deo benignè nos juvante istum mensem exercebimur. ITAQ;

his

his, quos jam accinctos ad dicendum videtis, placuit iram in Davide postquam à filio Absolomo parricidium commissum erat, oratione efformare. Et hæc primi erit provincia. ALTER Absolomum filium deprecantem faciet: & conabitur hujus dolorem super facto suo, & spem super parentis placatione non tam patri quam vobis ab oculos proponere. II. De præsenti argu.

TERTIUS. desinitionem misericordiam & clementiam regis patris adumbrabit.

Epilogus petit benevolentiam auscultationis.

## Exemp. I.

II.

# Effictio iræ in Davide stomachantis adversus parricidium Absolonis.

Quid audio de Absolomo? illud facinus facere esse ausum? ô vanas spes nostras! quam turpiter me fefellerunt illa optimæ indolis argumenta? Mater proba & modesta: blanditiæ pueriles &c. (narrentur reliqua ex locis personarum. Item exprobrentur turpia & mala. E. G. Uerum nunc intelligo tandem Canaanis & non Davidis aut Israelis sanguinem hunc esse: imò Caini potius. Quod dudum cogitasse aut prævidisse debebam, quando ad conjugium Ethnicum cum Cananitis animum adijcerem, &c: collige reliqua turpia ex circumstantijs personarum ex prog. 2. applicata Absolomi historiâ) Cogitatio præteritorum 1. Personæ Absolomi.

Ego verò quâ non benevolentiâ & charitate te complexus sum? &c: (numerentur blandimenta & indulgentiæ paternæ, merita quæ exhibuit David huic filio præ alijs.) 2. personæ Davidis.

Hoccine erat epulum illud? Hæccine ovium tonsura? hæc blandissima inuitatio? sc. ad cædem non ovium quarum carnibus fratres humanissimè exciperes: sed hominum qua ipsum illum sanguinem fraternum tuum inusitato crudelitatis exemplo exhaurires. II. Cogitatio rerum præsentiũ vel ipsius facti. 1. antecedẽtiũ.

(Ita porrò reliqua exaggera. E. g. quod ipsum patrem invitaverit. 2. quod non solum Ammonem, sed omnes Regis filios fratres suos. 3. Quod tam diligenter institerit. 4. Quod adeò artificiose scelus dissimulaverit, non reliquo tantum sed hoc ipso quo destinatum habebat tempore.)

O sce-

Media. O ſcelus, ô immanitatem plus quam barbaricam. Hominem amicum invitare ad te: & ejus vitæ inſidias ſtruere? Convivium & hilaritatem ſimulare, & interim odia, crudelitatem, necem, parricidium cogitare?

Adventum hoſpiti, convivæ, fratri gratulari, quem non ſalvum adveniſſe ſed in tuas inſidias incidiſſe, & nunquam ſalvum abs te abiturum eſſe gaudeas? (Ita exaggera reliqua: quod præſentibus fratribus: quod poſt cænam: cum jam bene poti eſſent, interfecerit: quod ſpectator adeſſet. Quod non veritus locum illum hoſpitalem: non tempus hilaritatis: non fidem ac dextram fratri porrectam, non terram, non cælum &c.)

Conſequẽtia. Non cogitavit quam acerbe hoc eſſet parens laturus. 2. neq; quæ ſibi pæna divinitus immineret. 3. ultrò etiam profugit. Non quod facti pæniteret, abſtinuiſſet enim à facto: ſed ut patri ultrò illuderet, ſc. quod ſic juſtas à ſcelerato ſanguine pænas ſumere Pater non poſſet.

III. Cogitatio rerũ futurarum. O ſcelerum artificem! ſed non effugies divinam vindictam 2. Ego autem faxo ne tu me fruſtra irriſeris. Avus tuus aut reddet te mihi ad pænam: aut eandem tecum dabit. Vel de regno ac vita periclitari malo: quam tu illud ita inultum auferas.

## *Exemp. II.*

Orat. III.

## Abſolomus fit ſupplex Davidi poſtquam reconciliatus erat & reductus ad patrem per *Joabum 2. Sam. 14. 33. exprimitur dolor & ſpes.*

Cogitatio rerum præteritarum. I. Perſonæ. O me nunquam prudentem! qui ita me comparavi ut tu cui chariſſimus filius eſſe ſolebam, neq; hominem me natum eſſe velles: & ego qui in tuis ſemper oculis habitabam, ne ejusdem quidem tecum regionis finibus uti, præ facinoris conſcientiâ auderem. Ego enim annon vita ac luce iſta indigniſſimus habear: qui adeò me familia ac natalibus meis indignum geſſerim? Cui cum Deus ex te (non dicam laudes tuas in os, ſed quod patieris dicam) tam pio Rege natum eſſe conceſſiſſet, ad tantam non impietatem ſaltem, ſed belluinam feritatem prolapſus ſum &c. (Adducantur ſic reliquæ circumſtantiæ perſonales: & componantur cum facto vel culpâ.)

Adeo

Adeo me fuiſſe non dicam incogitantem, ne ſcelus meum extenuare velle videar, ſed ab ipſo malo Dæmone excæcatum: ut ita temerè manus innocentis hominis, & Regij hæredis quidem, atq; ejusdem fratris mei ſanguine fœdare nihil vererer? Quid me turpius aut miſerius? primum qui Deum offendi 2. patrem. 3. contra quem fraternus ſanguis in cælum clamat. 4. Quem fratres omnes tanquam vitæ ſuæ inſidiatorem optimo jure averſari & execrari poſſent. Conſequētia facti.

Graviſſimè autem me exercuit hic dolor: Nunc vero quando in lucem hanc prodeo, poſtquam paternos vultus iterum aſpicio, cum aſtantium tibi miniſtrorū, & omnis populi conſpectus & intuitus facinorum meorum memoriam mihi refricat: neſcio quomodo totus doloris acerbitate obruor. II. Cogit. rerum præſentium.

Itaq; ſanè huc prodij, ut vitam meam mi pater, ſi per clementiam tuam ita appellari te pateris, ut vitam inquam meam abs te deprecarer. Sed quorſum hac mihi opus eſt? niſi ut miſeriei meæ diuturniori cogitatione excrucier? Utinam vel terra me penitus vivum abſorpſiſſet, quando hoc flagitiū moliebar: vel nunc etiam eâ ruptâ præcipitarer: ut ita ſaltem triſtiſſima illa conſcientiæ liberarer carnificina. Quod ſi pietas tua, mi pater, aliud meretur: ne qui alterius filij cæde graviter afflictus es, alterius æterno exitio gravius vexeris: eſt quod Dei in te ſingularem favorem, & tuam perpetuam erga me benevolentiam etiam hinc agnoſcam: quod ſine dubio precibus tuis hactenus vitam mihi prorogaſti indigno: donec pænitentia de peccatis acta minori tuo dolore & meo periculo morerer. Quare quæ mihi pænitendi ſpatia à Deo impetraſti, eis hic in ſacrorum publicorum loco apud te fruendi poteſtatem non denegabis. III. Cogit. futurorum. Epilogus ſpē depingit.

## *Exemp. III.*

## Patris Davidis reconciliati & deliniti Oratio. *Orat. IV.*

Qua pingit miſericordiam, placationem, ac clementiam ſuam.

EXORDIVM. Quanquam non ita ſatis mihi purgatus eſſe debebas, fili Abſolom: ut poſtquam inaudito facinore me, fratres, Le- Ab objectione: ſive ratione propoſita adverſaria.

*Solutio vel occurſus.*
*Ratio objectionis vel reprehenſ.*
*Ratio ſolutionis ſive correctio reprehenſionis.*
*Propoſitio orationis.*

gesDeum graviter offendiſti nunc precibus venias lautum peccatũ tuũ:
tamen vel lenitas mea, vel ſerius tuus ille ut videtur de peccato dolor
facit, ut miſereſcat me tui. Nam proh Dei atq; hominum fidem, quid
cogitaſti miſerrime, aut potius qui ita plane nihil cogitare potuiſti, ut
tantam ſceleris immanitatem in te concipere non pertimeſceres? Ve-
rum quoniam ita decretum eſt, ut tuo peccato veniam concedamus:
Itaq; non exprobabo amplius. Illud tamen te iterũ iterũq; monitũ vo-
lo: ne tibi videaris quaſi qui noſtra inepta aliqua indulgentia, aut tuis,
quas poſſis tibi ſtultè attribuere virtutibus receptus ſis, quod tui carere
non poſſimus: potius quam per juſtam aliquam de miſeria tua com-
motionem, & cujus ſemper ſtudioſi eſſe voluimus, pietatem ac cle-
mentiam. Quod ut penitus intelligas exponam tibi conſilium me-
um, quare te in urbem noſtram antea, & nunc etiam ad veteris pater-
næ benevolentiæ fruitionem admittimus. Non parum exardeſco in-

*Cogitatio præteritorum: ad ſeveritatem.*
*I. educatio*

te quoties vitam tuam â primis incunabilis mecum repeto: quanta
ſemper in te animadverſa ſit morum petulantia: quantum negotij no-
bis ex tua unius inſtitutione, mihi, matri, præceptoribus, aulæ magi-
ſtris objectum ſit &c. (narrentur alia per partes ſcilicet improbitatis &
malitiæ genera atq; argumenta.)

*II. factum*

Verum ita cogitabam: hem quod in vino recenti videmus fieri,
ut poſtquam fervendo defecatum eſt, conquieſcat; quis ſcit an non
Deus facturus ſit idem in noſtro Abſolomo, ubi ad ætatis maturitatem
excreverit? Quod ubi delatum eſt, non tantum penitus iſta ſpe me
excidiſſe: Verum etiam te ad tantam immanitatis audaciam proru-
piſſe: quid cenſes animi mihi fuiſſe? quanto dolore me perculſum eſ-
ſe? quam vehementer in te exarſiſſe? ut ſi mihi tui poteſtas facta fuiſ-
ſet, inuſitatum in te juſtæ ſeveritatis exemplum ſtaturus fuiſſem qui
adeò ſine exemplo deliqueras.

*III. Cogitatio præſentium: ad miſericordiam.*
*1. ſupplex Abſolomus*
*2. Pater, David, homo, pius &c.*

Nunc autem alio me in te eſſe animo, jubet ſqualor ille tuus: il-
la quam præ te fers doloris ſummi acerbitas, illæ lacrymæ tuæ (&c.
appone alia.)

Patrem enim tibi me eſſe etſi negare juſtitiæ vigor penè cogit:
tamen natura & animus paternus refugit. Neq; poteſt non mihi in
mentem venire, omnis noſtri humani generis calamitas. ſc. arundina-
ceos nos eſſe & inſtar tenerrimi culmi: ut quovis vel cupiditatis no-

ſtræ

ſtræ, vel Satanicarum illecebrarum leviſſimo impulſu ab officio & pietate ad ſcelera inflectamur: & ſæpè penitus evertamur, &c. (poteris hic longius in hánc querelam digredi)

Etiam porro divinæ miſericordiæ in mentem venit: â quâ cum ipſe peccator totus tàm multorum ac tam grandium delictorum veniam precatus ſim ac conſecutus, adeò fateor ea cogitatio non parum animum meum fregit: ut poſtquam maximè intolerabilem & acerbiſſimum ſuper facto tuo animi tui dolorem ſentirem, non poſſem, quin tuæ miſeriæ me tangeret commiſeratio.

Ea tamen conditione te in gratiam recipio & in locum reſtituo: ut ſi ex reliqua vita prudentius & magis piè inſtitutâ probaveris mihi ſeriam pænitentiam: etiam ſerio me tibi ignoviſſe credas. Sin ab improbitate nihil diſceſſeris, graviorem quam olim animadverſionem metuere habeas. DIXI.

Epilogus. IV. Cogitatio futurorum. 1. Pietas Abſolomi. 2. Impietas

## *Exemp. IV.*

## Quid animi fuerit Caino, & fratri Abelo: item parentibus in contentione filiorum.

*Oratio I.*

*Apologetica & didaſcalica: ſc. Quem uſum habeant hæ fictiones.*

*Præfatio*

*Exordium; Exponit occaſionem hujus quæſtionis ſuſceptæ.*

Cum proximè ex hoc ipſo loco, Auditores, dicerentur ex inſtituto noſtro orationes quædam: quibus vel Abſolon vel David olim uti potuerit, ille apud patrem deprecatus, hic adverſus filium ſtomachans, & placatus rurſum: fateor equidem in mentem mihi veniſſe dubitare, an iſtarum fictionum aliqua in vita, aut ad Eloquentiæ exercitium utilitas eſſe poſſet. Id equidem memineram ex Aphthonij Sophiſtæ præceptis hæc ita fingere licere: Verũ cui bono fieret, illud non ſatis mecum ſtatuere poteram. Quare cum ita præter ſpem accidiſſet, commodè dicam, an incommodè neſcio: ut in hac altera paleſtra noſtra mihi præfandum eſſet: Viſum eſt, meo loco eam dubitationem vobiſcum communem facere: vel potius ſi cui etiam veſtrûm vel antè vel nunc incidit, ut unâ operâ mecum inde evoluerem conari. Quod

Propositio. si igitur benignè auscultandi mutuas operas mihi præbueritis, eam harum fictionum causam enarrabo: Deinde quod argumentum aut drama producturi hodie sint, quos meditabundos assidere videtis adolescentes: etiam hoc indicabo.

Objectio. Cui usui, dicat aliquis, ista esse credam? si multum inpendatur bonarum horarum in excogitandis & oratione efferendis ijs quæ olim aut David adversus Absolomum, aut Polyphemus contra uthena stomachatus sit? Ἀντίθεσις. Perplurimo usui erit, mihi credite, mei Auditores; si quis istorum excogitandorum facultatem exercitio consecutus sit.

Correctio. Quanquam etiam illud fateor, placere non posse, si quis non etjam argumenti illum delectum habuerit, ut exercitij difficilem sanè & tempotis carissimam impensam in res pias ac veras, potius quam in vanas fabularum profanarum nugas non malit insumere. Verum vix fieri poterit ut Arcadico pecori sentes suæ & vanis ingenijs nugæ desipiant.

Enumerat. commodorũ per præteritionem. Verum ubi ille delectus habitus fuerit, dicetis, quid tum commoditatis? Non dicam nunc quod quæ per fictionem rebus olim gestis artribuimus, postea exercitio confirmati, facilè ad res nostras transferre valeamus: Non quod ipsa excogitandi vel inveniendi ratio ac Methodus hinc per plurimum adjuvetur: Non dicam nunc: quod sermo Latinus illa scriptione incredibili modo expediatur, percolatur, acuatur.

Ætiologia præteritionis. Enumeratio directa. Non quod hæc non verissimè dici possent: sed quod cum alia omni exercitatione oratoria communia sint. Illam verò propriam Ethopæiæ laudem & usum esse existimo: Quod quas hic nunc per lusum & jocum meditamur fictiones, etiam in rebus serijs, in scriptis, in meditationibus, concionibus etiam sacris locum gravissimum obtineant. 1. Quia sic penitius historiam inspicimus & intelligimus quid rei gestum sit. 2. Auditoribus magnitudo rerum in historia gestarum penitius in animo se insinuat. (Ipse hæc expoli.)

## *Exemp. V.*

## Caini adversus fratrem Invidia.

I. O insignem contumeliam! Ita me publicè affectum ignominia

minia & proclamatum, & ludibrio habitum? Et coram omnibus liberis, parentibus, cognatis nostris notatum infamia? Inter ipsa sacra? in tanta solennitate? cum honorem me & commendationem reportaturum sperassem? Ideoq; optimum manipulum ac plenissimum elegissem ut sic mererer gratiam? Sed quid fit? Mea tanta devotio non tantum præmio suo privatur, sed etiam sordet, contemnitur præ fratris hypocrisi, damnatur. Cog. præsentium 1. facti 2. Fratris 3. sui 4. parentum 5. Dei 6. causarum facti.

(Amplifica si placet aliter etiam, sc. assumtis circumstantijs fictis unde argumenteris. Tanquam à minori E. G. si hoc factum esset alibi & aliàs ab alijs & aliter non ferendum esset, aut paterer: sed quid hoc &c. 2. A descriptione repudiati alicujus dogmatis aut reprehensorum morum. E. G. ita dictant, es filius gehennæ: illudis Deo, nisi emendaris, non feremus te &c.)

II. Et quis ille qui mihi præfertur? quem pietatis exemplum mihi capere jubeor sc? callidissimus hypocrita, insanus præ devotionis ardore & vehementia: opilio pediculosus: adolescens imò puer sapientulus & audaculus: Qui nihil mihi præterquam de peccato, paradiso & inferno & Diabolo, & redemtore crepat. Objicit pietatem, officium, ætatem, sermones, studia

Quem ego quoties recordor, quam stulta vitæ instituta sectetur, non possum amentiam hominis satis mirari. sc. justos & sanctos sic nos fore persuadere cupit: si credas non quidem te sanctum esse, sed gratis tamen à Deo talem habitum iri. Et per humilitatem quemq; sibi videri debere indigniorem ac viliorem atq; alius quilibet sit. Puto illud velle: ut si hoc persuaserit, & eâ arte mihi imperare cæperit, postea eam legem abroget (Adde alia fidei & christianæ religionis capita, absurda rationi)

III. Et quid habent quod in me contemnant? An non ego primus non ex parentibus tantùm meis filius: sed ex hominibus homo natus? An frustra est, & nulli meo privilegio cedere debet, quod tanto gaudio parentes mea affecit nativitas? Cum eam Legem parentes dederint, ut qui in omni posteritate nostra primus filius natus fuerit, Rex & sacerdos familiæ sit. (Gen. 48. 3.) cur ego illo jure excludor? Cur mihi error affingitur, qui propter officium ne reliqui errent caveo sedulo? O scelerati? qui ita omnia jura divina humanaq; pervertitis! Penes nos est præcipiendi authoritas: vos obediendi manet ne- *Sui Cog.*

cessitas. Oves pastorem: filij secundum sacrorum dignitatem, patrem vestrum: membra putrida & cancro corrupta, caput vestrum judicatis?

3. Neq; etiam nativitatis fortuna solum ad hoc fastigium evexit: sed ipsius finxit naturæ benignitas. Requiritur enim in sacrorum Præside major animi magnitudo, sagacitas ingenij, judicandi prudentia, authoritas imperandi: quàm in istis pueris deprehendas.

4. Ne dicam de sapientia quam multo labore, multoq; atq; indefesso studio nostro consecuti sumus, & eam quidem, quæ nescio an par in posterum alij alicui obventura sit. Præsertim quando quæ nos scimus in tanta mundi ingratitudine cum nemine sim cõmunicaturus (ita porrò dic de alijs virtutibus: itẽ de potentiá, & divitijs, & de meritis erga religionem: aut fratrem, aut parentes &c.)

Parentum. IV. Nam de parente quid dicam? Adeo desipere præ ætate, ut omnia agat, ex adolescentuli libidine. Verè dicunt, onus esse nimis senem fieri? (exprobret obsequium suum in parentem.)

Dei. V. Dei ajunt imperio & instinctu hæc se facere? An vero ille hàc fratrum & religionis discordiâ, delectaretur? Ita ferè fit ut cupiditatibus suis Dei sanctum nomen prætexant pleriq; 2. Quid feci, quo mererer Dei indignationem? Non sum homicida, adulter &c. Quid non feci, quare non debeat mihi gratiam? Bis jejunium celebro singulis septimanis? singulis diebus horas meas precatorias observo &c. (narra alia opera electitia Monachorum) Quare cum nihil mihi hinc mercedis fieri videam-Numina sensu

Ambiguo, vel nulla puto, vel nescia nostri. Seu, Res humanas ordine nullo

Fortuna regit, spargitq; manu:
Munera cæca, pejora fovens:
Injusto arbitrio tempora dividens
Quod dignis adimit transit ad impios &c.

Causarum. VI. Scio quid conentur! mater persuasit patri, quod magis amat istum filium 2. tum rixæ inter mulierculas. 3. Invidia mera. 4. Superbia.

Epilogus cogites futura. 1. Foret hoc summæ apud posteros ignominiæ. 2. Religio planè pessundaretur 3. illi exultarent in sua improbitate 4. Itaq; vis adhibenda: frater è medio tollendus.

## Exemp. V.

# Abeli pietas.

### Alloquitur patrem.

Orat. III.

Cum in vita ista ærumnosa nostra, mi Pater, ego meo etiam loco incommoda satis multa & dolores acerbissimos pertulerim quod nosti: tum nescio neq; recordor an unquam mihi quicquam ita graviter vel saltem gravius animum perculerit, atq; hæc fratris mei à nobis & sacris nostris dissensio (Hic subijciantur circumstantiæ amplificantes h. e. demonstrantes rem maxime dolendam. Et aliquando signa tantum urgeantur vel propositiones minores, aliquando interpretationes vel accommodationes, vel propositiones majores aut conclusiones addantur e. g. Primum frater est eadem mecum constans naturâ, eodem sanguine: communes parentes, nomen, familia, maternum lac &c. (Signum voco) Quæ omnia ut arctissima sunt intimæ inter nos conjunctionis vincula: ita eorum recordatione multò me affligit miserius hæc fratris perditio atq; exitium (voco interpretationem vel accommodationem signi) Ita porrò reliqua conquire e. g. Quod pater doleat: quod mater, quod fiat totius humani generis quædam discessio: quod Deus offendatur. Quod non circa rem aut privatam aut publicam aliquam, sed de ipso capite ac fonte universalis salutis dissentiatur. Cog. præsentis dissensionis. à personis. à rebus.

Quod aliter corrigi non potuerit: cum res sæpe privatis reconciliationibus tentata esset, quin tandem publicè coram omnibus ejus errores arguerentur &c.) à causis.

Nunc tandem, mi Pater, videre mihi videor, quid sit quod morti involuti sumus miseri: & quid apportent inimicitiæ cum serpente. Non quod non antea diligenter ad animum cogitationemq; revocaverim: cum & tu frequenter monere soleas, & mihi illa perpetua atq; indelebili memoria custodiantur: sed quod doloris hujus quasi acumen penitius eadem in animum meum credo imprimat. Cogitatio rerum præteritarum sc. lapsus.

Nimirum hæc vera est illa mors & calamitas generis nostri: non quæ corporis sensibus molestia aliquando à frigore, morbis, & aliunde sentitur: sed ille mentis nostræ stupor, quo in divinæ veritatis agnitione atq; studijs homines obrigescimus. Quod fratri longè miserri-

mo nunc ſactum eſt. Tum doloris acerbitas illa quâ animi noſtri re-
liquorum propter conjunctæ naturæ communitatem diſtorquentur.
O peſſime ſerpens, Draco nequam, hoſtis perfidiſſime: Uerè iſtum
improbitatis & inimicitiarum tuarum ictum dediſti acerrimum! (fiat
comparatio: ſi datum fuiſſet damnum ſc. in alio rerum genere, fuiſſe
longè minus)

Cogitatio rerum futurarum: ſc. periculi imminẽtis

Sed quid agendum cenſes pater? Reconciliari ille pietati, nobis,
Deo non poterit. Tantam ſenſimus animi pertinaciam 2. Atq; adeo
ad injuriam accipiet omnia 3. Nobis omnibus, mihi imprimis ſum-
mum periculum 4. Egone autem propterea veritatis patrocinium de-
ſeram? mori me ſatius eſt 5. Spero autem Deum miſerturum pij cæ-
tus ſui: nequid patiamur violentiæ ab iſtius inſaniâ 6. Interim ſi aliter
eveniat ſcio non capillum de capite periturum ſine illa benevolentiſſi-
ma patris cæleſtis voluntate: ſcio ſi quid pro ipſius gloria impendero
mihi pulcherrimè fæneraturum eſſe. Reddere enim poteſt, quod per-
didero qui primum dedit: Longe meliora reddere volet, qui à me
liberalitate ſe vinci non ſinet.

## *Exemp. VI.*

## Adami fiducia, dolor, metus.

Mi fili Abel, quid agendum ſit quæris? Quid igitur? niſi nihil?
patiendum verò, & omnis Deo committenda iſtarum rerum cura. An
tu me minus te affici credis? At fortaſſis iſta magis præ te præmeditata
habeo. Itaq; & longe patior gravius, & ut fortiorem me præbeam,
convenire cenſeo. Reconciliari non poteſt Cain noſter? An non per
hunc poterit, qui poteſt omnia, dico Deum noſtrũ? an non idem no-
biſcum volet qui noſtrâ causâ vult omnia, clementiſſimus ſalvator no-
ſter? Quod ſi obfirmet per malitiam animum filius, qui nos ſumus,
ut amemus, quem ſanctiſſima Dei ſententia propter pertinaciam reje-
cerit? Metuis autem ne inſanus ille præ furore plus juſto faxit: Mi fili:
num tu noſtram incolumitatem ita alieno prolubio expoſitam putas,
ut ſi quid aliorum improbitas odij conceperit, ſtatim indè nobis metu-
endum ſit? Quanquam tu te ipſe ſatis recte in viam revocabas. Com-
mendemus igitur fideli liberatori animas, cauſas, cætum, omnia no-

ſtra. Ille condidit, in gratiam recepit, has inimicitias poſuit. Nunquid putas non tuebitur, qui hanc quam noverat iniquiſſimam contentionem, qualis agni cum leone eſt, ultrò ipſe inſtituit? Me verò, mi fili iſta Diaboli nequitia, tanta verſutia, tanta ſtrages in filio facta adeo ſæpiſſimè tantoq; impetu percutit, ut quid mihi quantumq; acerbitatis oboriatur, neq; tu per ætatem ſatis capere poſſis, neq; mihi commodum ſit exprimere. Primus filius Cain: de quo tanta miſeris parentibus ſpes, ut adeò ſtulti ipſum Meſſiam crederemus: quem tanta ſollicitudine enutrivimus: qui ſuæ animi magnitudinis præclariſſima ſemper edidit ſpecimina: Hunc inquam tam fædiſſimis Diaboli artibus, ſcientem, videntemq; perire: nihil admonitum parentum recenti calamitate?

Cog. rei præſentis ſecundum dolorem.

â perſona Caini.

Quanquam acerbiſſimos ſenſi dolorum cruciatus ex illâ primâ ſtultitia noſtrâ: tamen hic pænè intolerabilis exiſtit: ô me verè miſerum! qui nunc vulnera noſtra vehementiſſimè recruduiſſe intelligo: cum generis noſtri imbecillitatem ex hoc caſu nimis periculoſam perſentiſcam: & in me non minimam ejus rei culpam non poſſim non recordari. Nunc verò animum meum exagitat etiam illa cogitatio: 1. Quicquid acciderit ex illius diſceſſione porrò incommodi, maximam partem mihi incubiturum 2. Neq; porrò alijs ſeculis ceſſaturum Diabolum, quin & longè plures ac violentiores etiam turbas daturus ſit.

à perſ. ſua.

Cog. rei futuræ ſecundum metū

## *Exemp. VII.*

## Quid animi fuerit Joſepho conſpectis primum & agnitis in Ægypto fratribus & ſupplicibus ſibi: II. Quid ipſis cum exploratoriæ fraudis inſimularentur. III. Quid Simeon in carcere detentus ſecum conqueri potuerit ex Gen. 42.

### *PRÆFATIO.*

*Oratio I.*

EXORDIUM à narratione: Expone eam hiſtoriam ex Geneſ. 42.

2. Commenda. Quod gravissima sit. 1. Non tantũ propter exempla plurima variarũ doctrinarũ: sc. providentiæ divinæ: sapientiæ: potentiæ: benignitatis in pios: 2. Verum etiam quod non sine singulari animi commotione legi possit. Propterea quod considerantibus in mentem veniat illius in humanis rebus varietatis ac vicissitudinis: summæ in Josepho pietatis ac mansuetudinis: in fratribus autem Josephi mirificè nos afficiat illa recordatio perfidiæ in fratrem, quâ præsentem calamitatem meriti sint: & error ille quo dudum perijsse fratrem putant quem coràm visum non agnoscebant: quæ etiam ipsi Josepho excutiebant lacrymas.

Propositio) Quæ ratio permovit eos quos videtis adesse nobiles adolescentes, ut operæ pretium à se fieri posse crederent, si in effingendis Josephi & fratrum illus varijs commotionibus, orationis operam aliquam collocarent.

Confirmatio vel commendatio 1. à difficultate 2. utilitate per comparationem. Apellem laudant quod undiq; conquisitis mulierum formis pulcherrimis, inde Veneris exquisitissimæ elegantiæ exemplar effinxerit. In quo ille ingenij conamine laudandus quidem: sed videte annon magis hi nostri: 1. Cum ille quod manuum opera pingeret, per oculorum ministeria suggereretur: At hi ipsa animorum arcana, quæ nulla oculorum acie penetrantur aut sentiuntur quasi in tabula nobis aspicienda proposituros se promittunt. 2. Illa in Venere forma oculos oblectare poterat: mentem meliorem facere, si non deteriorem non poterat. Verum quod à collegis his nostris afferetur, non tantum sui jucunditate aures sensusq; vestros oblectabit, sed etiam ad similis pietatis ac modestiæ gloriã invitare, & ab improbitatis libidine animos avocare atq; absterrere poterit.

Epilogus petat benevolentiam auscultationis.

*Orat. II.* Scripsit M.E.N.M. 1. Cog. rei præsentis fratrum sc. diversarum fortunarum sive abjectionis istorum, & suæ gloriæ

## Quid potuerit Josephus cogitare.

Sunt ne illi fratres mei an non? Oculi mei sane persuadent eos esse, facies illorum sunt mihi notæ. Is est Ruben stans in superiore parte, proximus Simeon & Levi, & quartus est heros Juda, & cæteri omnes suo ordine. Sed incredibile est & hæc res me in dubium vocat,

quid hic facerent? Quæ res huc adduceret? de me tamen nihil comperItem causæ scilicet Dei
pererunt, & licet audivissent, me puto non consecuturos fuisse neq; in conspectum prodituros esse; non celarent se fratres meos esse.

Quid autem Deo impossibile est? & ut proverbium extat: Fames vulpem ex latibulis suis pellit, fortassis etiam in Canaan caritas annonæ dispersa est, cum Ægyptus quæ frumenti abundantissima est caritatem annonæ sentiat. Hæc res ad iter adduxit, quod hic frumentum vendatur. Sed illud in animo non habuerunt se me hic visuros esse: multò minus me istis honoribus affecturos, & ita in terram se mihi prostraturos. O probi simulatores! quam honestos vos geritis quasi nunquam cruciatum cuiquam attulissetis. Iam ita pij estis: novi autem vos versutos. O vos famelici homines quid nunc hic potestis! qui Deo adversari vestra potelantia conabamini, jam præ fame vita nobis amittenda esset, nisi panem mendicando à me acquireretis. Quo animo jam essetis si notum haberetis, quam malè de illo meriti estis ante cujus pedes jam jacetis, & in cujus potestatem incidistis? Si vobis exploratum esset fratrem vestrum Josephum quem odistis, & cui omnem spem fortunarum invidebatis, jam in tanto & tàm incredibili honore & potestate versari? non solum super vos, sed etiam in tantum regnum Ægypti per Dei omnipotentiam sublatum esse. O veracissime Deus, quam maxima est sapientia tua: potentia enim tua est, & magnæ bonitati tuæ acceptum refero quod sic evenerit: tibi gratiam habeo pro hac dignitate, tua ea gratia est meos fratres qui seniores, potentiores, sapientiores me erant, jam ante pedes meos jacere.

Nam quod genus meum? parentes mei parvis opibus præditi sunt, manibus victum quærunt, pascuis pecudum, & agricultura vivunt, & Deus me in hoc locavit dignitatis fastigio: ut appeller pater Regis, & principibus imperata dictem. Unde originem sumit mihi sapientia? qui saltem in caulis educatus sum, & disciplinas aulicas non didici? sed sapientiam politicam soli misericordiæ Dei acceptam refero qui animum meum sapientia ad suam laudem illustravit. Manus autem meæ pedum gestare sueverunt, & jam mihi sceptrum regium ferendum est, cui rei studium non dedi. Oves cantu fistulæ salignæ delinire optimè noveram, sed ut totũ regnum à me sapientia delectaretur & gubernaretur, huic rei nullam operam navavi, omni po-

Cog. rerũ præteritarum.

tentia Dei per me eadem efficit: Fidentem nescit deseruisse Deus, O verbum verissimum! illud nunquam credidi me ad hoc usq; tempus vitam producere posse, multò minus hos honores sperare potui: in tanta invidia, odio & persecutionibus istorum versipellium. Quàm sæpissimè ego ipse mortem mihi precatus sum. Sed ut educatus eram, Deo confidere & ipsi commendare, ut me custodiret: Interea patientiam præstare & tamen certa spe credere à Deo aliquando expeditum iri res meas; ita ut hoc facerem semper studui. Jam autem contemplor mirabilem fidem Dei: quàm optimè patientia mea fruor! quam bene mihi opem tulit! quam potentissimè, & mirabilissimè non solũ servavit, sed etiam exornavit!

Cog. rerũ futurarum 1. vindictæ & innocentiæ 2. beneficentiæ 3. terrendorum fratrũ

Quid jam faciam? an illis crimina ista ignoscam? qui patri cruciatum & dolorem attulerunt? & fratri vitam adimere statuerunt? cum id autem in horum manu non esset me in pessimam servitutem ablegarunt? reddamne talionem propter ipsorum merita? faciamne illis quod mihi facere cogitarunt? Absit autem ut malè agendo eorum exemplum sequar, & non potius mihi temperem in ultione exigenda: & non eò incumbam, ut bonitate & pietate illos superem. Cur magis ad jram & malitiam commovear illo maleficio quod passus sum? quam ad benignitatem & gaudium illo beneficio quod àDeo per passionem meam accepi? Non illud oblivio & ingratitudo beneficiorum Dei essent si aliquid inhumanus contra fratres statuerem? Quam hujus oblivionis causam & excusationem darem, qui exemplo meorum fratrum admonerer? Qui nunc in isto periculo vitæ versantur tantum ea de causa, quod tale scelus in me commiserunt. si non me jam absterreat pæna ista, & non probitatis hinc admonear, sane Deus mihi non parceret ejusdem culpæ reo. An verò mea dignitas superat Dei potentiam? Omittantur igitur illæ cogitationes.

O quot millia peccatorum mihi Deus remisit, & ego fratribus meis non unum remittam? & non dubito Deum me exornasse non ea de causa, ut in delicijs viverem: sed in aliorum hominum gratiam, præsertim meorum fratrum, & ut hoc tempore opem ferrem, igitur à me Deo obedientia præbenda est. Interim vano aliquo exagitandi sunt metu, qui adeò vero & gravi terrore me afflixerunr. Ita agam: Heus præco: hæc renuncia Cananitis illis: Ita dicit Dominus meus: Vos

quicunq; estis speculandi causa huc accesistis; certa mihi suspicandi de vobis ratio est: proditores estis. Quare nisi vos ex hac suspicione liberaveritis: Iam mox in vincula abripiendos demandabo.

Orat.III.

## *Exemp. VIII.*

## Quid fratres Iosephi singuli potuerint cogitare cum à Josepho artis proditoriæ insimularentur.

Quid hoc est mali? Nos proditores? Quæ suspicandi ratio? 1. Nos sumus opiliones 2. Non sumus instituti ad artes bellicas. Itaq; nescimus quid sit proditio. 3. Ægyptus regio bellicosissima: regnū &c. I. Cog. rei præsentis, sui.

4. Nos vix duodecim privati homines.

5. At illi sunt homines divites & potentes: ideo illudunt nobis pauperibus.

6. Sunt impij & avari: ideo quærunt prætextum nos deprædandi. Ut olim lupus agnum accusans de turbatâ aquâ, aut felis adversus gallum accusationem quærens.

1. Nisi forte illud est: quod Deus alias sinit peccata impune abire, ubi meritus sis ut pænas exolvas: & easdem exigit, ubi innocens minus illud expectaveris. II. Cog. terum præteritarum.

2. Fratrem ita exagitabamus: (narra ea quæ oculos incurrunt & faciunt miserandum spectaculum) Non dedimus pænam.

3. Nunc nihil meriti sumus: venimus &c. (narra quare, & quare non venerint.)

4. Et ecce nunc ita miserè exagitamur (exaggera criminis acerbitatem: gestum: verba ac vultum præsidis)

5. Ah ita nos olim non fratrem solum: sed miserum parentem affligebamus (describe Jacobum lugentem) Nos præterea illudebamus lugenti (narra quomodo exprobraverint parenti luctum)

6. Nulla nos tangebat commiseratio.

7. Nos enim noveramus falsam esse luctus causam. Ita fortassis præses iste aliud dissimulat: interim his fictionibus nos torquet.

8. Neq; tangitur ulla misericordia aut deprecationibus.

9. Non audit nostras excusationes. Quia neq; nos fratris Jo-

ſephi admittebamur.

Et quis erit hujus miſeriei finis tandem? 1. Non ſic dimittere poterit præſes: quos tam graviter accuſavit.

III. Cogit. rerum futurarum.

2. Itaq; in nervos conijciet.

3. Extorquere aliquid dolorum magnitudine conabitur: quo cauſam aliquam ſupplicij habeat.

4. Si hac non ſuccedet: perpetuo carcere detinebit.

5. O miſeras uxores & liberos noſtros? qui tam multi una iſta die communibus parentibus orbamini?

6. O miſerum parentem!

7. Ubi nunc promisſiones de noſtra familia ad numerum ſtellarum amplificanda?

8. Sed ita meritum eſt noſtrum.

9. Quod ſi Deus nos ex tanto metu liberaverit: agemus pænitentiam: confitebimur patri rem: inquiremus fratrem.

Orat. III.

## *Exemp. IX.*

## Quid Simeon potuerit cogitare in carcere detentus abeuntibus fratribus.

Cog. rerũ præſentiũ 1. fratrum. 2. Loci.

Illi abeunt, ô beatos! fortasſis parum cogitant quid de me fiat. Ita læti ſunt de ſua liberatione. Dicunt &c. (tu finge) Ego autem miſer ubi ſum? (deſcribe carcerem: à tenebris: à ſilentio: à fætore: à beſtijs venenatis: ab horrore: à ſpectris.)

3. rei vel captivitatis & vinctionis.

Præterea non lucis tantum omnibus communis & converſationis inter homines uſurâ mulctatus ſum: verum ne meipſum quidem in poteſtate amplius habeo. pedes compedibus aſtricti ne posſim ex illis fugæ aut ex carcere aut à beſtijs præſidium quærere. Manus poſt tergum revinctæ ſunt ne &c. (finge uſus denegatos) Quid feci? quid commerui! (non feci hoc & hoc &c. finge.)

4. Sui.

O crudeles iſtos homines! quare tantam in me exercent immanitatem (finge cauſas, barbaram naturam: ſuperbiam: odium erga Cananitas.)

5. Ægyptiorum.

6. Generis ſupplicior.

At ſi feris dilaniandum me objeciſſent: ſi caput demeſſuiſſent, ſi igni combusſiſſent non poſſent me tractare inhumanius (cogita

quæ

quæ nunc graviora patiatur. Miserere mei omnipotens Deus, & eripe me propter patrem, peccavi &c. (finge reliquam deprecationem) 7. Dei.

Quid porro mihi metuendum? quis finis horum cruciatuum! 1. vel vermes me corrodent: aut glires enecabunt: aut viperæ sanguinem exhaurient. II. Cog. rerum futur.

2. Vel fame peream.

3. Vel alio carceris squalore.

4. Aut ad supplicium producar publicum.

5. Certe fratres & parentes & liberos & conjugem nunquam videbo.

6. Fratres nunquam revertentur huc: aut committent se in huius tyranni libidinem.

Nunc tandem agnosco me stultisſimè vitam egisse. III. Cogit. rerum præteritarum.

Itaq; nunc pretium ob impietatem fero

1. Semper fui immorigerus patri.

2. Semper Dei contemtor.

3. Josephum fratrem volui interficere: postea vendidi:

4. Patrem eo facto gravisſime afflixi.

5. Et de Sichemitis ah quàm pesſimè meritus sum Gen. 34.

6. Quare etiamsi nihil adversus Ægyptios: tamen plurimum adversus Deum deliqui: hic pænas illas exigit: hic me colligari jussit, hic in tenebras istas præcipitavit &c.

## *Exemp. X.* Oratio I.

# Gaudium Josephi & fratrum.

### *PRÆFATIO.*

EXORDIUM. Summa & perjucunda est A. illa de Josepho narratio, non tantum quod Spiritui Sancto placuit, ipsum adeò eam operam in hac historia ponere, ut quæ ad commovendum lectoris animum ex animadversis animorum characteribus pertinerent, scriptis suis Moses exprimeret: Verum etiam propter virtutum in Josepho, & divinæ clementiæ ac sapientiæ in toto hoc negocio expresſisſimas imagines. Quare operæ pretium fore duximus: si non una illa proxima opera sic defunctos nos putaremus: ubi primos considerabamus

Joſephi cum fratribus congreſſus. Nunc igitur qui adſunt adoleſcentes id ſibi datum operæ habuerunt, ut & mente conciperent, & oratione conarentur efformare: quid illis animi fuerit, Joſepho quidem cum ſe fratribus proderet: his autem cum vocem illius, cum vultum cum reliqua fratris recordarentur atq; agnoſcerent.

PROPOSITIO. Ego autem ne meo loco nihil dicam, vobis conſiderandum proponam: an rectè Joſephus ſe peregrinum fratribus tam diu ſimulaverit, & in tantos hos conjecerit terrores, etiam fictis in ipſos criminibus: & quo conſilio hoc fecerit.

DISCURSUS VEL CONFIRMATIO.

*Pro parte Negativâ.*

1. Videtur odij aliquid habuiſſe: quod non potuerit citius decoquere: & tandem vicerit. Itaq; hoc factum totum ad infirmitatem referendum eſt.

2. Simulare: & quidem in criminibus fingendis neq; ſerio neq; joco licet.

*Pro parte affirmativâ.*

1. Qui univerſæ regioni providere poterat, ſibi non poſſet? ne quid contra pietatem committeret?

II. Sapiens Joſephus 2. modeſtus 3. Manſuetus 4. timens Deum.

III. Quo conſilio fecit? Videtur metuiſſe, ne idem Beniamino aut fratri etiam feciſſent fratres, quod ſibi: ſcil: cum ſemel jura omnis humanitatis violaſſent. Itaq; hoc explorare voluit. Quare urſit ut ſibi ille adduceretur 2. Eò urſit gravius, ut poſtea inſperato gaudio exhilararet vehementius.

CONFUTATIO. Ad I. Non eſt de magnis viris & ſanctis in ſiniſtram partem, aut aliter quam conſtat certiſſimè, ſuſpicandum.

Ad 2. O ſtoicam ſeveritatem! ſæpe hoc licet: & quidem joco &c. enumerentur caſus.

EPILOGUS habeat 1. repetitionem 2. petat audientiam.

*Orat. II.* Pingitur modeſtia Joſephi Cog. rei præſentis: fratrũ, ſeu utrorumq; fortunæ.

## Oratio Joſephi ad fratres quæ extat Gen. 45.

Surgite tandem mei fratres, ſurgite. Fratres enim mihi eſtis, ſanguis meus eſtis, ex communi mecum parente eſtis. Ego non ſum Ægyptius.

2. Commoveor veſtra fortuna.

3. Non poſſum imperare mihi amplius ut diſſimulem.

4. Agnoſcite & recordamini vultum & reliqua indicia.

5. Is ſum Joſephus filius &c. quem vos occidere primum volebatis &c.

6. Neq; id dubios vos faciat quod in tanto dignitatis faſtigio collocatum me videris: Deus fecit.

7. Neq; quod ita vos terrui: veſtro bono feci ut nunc exhilararem vehementius.

8. Non pudeat vos mei, non fortunarum veſtrarum: cum vos fratres fatear: nolite vereri eam inter nos dignitatis diſparitatem.

9. Iſtæ purpuræ, hæc regia ſella, hoc ſceptrum non eſt cur à vobis metuantur: fratris veſtri, Ioſephi veſtri ſunt.

10. Illæ autem villoſæ veſtes ex ovium & caprarum pellibus: calcei luto ſordidati: nulli mihi faſtidio ſunt, cum fratrum meorũ ſint.

Nolite cogitare quaſi veteris injuriæ apud me pœna vobis decreta vel memoria ſaltem reliqua ſit. Cogit. rerũ præteritarum. ſcili. iniquitatũ & injuriarum fraternarum ad manſuetudinem

Peccaſtis quidem vos? ſed magnæ noſtræ omnium ſaluti.

Non quod Deo peccatoribus aut peccatis opus ſit: ſed quod pro bonitate ſua etiam ijs quæ nos deliramus ſapienter & magno commodo noſtro uti noverit.

Me afflixiſtis? non tam me quam parentem aut Deum: illi condonarunt vobis, etiam ego. Me odio habebatis? non tam mea calamitate, quam de communi naturæ noſtræ corruptione dolui, & veſtro illo errore. Vendidiſtis? At ego eâ occaſione ad hos honores perveni. Itaq; meæ pietatis eſt potius vobis prodeſſe, quod ea facultas quaſi veſtra opera data ſit: quam perniciem machinari, cum per vos Deus mihi tam benigne fecerit.

Honoribus fruor? non mihi ut inde ſuperbiam: ſed alijs & vobis imprimis ut per pietatem vos adjutem.

Quare aſſurgite mihi mei fratres: en manũ, en amplexus meos. Cog. rerũ futurarum liberalitas

1. Porrò omnia promitto.

2. Vos mecum hic vivetis.

3. adducere tamen vos prius parentem velim.

4. Sed affamini me tandem: & tu Benjamin frater, quæſo ne fratrem aſpernator.

Orat. III.

## Exemp. XI.

## Oratio Benjamini.

Cog. rerũ futurarum patris.

Mi Domine frater, vereor dicere tibi in quantis ſim gaudijs! Ah quantopere gaudebit pater noſter ubi retulero filium &c.

2. Non credet mihi.

3. Quam ille huc properabit.

4. Quantas Deo gratias perſolvet.

5. Nunc volet vivere.

Cog. præteritorum.

Quam ſæpe ille ſolebat mihi narrare de filio ſuo & fratre meo hoc & hoc &c.

2. Quoties ego vidi illum quam uberrimas lacrymas profundentem, quando in eum ſermonem incidiſſet.

3. Ego autem conſolabar: Sed poſtea clàm me ſubducens item ſolebam flere (adde αἰτιολογίαν)

4. Joſephum mihi proponebat vitæ exemplar.

5. Quam ſæpe me infelicem ſolebam dicere, quod non contigiſſet hunc unicum ex eadem matre fratrem diutius vidiſſe: cum neq; matrem ipſam vidiſſem.

6. Sed ille credidit te à feris beluis laceratum. Itaq; nulla tui videndi mihi unquam ſpes fuit.

Cogit. rei præſentis ſui. fratris cauſarum.

Sed quæ hæc inſperata felicitas? Nos videmur hic de vita periclitari?

2. Famis cauſa huc venimus,

3. Cum magna trepidatione acceſſimus, verſati ſumus, reverſi ſumus:

4. Et non tantum ex illis omnibus liberamur: ſed quod in vita maximè optandum fuit, fratrem invenimus &c. (Compara & enumera quæ hic ſunt bona per incrementum) Ita mihi credas & ſalvus ſis frater: non tam id lætor quod tantum dignitatis tuæ ſplendorem video. quam quod te mihi fratrem quaſi ab inferis redditum intelligo: in te mihi jam ipſa etiam mater communis noſtra reſtituta &c.

2. Accedit illa proſperitas rerum uoſtrarum quæ ex te nobis effulget.

3. Vere nunc agnoſco: Deum mirabilem eſſe in ſanctis ſuis: Quod mihi ſolitus eſt narrare pater. Uerum nunquam intellexi illuſtrius.

EPILOGUS. Hinc nos abire commodum eſt: Nos ſumus hîc tibi dedecori. Narremus patri hæc omnia. Hunc ad te ducemus. Nos autem poſtea ad ovilia noſtra revertemur. Nunquam erimus immemores tantæ & divinæ in nos omnes benignitatis, & tuæ in fratres humanitatis.

## *Exemp. XII.* — *Orat. IV.*

## Oratio Rubeni.

Antea equidem ſuſpicabar, aliud ſentire te ac præ te ferres quando furti nos inſimulabas quos innocentes noveras: Nunc autem planiſſime ſentio. Qui enim poſſet nobis in animum venire, ut nos pro tuis fratribus gereremus? Tu Ægyptius &c. Nos &c. Sed tamen qui nos ſumus, ut tibi contradicamus? Qui etiam in crimine quanquam nihil conſcii, in poteſtatem tuam nos permiſimus. — *Cogit. rei præſentis ad prudentiam. Non facile credit prudens ſed tamen cedit convictus.*

Accedunt argumenta quibus nos in ſententiam tuam adducis &c. repetantur ex oratione Joſephi.

Uerum felicesne nos dicam an miſeros quibus hæc ita inſperatò acciderunnt? ut te fratrem noſtrum in tanta dignitatis ſublimitate poſitum coràm videremus? — *Cog. rerũ præteritarum.*

I. accommodentur circumſtantiæ ad gaudium: frater: communes parentes: domus, nomen: familia: educatio &c.

II. accommodentur ad metum: præſertim invidia vetus: odium: calumniæ: objurgationes: verbera: inſidiæ: intentata mors: venditio.

III. Sed hic addatur evaſio vel correctio: per ſpem de pietate & humanitate Joſephi: item deprecatio propter parentem: ipſum Deum.

Promittat fructus maximos ex humanitate & ignoſcentiâ Ioſephi. — *Cogitatio rerum futurarum.*

1. Gloria Dei inde celebrabitur: agnoſcentibus ipſis etiam Ethnicis divinum Spiritum inter nos ex tantæ pietatis argumentis.

2. Ioſephus ſic nunc nihil aget, cujus dolore poſtea torqueri

poſſet. Etiamſi enim juſtas exigat pænas: tamen magna eſt vis conjuncti ſanguinis &c.

3. Æternam nominis claritatem conſequetur.

4. Parens valde lætabitur. Quod ſi durius quid ſtatuiſſet in fratres Ioſephus, nollet ille hunc repertum dudum, perijſſe mallet, damnaret ſuum luctum, quo jam multis annis maceratur propter falſò creditam Ioſephi mortem.

5. Fratres perpetuo devinctos ſibi beneficio quaſi immortali habebit: pro odijs amorem illi concipient, pro invidia reverentiam. Quem olim per ſtultitiam majorem ſe fore nolebant credere: hunc non ſolum ad tantos honores evectum, ſed vitæ ſuæ authorem in manibus quaſi geſtabunt &c.

EPILOGVS. Preces, ut Deus faciat omnia familiæ ſaluti evenire.

## *Exemp. XIII*

## Conſilium Babylonicum

### *Præfatio & Oratio Nimrodi Imperatoris*

*Oratio I.*

Nihil ſapientius illâ operâ, quod ad impediendum opus plenum ſuperbiæ Deus in Babylone linguas hominum confudit (propone formâ occupationis: quanquam, tamen)

Ratio redditionis Quia & ipſa illa quæ in verbis aut vocibus eſt ſignificandi ratio, major eſt quam ut ab humana mente intelligi poſſit: & planiſſimè diviſſimum opus eſt, tanta in tot diverſis linguis vocabulorum multitudo. Quid dicam? quod horum notitiam in temporis momento in mentibus ſingulorum hominum & diverſam quidem inſeverit Deus; atq; adeo aboleverit eriam veteris & uſitatæ ſibi ac connatæ linguæ quodammodo memoriam?

2. Ratio: Deus ſuperbis reſiſtit. Et ita ſane: ut cum illi magnum quiddam moliantur: Deus ridendos ferè iſtos proponat. Quod etiam hic fecit. Itaq; in mentem nobis venit, quod ad gloriam & laudem ſapientiæ & juſtitiæ divinæ à nobis agnoſcendam cedat: penitius contemplari ex methodi noſtræ præceptis, quid animi fuerit iſtis hominibus ſuper hoc mirabili linguarum mutatione. Fingemus itaq;

mane

mane quodam consilium indictum à Nimrodo Imperatore de urgendo opere: Et hoc eodem tempore factam mutationem linguarum. Quare qui adsunt adolescentes principum in consilio sententias exponent. Imperatorem autem Nimrodum his verbis compellasse P. C. creditote.

## Oratio I. Nimrodi

*Characteres*

*Superbia & in officio sedulitas.*

EXORDIVM. Etsi P. C. vos quoq; curam aliquam sustinetis in Repub. nostrâ, & in hac occupatione magnificentissimi operis: tamen mihi universum onus incumbit. Nam vos operas: ego vos rego consilijs. *Co. rerum actarum ad laudes suas.*

Itaq; non satis mihi temporis tribuo ad quietem aut corporis in cæna refectionem.

Sed olim etiam in laudis quasi distributione eadem erit disparitas. Vobiscum sane particula hujus gloriæ communicabitur, ad me autem illa universa redundabit. O quam longè lateq; non tantum secundum locorum spacia, sed etiam curricula temporum Nimrodi nomen vagabitur! Dicent &c. mirabuntur &c. *Co. rerum futurarum.*

Deliberare vos volo & consulere in medium, de opere nostro maturando: ne vel temporis diuturnitas fastidium plerisq; afferat: vel ne hominum quorundam turbulentorum atq; invidorum calliditas & religionis adversæ prætextus impediat. *Cog. rei in præsens agendæ.*

*Exemp. XIV.*

## Oratio II. Tuisconis vel Ascenæ Germani blandi loquentuli.

*Concipiatur verbis Germanicis Misnicis.*

EXORDIVM. Potentissime Imperator, principio faveo dignitati tuæ, idq; libenter agam pro viribus ut ea salva sit: omnemq; adeò operam meam in ea re dicatam ac consecratam volo. Nam revera es potens & laudabilis Princeps, quod ignosces à me tibi in os di- *Captat benevolentiam à submissione & delatione officiorum. Cogit. rei præsentis sc. Imperatoris & sui.*

ci: cum ipsa me cogat facere veritas. Nos tibi debemus &c.

C. negotij. PROPOSITIO Quanquam autem ex oratione tua non satis intelligere potui quid velles, tamen ipsa res admonet, id te cupere, ut in hac ærarij inopia & sumtuum tanta magnitudine contributionem faciamus.

Concessio simulata. Ego vero meo loco non recuso non pecuniæ tantum, sed vitæ etiam pro tua dignitate & gloria impendium facere. Ἀπάντησις vel correctio per translationem causæ. Sed vereor primum ut omnes idem mecum sentiant. Deinde ut facultates nostræ singulorum possint tantum contributionis onus perferre.

CONFIRMATIO Principio imperium tuum multi inviti acceperunt: In horum animis metuenda aliqua occulta abalienatio: quæ est lenitate, & beneficentia abolenda potius quam fovenda onerum gravitate &c. (expoli.)

Co. rerum præteritar. 2. Hactenus graves fuerunt exactiones. Neq; tam principes quam plebecula ea de re conqueritur. Quod hi tantum agros, fruges, lucra sua cogitant gloriæ, dulcedinem quam nos spectamus illi nullam sentiunt. Itaq; hoc dudum querulantur: quod & sumtibus exhauriantur: & præterea agros suos negligant, dum publico inutili, ut putant opere detinentur. Verum ego illos sane non audiendos censeo (dic de cogendis subditis ut pingas inclémentiam)

Itaq; de plebeculæ querelis non eò dixi quasi qui justas eas censerem: sed quod metuerem, ut vim multitudinis retinere possemus (describe hic potentiam plebis; & omnia ad seditionem apta & facilia)

Co. rerum futurarum

TRANSITIO Atq; hæc mihi causa est cur suspicer ne alij mihi assensuri sint. Sequitur ut quare facultates nostræ non ferant tantum contributionis onus id explicandum videatur.

I. Ad varios alios usus opus erit pecuniâ. Ædificanda sunt oppida: arces: propugnacula: privatæ ædes, pagi, villæ, templa. Et jam sumus verè exhausti.

II. Bellum jam quidem nec est neq; his temporibus metuitur: sed nescio an non vel proximis annis metui possit. Ita mihi videntur multa semina simultatum serpere. Quare etiam atq; etiam videndum est, ne rerum belli robur pecuniam sc. ad eos transferamus qui illâ olim ad perniciem nostram abutantur: nos interim per sumtuum magnitudinem inermes facti quasi nudi hostibus obijciamur.

EPILOGVS. Quod ego non dico propterea quasi quenquam

metuam, aut de imperij nostri robore secus atq; me deceat sentiam: sed quod varij in vita casus metuendi sint: tutiusq; in eo erretur si per prudentiam ea quæ minus periculi habent præcaveas, quam si per negligētiam in ea quæ facili negotio avertere potuisses ultrò te involvas.

### *Exemp. XV.*

## Oratio III. Gomeri vel Cimbri, aperti & fidi: concipiatur linguâ Saxonicâ veteri.

EXORDIUM. Illustres principes: tangit me ut video dicendi ordo. Itaq; quæ mea sententia sit de ijs quæ ad deliberandum proposita esse ex filij oratione intelligere potui, paucis exponam. Miror autem, non imperatorem nostrum, qui pro divino ingenio majores sine dubio ejus rei causas habuit quam quæ à me satis recte judicari possunt: Sed filium meum Thuisconem miror, cur ita novis & inauditis linguæ & vocum inflexionibus, figuris & formis, uti voluerit: ut à me patre unde communissimi sermonis usum didicit, tamen vix intelligi posset. Ita sibilabat, & quasi pingui gutture aut butyrato proflabat voces. Sed de re dicam. Sentit Thuisco: imperatori contributionem quam petit denegandam esse. Huc enim omnis contendebat oratio: Ego non denegandam esse suadeo. Atq; ut idem vos mecum sentiatis: primum explicabo vobis consilij mei rationes. Deinde quæ videbantur esse in hoc negocio filio meo difficultates, eas tollam vel ostendam non ita magnas esse &c.

Cog. rei præsentis nempe 1. loquelæ peregrinæ illius 2. propositionis factæ.

Propositio simplex. Partitio.

CONFIRMATIO. 1. Meministis quantis tumultibus nobis constiterit hæc pax, qua sub imperatore fruimur. Eam igitur temerè non turbabimus. Turbaretur autem si temerè imperij onera detrectaremus.

Co. rerum præteritar.

2. Porrò promisimus sanctam fidem & obedientiam: hæc servanda est.

3. Consensimus in hoc opus extruendæ turris. Nunc frustra deliberatur: an velimus sumtus suppeditare postquam dudum ante promisimus. Si jam nunc commodum hoc non est, jam tunc providisse oportebat: Non nunc tandem fidem ac promissa violare.

CONFUTATIO. Venio ad difficultates: suspicabatur filius:

Cogi. rerũ futurarum

metuen-

metuendam esse plebis seditionem. Ego verò, ut eam prudenter & rectè metui concedo: ita statuo plures esse alias vias eidem occurrendi, & placandi plebem, ut non opus sit necessariam imperatori operam denegare (enumerentur aliqui e. g. docenda est plebs: ostendenda necessitas: beneficiorum, immunitatum privilegijs & promissionibus demulcen da. Parens communis Noah & sacerdotes ad eos ablegandi &c) Quare hæc ratio non poterit movere principes: quin imperatori obsequantur 1. cum nullum periculum sit 2. Cum Etiamsi aliquod sit, tamen mavolent principes plebis injustam quam imperatoris justam offensionem incurrere.

Altera difficultas) Dicebat porrò filius: etiam ad alias res opus fore pecuniâ. Itaq; ei parcendum nunc esse (repete reliqua pleraq;,& finge responsionem)

Epilogus habeat repetitionem propositionis & sententiam gravem aliquam ad movendos animos,

## *Exemp. XVI.*

# Oratio IV. Elisæ Græci, Philosophi.

Sine dubio magnum aliquod imminet Reip. malum, Potentissime imperator, quare & hunc principum conventum indixisti, & eo plane inaudito consilio uteris, ut novis vocabulorum Characteribus principes collegæ tecum consilia communicare velis. Credo a proditoribus te metuere. Quod si ita est, cur ego aut ita præteritus sim, ne admonerer: aut ita negligens publicarum rerum quò minus ipse præsenserim, non possum a me satis conjecturam capere. Soleo sæpe cum cognato meo Dodoneo admirari rationem linguæ & vocum (enarretur controversia an voces significent à natura an ex hominum instituto) Nunc planissimè credo etiam primæ linguæ usum decreto quodam sapientissimorum majorum nostrorum constitutam esse. Idq; convincor ut sentiam isto Regis nostri exemplo. Quanquam rationem tam sapientissimi inventi nullo modo capio. Verum quoniam in hoc illustri consessu sententia de Repub. dicenda est, idq; adeo convenimus: mallem sane me rectius admonitum, quæ pericula Reip. imminerent: ut propius ad rem præsentem mea institueretur oratio.

Nunc autem quoniam aliter Imperatori visum est ex salute publicâ fore, pro fide meâ quæ ad proditionis amoliendam illam pestem conducere videbuntur ea consulam.

Partitio: Et quoniam vel à plebe vel à principibus periculum imminere potest: ad utrunq; casum orationem accommodabo.

Confirmatio: Et primum à plebe moveri res novas: vix possum adduci ut credam 1. cum non possint ita occultè gerere præ temeritate. 2. Cum satis distenti sint occupationibus. Verum si omninò aliquid rerum novarum moliatur, sentio arte magis & ingenio quam vi occurrendum. 1. Factionum duces demulcendi & adjungendi primū promissis, deinde dimittendi procul hinc in colonias: ut melius inermis turba possit in officio contineri. II. Factiosis distribuantur agri: ut ita sparsim habitantes non facilè possint coire cōspirationem vel societatem adversus principes: Præterea ipso hoc beneficio deliniti facilè conquiescent III. ferantur leges de removendis armis à privatorum usu: revera quidem ne abutantur ad seditionem: sed eo nomine prohiberi possunt illa, ne inter se grassentur in mutuam perniciem.

1. quæstio: an sit.
2. questio: quid agendū sit. Vel cogitatio futurornm vel consilium.

Quod si ex principibus aliquis insidietur Majestati Imperatoriæ: quod nescio an de tam illustribus viris minus suspicari mihi liceat: an in hac consiliorum novitate securè negligere: his puto rationibus occurrendum. Quod in membrorum oblæsione fit ut corrupta membra pharmacis reconciliare quasi reliquo corpori studeamus: aut si id fieri non possit, rescindamus: idem censeo hic faciendum. Nisi fortassis nondum erupit conspiratio. Hic melius censeam, quod item in corporis medicinâ facimus, ut expectetur maturitas quædam temporis, qua vel sponte sua seditio consopiatur, vel justam mereatur medicinam: ne non tam curata quam sponte accersita esse videatur.

II. Consil.

EPILOGUS. habet repetitionem 2. excusationem.

## *Exemp. XVII.*

## Oratio V. Ingevonis, nepotis ex Gomero Principis Galli.

*Cogitatio rei præsentis. 1. propositionis. 2. linguæ peregrinæ ab alijs usurpatæ.*

Scal. lib. 3. Poet c. 17. Galli ad rem attenti, mobiles, humani, hoſpitales, prodigi, lauti, bellicoſi, hoſtium contemtores et atq; idcirco ſui negligentes, imparati, audaces, cedentes labori, equites optimi.

Ordo me dicere jubet, video. Mallem alium juberet. Quanquam jam quartus ſententiam dico. Quoniam ita iniqua conditione dico, ac ſi nemo ante me dixiſſet. Cum ego ætate & judicio ad eos qui dicendi cauſa ſedent, quiq; jam dixerunt, non ſim comparandus.

Primum enim ipſum quod ab Imperatore propoſitum eſt, deliberationis caput, plenum difficultatis. Turmas equitum aliquot videbatur Imperator poſtulare: ſed quot & quorſum, nihil intelligere potui. Sperabam explicaturos eſſe parentem & avum meum & Principem Eliſam. Uerum illis neſcio quid in mentem venerit, aut quid illis vel mihi acciderit adeò: ita plenâ & clarâ voce quidem utebantur: ſed ex qua mentem & ſententiam ego ita parum percipiebam, quam parum avicularum cantilenas & carmina (de quibus Poetæ fabulantur) intelligere ſoleo.

Propositio. Nunc ad rem quod attinet de equitum turmis: ego operam meam promitto: ſed eà conditione ut honeſtum mihi & equitibus meis ſtatuatur ſtipendium. Ego hactenus ſanè fidam operam navavi Imperatori & Reip: ſed neſcio quâ calamitate factum eſt, ut ad aliòs magnifica munera, ad me parum aut nihil conferretur. (*Co. rerum præteritar.*) Stipendium enim tenue eſt: Et multis opus eſt ut dignitatem tueamur: hoſpites excipiendi: benignè alijs faciendum: ipſa victus noſtri ratio non poteſt ita frugi eſſe, ut privatorum hominũ. Unde ſæpè mihi animus fuit vel abeundi potius ex aulâ, quam illam tenuitatem perferrem amplius.

(*Co. rerum futurarum*) Quod ſi de ſtipendio convenerit: nihil eſt hoſtium quos metuam: nullum tantum periculum, quod pro Imperatore adire detrectẽ. Neq; in me mora, quin vel hodie equitem educam. Si vel adverſus ipſum Diabolum prælio contentẽdum ſit: ecce hic imperterritum animũ & omnia pericula iſta contemnentem.

## *Exemp. XVIII.*

## Oratio Noahi: Hebraicè efferenda.

(*Cogit. rei præſentis*) Mei filij, mei filij: ſcio vobis ingratas eſſe admonitiones meas,

quas vos ſoletis deliria ſenilia appellare: ſed tamen ſpero ex ipſa re nũc ſubſidium admonitionis capere me poſſe. Conſilium veſtrum eſt iniquum & adverſus Dominum: ideo non poteſt ſuccedere. Omnem impietatem graviter odit Dominus: imprimis ſuperbiam & arrogantiam. Sæpius vobis dixi imminere pænam divinam: ſed vos contemſiſtis. Ecce nunc ridiculum hoc malum vobis immiſit Dominus, ut paternam linguam dediſceretis, & eis ſinguli verbis utamini, ut nemo quisquam ab alio quoquam intelligamini. Credite hoc precibus meis à Deo conceſſum eſſe, ne iterum alijs immiſſis diluvij aquis vos omnes ſuffocaret: aut veſtram illam arrogantiſſimam ſtructuram fulmine, vos incendijs & ignibus cæleſtibus proſterneret & abſumeret, aut ruptâ terrâ abſorberet.

Co. rerum præteritar.

Sed eâ conditione hanc vobis incolumitatem impetratam memineritis: ut ſi hinc admoniti humilitatis, de peccato dolueritis, apud Deum deprecati ſitis, deinceps majorem Deo noſtro reverentiam adhibueritis, ibi tum impunè abeatis. Quod ſi ne ſic quidem melius ſapiatis: ſcitote Domini quidem infinitam patientiam, ſed tamen etiam juſtam & intolerabilem illam iram eſſe. Quare abite ad ſuam quisq; orbis terrarum plagam: abſiſtite ab iſtis ineptijs & vanitatibus oſtentandæ veſtræ potentiæ. Non veſtræ ſed Dei gloriæ parandæ cauſa in hunc mundum nati eſtis. Et credite mihi nunquam hoc conſequemini, nunquam tàm magnificum opus extruetis; ut non quod tanto conatu congeſſiſtis, ipſa temporis longinquitas ſine ullo conatu penitiſſimè non à fundamentis tantum ſuis, ſed ex hominum memoria tollat atq; amoliatur Si famam, ſi veſtri prædicationem, ſi gloriam ambitis: Deum veremini, hunc verâ pietate proſequimini: ita fiet ut redemtor noſter vos coram univerſo mundo olim in judicio illo ultimo prædicet: & æterna vos gloria mactaturus ſit.

Cogi. rerũ futurarum

*Exemp. XIX.*

## Proſopopæiæ. Introducuntur quatuor virtutes Pietatis filiæ: Fides, Spes, Humilitas, Charitas.

*Oratio I.* { *Præfatio* / *Fidei oratio.* }

*Præfatio à commendatione argumenti.*

I. Omnis oratoria meditatio habet insignem suavitatem. Imprimis illæ fictiones, quas alicubi in oratione interserunt: ut ijs rebus orationem attribuant, & faciant ut auditoribus coram loqui videantur, quibus tamen linguæ sermonisq; usus nullus concessus est. (exempla adde) Fingunt scil. virtutes conqueri, admonere, instituere nos: contrà exultare tanquam improbas quasdam mulieres vitia: quibus etiam quasi nomina & mundum atq; ornatum muliebrem circumponunt &c.

II. Quare cum in schola nostra in oratorijs exercitijs versemur: rectè etiam ad illud fictionum genus adumbrandum operam adhibemus. Quanquam parum possumus præstare. Sed aliud hic agitur: non ut artifices nos probemus: Verum saltem, ut experiamur ingenium, an ad illorum studiorum difficilem sanè operam, aliquam nobis aditus spem facere valeamus.

Propositio — III. Eo consilio nostri hi adolescentes sumserunt agendam quasi causam Pietatis & filiarum hujus: Quod turpissimè sanè & pepericulosissime omnis pietatis negligatur ratio. Introducentur igitur virtutes piæ super eâ re conquerentes: & obtestantes vos, habeatis honoris sui, imò salutis vestræ rationem. Et quibus præceptis & compendijs cultus & disciplina sua contineatur, docere vos conabuntur. Ita audietis, inquam, quasi coràm vobis loquentes, Fidem, spem, Humilitatem, Charitatem. Vos facite ut pios vos harum virtutum amatores esse, ipsa auscultationis devotione declaretis. Quod si igitur Fides coram oculis usurpandam se præbere, & oratione alloqui nos posset: an non his potissimum verbis aggrederetur?

ICog. præsentium si vequid fiat — Me miseram! vel mundum miserum potius à quo maximo hujus malo tam pessimè contemnor, deseror, affligor. (Exaggera ex circumstantijs quot modis hoc indignum sit. Ego filium Dei meo sinu foveo: hunc non puduit me matrem profiteri: nam fide conceptus & genitus est &c. 2. non sum hostis: non crudelis, non morosa: non exigo quicquam operarum: gratis polliceor dona maxima: 3. mundus perditus: at ego auxilium polliceor: mundus peccato pollutus, at ego ablutionem offero: mundus peccati vulneribus saucius: at ego medicinam adhibebo &c. Itaq; indignum ita auxilia ab egentibus negligi: ablutionem à contaminatis reijci: medicinam

à malè ſanis. Quanta verò inſania, me ultrò ab iſtis, de quibus optimè mereri inſtitueram, peſſimis modis haberi &c.)

Ego nunc ab omnium furore appetor. (Enumerentur variæ fidei oppugnationes e. g. In quid ſævit Turcicus gladius niſi in me? Quid interdictorum fulminibus terret, pyris, laqueo, bellis perſequitur Papalis ſuperbia niſi me? Quid oppugnat Calvinianorum verſutia niſi me? Quid blaſphemat Epicuræorum ſecuritas niſi me?) O felicem me! quoties illa verè aurea recordor ſecula quibus vivebant parentes illi humani generis communes! Adamus, Sethus &c. (Narra horum fidei ardorem.) *II Co. rerũ præteritar. ſive exemplorum diſſimiliũ.*

Quæ ubi conqueſta fuiſſet fides: hic tandem ad vos oratione converteretur, diceret: Mei Adoleſcentes, uos oro atq; obſecro; per paterna divinæ miſericordiæ viſcera, per Jeſu Chriſti vulnera, per ſanctiſſimi Spiritus amorem 1. habete ſalutis veſtræ rationem. 2. amate verbum. 3. huic aſſentimini 4. Nolite indulgere intempeſtivæ ſapientiæ humanæ 5. aut carnis libidini 6. Ita vos complectetur pulcherrima Spes &c. *III Co. rerũ futurarum ſive præcepta fidei colendæ.*

## *Exemp. XX.*

## Oratio Spei.

*Oratio II ἐμψύχωσις & προσωπογραφία.*

Memini me ſæpius videre pictam in parietibus aut chartis ſpei imaginem &c. (deſcribe picturam) Hic ſane ſolet mihi in mentem venire, aliud eâ ſpecie voluiſſe indicare qui primi invenerunt, quam nunc vulgus, vel ſpectatorum vel pictorum etiam intelligit. Nimirum iſti pro corruptiſſimis hujus ſeculi moribus illud potiſſimum ſpectant: ut ſpes facie puellari quâ pulcherrimâ appareat: præterea, nuda genu, ut Venus aut ulterius etiam. Ita fit, ut quæ virtutis commendandæ, vitiorum prohibendorum cauſa, inventa erat ſpei pingendæ aut aliarum virtutum ratio: perſeculi noſtri nequitiam in virturis perniciem & vitiorum fomentum comparata ſit. ô pietatem! ô mores!

Manus illæ in cælum ſublatæ: anchora comprehenſa, capillus paſſus, negligenter rejectus: fluctus circumfuſi linguæ meræ mihi videntur, quibus de graviſſimis rebus multis admonet ſpei pictura.

Quid enim dum quaſi enatato mari in ſcopuli quodam clivo vix conſiſtit: appulſis undiq; & eliſis quaſi per ſequentis Oceani flucti- *Co. rerum præterita-rum.*

bus

bus? an non hæc tacitis ſenſibus noſtris videtur ingerere velle? Mei mortales videte quid agatis: quam miſerrimo in loco ſint res veſtræ (enarra humanarum rerum miſeriem)

Quare cavete ne non maximo in periculo conſtituti eſſe videamini: dum mundi vitæq; hujus negotijs impliciti eſtis: ne ocioſè recumbere aut indormire, aut fluctibus etiam committere vos poſſe credatis.

Porrò manus illæ in cœlum cum ipſo vultu & oculis converſæ: an non omni voce clarius loquuntur? ubi cogitationes noſtras defixas habere oporteat? ſcil. cœlum eſſe, unde omnis felicitatis noſtræ expectanda ſit certitudo. Ibi res eſſe æternas: Deum: Chriſtum: veram vitam: divitias &c. Non aliunde patere auxilia. Mare enim vitæ inſidiatur: terra ſubmerſa eſt &c. Cælum unicè tegit &c.

Interim, dum cælum ſe aperiat: datum eſſe anchoræ præſidium quæ ſunt divini verbi & fidei ſolatia.

II. Co. rerũ præterita-rum. Cogitandam eſſe originem noſtram. Nam è cœlo ſumus. Quoniam in cælis habitat qui eſt conditor & pater noſter (enumerentur varia beneficia Dei: quæ in omni vita exhibet)

Cogitatio rerum futurarum. Quare firmiſſimè divinâ benignitate eſſe confidendum 2. cogitanda quam benignè nobis in altera vitâ facturus ſit. 3. Quæ interim accidunt in mundo triſtia patienti feramus animo 4. Fortiter adhæreamus huic anchoræ, omnia diligentibus Deum cedunt in bonum: Et capilli capitis veſtri numerati ſunt, 5. Ne committamus nos ventis curarum, tempeſtatibus negociorum non neceſſariorum: profunditati & abyſſo cupiditatum. &c.

## *Exemp. XXI.*

## Oratio Humilitatis.

*Orat. III.* *κατάστασις vel ἐμψύχωσις.*

Si qua ulla alia tempora corruptiſſima fuerunt & alio omni & præſertim ſuperbiæ vitio: hæc noſtra illa ſunt A. de quibus juſtiſſimè conqueri liceat ſcil. omnem ſuperbiæ meſſem effloruiſſe, aut omnem faſtûs & Arrogantiæ Oceanum in hanc noſtram ætatem ſe effudiſſe. Itaq; & omnis alia pietas & potiſſimum Humilitas penitus ſub pedes arrogantiſſimi ſeculi conculcatur, injuriarum fluctibus ſubmerſa & ferè extincta eſt. Vt quoties præ doloris, quam bonus quiſq; meritò ex hac

rerum calamitate percipit magnitudine, quoties inquam in his rebus cogitandis penitius animum mentemq́, defixero, videar mihi humilitatem ipſam quaſi coram apparentem audire. Quæ ſic mecum aut cum mundi potius moribus quodammodo tacita loquitur.

*Co. rerum præſentiũ, vel quid fiat.*

O cæcas hominum mentes ô pectora cæca!

Quò inſaniæ abitis mortales!(enumerentur varia ſuperbiæ exempla vel indicia in omni hominum ordine: in omnibus vitæ partibus)

*Cogit. rerũ præteritar. vel quid factum oportuit.*

Cogitare debebatis originem veſtram. 1. univerſi ex nihilo extitiſtis 2. primus parens ex luto creatus 3. ſinguli ante centum ad ſummũ annos nihil fuiſtis. 4. Deus nos condidit & omnia: & vos ſub Deo eſtis. 5. Varia ſtatuit exempla in ſuperbos.

*Cog. rerũ futurarum vel event9 2. præceptorum.*

Videor mihi videre peſſimam cladem imminentem orbi terrarum 2. ſupremun judicium imminet 3. obſecro, agite providete rebus veſtris: veremini Deum: agnoſcite veſtram vanitatem: Nemo videatur ſibi altero melior. Nam nihili & vaniſſimum eſt illud quod videtur vobis per ſtultitiam fortaſſis magnum diſcrimen, in dignitate & opibus externis poſitum &c.

## *Exemp. XXII.*

## Oratio Charitatis.

*Orat. IV.*

Sacræ literæ ipſæ delectantur eà orationis formâ ut animos hominum ad ſalutis ſuæ curam vehementius excitandi cauſa ſapientiam vel pietatem alicubi loqui faciant. Quo minus inſtitutum noſtrum reprehendi poterit, ſi item pietatis quodam Zelo eandem rationem uſurpemus. In præſentia autem, ſupereſt, ut Charitatis querelas, admonitiones & præcepta cognoſcatis. Credite igitur A. illam pulcherrimam omnium virtutem, ubi ad ſecula noſtra animum cogitationesq́; converterit, non ſine lacrymarum largiſſimâ copiâ in has voces prorumpere:

*Co. rerum præſentiũ, vel quid fiat.*

Mei filij, mei filij: quos ego iſtis uberibus meis alui, quos ulnis meis imò utero portavi, quos tanta amoris vehementiâ complexa ſum: ah quam parum non erga me tantum ſed in propriam ſalutem grati extitiſtis! (Enarrentur, quæ fiant contra amorem Dei. 2. proximi: per immiſericordiam: per calumniam: per injuriam.)

*Co. rerum præteritar. vel quid fieri debeat.*

Cogitate exemplum Dei: quam ille charos vos habeat. Et quis

Deus? &c. qui vos? &c. ( Enarretur quam amaverit nos Pater, Filius, Spiritus ſanctus: quid & quam multa in nos contulerit)

Cogitate exempla piorum hominum, benignè inter ſe facientium, loquentium, ſentientium.

Co. rerum futurarum ſive præcepta & conſilia.

Quare mei filij diligenter mementote regulam ſalvatoris veſtri Matth. 22. v. 39. Et alteram Matth. 7. v. 12. Et tertiam Pauli Rom 12. v. 9. cap. 13. v. 8. ( Preme verba: quære ex illis rationes moventes & impellentes e. g. eſt impletio vel Summa legis. Quare qui velit legis quoddam compendium, ad charitatem ſe applicet. Alias duriſſima eſt Lex: ſed per charitatem levis & facilis fit )

Porrò ſi etiam id quæritis: ut noſtrarum inſtitutionum dicam ſummam: jam dixi eam optimam & commodiſſimam Matth. 7. v. 12. Quodcunq; volueritis ut faciant vobis homines: hoc facite illis. Vultis ne quis alius vobis invideat? Ne invideatis. Vultis ne quis vos oderit? Neminem oderitis &c.

Epilogus: obteſtatio, per chariſſima omnia, ut homines obſequantur.

## *Exemp. XXIII.*

## Proſopopœiæ: Quatuor introducuntur vitia cardinalia

*Oratio I.*

### *PROFANITAS, INTEMPERENTIA, SUPERBIA, AVARITIA.*

*Oratio Profanitatis.*

*κατάστασις.*

Dubium nullum eſt A. quin quemadmodũ Deus ex impietate generis humani ſummum dolorem: ita Diabolus maximam delectationem perſentiſcat. Quare ſi quis in iſtis ſenſus eſt vitijs dico & turpitudinibus, filiabus Diaboli: hæ, inquam, ſimili plane modo affici videri poſſunt: Ut propter improbitatem & nequitiam noſtræ ætatis peſſimam, illæ turpiſſimæ gaudio lætentur & tripudient. Qui enim poſſunt aliter facere? cum adeò ſalutis noſtræ homines non tantum negligentes, ſed prodigi ſimus? Quæ cogitatio impulit eos adoleſcentes quos ad dicendum videtis conſediſſe, ut in publicum conſulendi

causa, ea quasi improba gaudia & consilia vitiorum ante oculos videnda vobis statuere aggrederentur. Hæc igitur istius hodie confessus causa, ut audiatis hic impudentiam Diaboli & turpitudinum, qua de universi pene mundi interitu securissimè gratulari posse sibi videntur. Et quidem Profanitas hac orationis improbitate uti videtur posse.

Benè sane habet: quoniam ita rectè provisum est rebus nostris, ut prius defuturum sit nobis quod regni nostri amplitudini adijciamus quam ut de ejusdem angustijs conquerendum sit. Qui enim homines & quibus studijs mihi non serviunt? *C. rei præsentis vel quid fiat.*

(Enumerentur partes & judicia profanitatis 1. plurimi non credunt esse Deum. 2. Egregij simulatores pietatis multi sunt: sectatores pauci, ijq; ignavissimi 3. Doctrinæ cælestis odium pessimum. Inde homines tam varias excogitant & fingunt sibi doctrinæ formulas ex placito. Aut fictis & introductis libenter assentiuntur. 4. Precum & omnis divini cultus pessima negligentia. 5. Omnia ad lucra opum, ad pompam & vanitatem: nihil ad Dei celebrandam gloriam instituitur.)

Et hic honor mihi à principio mundi est habitus; ut præ sanctimonia semper placuerim, præsertim illis qui ingenio aut potestate excellebant. Meus erat Cain &c. *II. Co. rerũ præteritarum.*

Quid si ita porrò res processerint: non dubium est, quin aut de alio mundo Deo providere sibi opus sit, aut de omni inter homines regno nobis concedere 2. quanquam magno suo homines stultissimi malo se ad nos aggregant: tamen quid hæc ad nos? cur non rectius sibi quod poterant, consulunt? *Cogitatio rerum futurarum.*

3. Neq; dubium est: quin incrementum acceptura sit majus ac majus potestas nostra, cum non sit futurum ut homines à nequitia discedant.

## *Exemp. XXIV.*

## Oratio Intemperantiæ. *Orat. II.*

Quanta sit temporum nostrorum luxuries, atq; in omnes libidines effusio A. utinam ita res dubia & ignota esset, ut oratione demonstrare vel difficile, vel omnino impossibile foret, propterea scil. quod hic plus suspicionis quam veræ accusationis deprehenderetur. Jam

verò quia hoc magis optare quam ſperare licet: eſtq; ea calamitas ita palam, ut eam nemo negare,nemo ad eam probandam ullâ operâ opus eſſe cenſere poterit: quid reſtat niſi ut iniquitatem & miſeriam noſtri temporis deploremus? Sicut enim Poetæ fingunt Aſtræam &alias virtutes, poſtquam inundaſſent orbem terrarum improbitatis ſtudia, relictis quaſi mortalium ſocietatibus in cælos transmigraſſe: Ita videor mihi videre in orbe terrarum coram habitantem, graſſantem, dominantem ipſam luxuriem & intemperantiam potiſſimum, cum alijs vitijs: quaſi quæ relictis Tartareis ſedibus ad nos in terras transmigraverint. Nam proh Dei immortalis hominumq; omnium fidem! ſi ipſa coram aſtaret Intemperantia, quibus alijs quàm iſtis vocibus uteretur quas jam in vulgus jactari meminiſtis!

Cogit. rei præſentis — Mei homines: quid ſit futurum cras, fugite quærere: ſecundum Poetam veſtrum. Permittite Divis cætera. Vos autem belliſſima quæq; carpite: cyathos ſorbillate, molliſſima ſectamini. Turpe eſt bibacem eſſe? ô vanam opinionem: quam multi quidem in ore babẽt, nemo credit. Contra, quam rem comitatur major ignominia quam ſi ita mulier ac puer ſis ut in bibendo paria facere nequeas? quanto ea res ſæpè cum periculo conjuncta eſt, ſi forte incidat ut in circulum præſertim in ſalutem principis bibendum ſit? Qui hic non poteſt reſpondere, fateatur neceſſe eſt, ineptum ſe eſſe non tantum cui legationes, officia alia publica & negocia gravia committantur, ſed omnino qui inter homines & in ſocietate tolerari queat.

Co. rerum præteritar. — Olim inquiunt, fuiſſe majorem hominum ſobrietatem? Quid magis falſum? (Narra exempla vetera ebrietatis)

Co. rerum futurarum — Metuunt ut poculorum frequentia valetudinem imminuat: aut ſaluti impedimento ſit.

De 1. Nega. 2. quid tum? Diutius tamen bene eſt.

De 2. Nega. Non credibile eſt: Deus non eſt ita iracundus: neceſſaria ſunt pocula & hilaritas &c.

EPILOGVS. Mitigatio: Hæc cum intemperantia coràm loqui non poſſit, homines intemperantes & luxurioſi loquuntur. Motus vel querela cum indignatione &c.

*Exemp. XXV.*

Orati-

# Oratio Superbiæ.

Orat. III.

Nihil peius audit in vulgus, A. quam ſuperbiæ nomen. Non enim poſſum dicere vitium. Etenim ita accidit, & in omni alia, & etiam in ſuperbiæ turpitudine: ut nomini quidem peſſima ingerant convicia homines: ab ipſo vicio autem tantum abſit, ut alieni magnoperè ſint, ut etiam ultro omnibus ſtudijs proſequantur. Quare nemo ſane eſt quin crebris uſurpet ſermonibus; turpiſſimam omnium vitiorum eſſe ſuperbiam: Et quaſi reliquorum plurimorum matrem. Etiam eò progrediuntur plurimi, ut in alijs ſatis acutè videant hujus peſtis veſtigia & indicationes: Et ſæpe canum inſtar nimis acrium amicos pro furibus allatrent, h. e. eos ſuperbiæ accuſent, qui accuſandi non erant. Verum quid fit in ſuis cujusq; moribus? Nihil frequentius, nihil ſerium magis, nihil ſanctius adeò ſuperbiæ ſtudijs. Quod ut mihi aſſentiamini: fingite mei A. Superbiæ quaſi à quodam Mercurio conceſſum literarium ludum, in quo artes ſuperbiendi doceat coràm, atq; omnes accuratè explicet. In eò inquam ludo, quæ poterant aliæ artes doceri vel ab ipſâ ſuperbià quam quæ uſurpantur vulgo & quidē ſub virtutis prudentiæq; nominibus propagantur? An non enim ita de cathedrâ auditores ſuos ſuperbia affaretur?

Co. rerum quæ fiunt non ſatis recte.

Mei A. Artem vos docebo: quod eſt ingenioſam quandam ſuperbiendi rationem. Eſt enim genus quoddam hominum ſtultum, qui ita ſe magnos fore putant ſi ſe oſtentent 1. prædicando in convivijs, circulis quibusvis obvijs 2. aut in divitiarum ſplendore atq; magnificentiâ 3. aut inceſſu gallinaceo 4. habitus ac geſtus omnis ad ſummam ſeveritatem compoſitione. Si ad tertiam quodq; verbum tuſſiant, aut ignem naribus efflent, vultu videant taurinum: neminem neq; ſalutent, neq; ſalutantem curent &c.

(Enarra alias ineptias arrogantium & iſtas explica.)

Cogi. rerū futurarum ſive quæ fieri debeāt & poſſint doctius.

Principio mei A. nulla veſtra in eo conſiſtit felicitas ut videamini alijs magni eſſe: in quo iſti vehementer errant: ſed ut ſitis, ut multum poſſitis & valeatis: in veſtrâ omnia ſint manu: veſtris arbitrijs omnia gerantur: veſtris beneficijs reliqui vivant, vos nullius: vos ſitis maximè florentes & divites: vobis bene ſit quicquid de alijs fiat; ſcil. quod veſtra ea ſit doctrina, ea merita, ea omnino excellentia præ quibus nugæ meræ ſint quæ alij habent.

2. Interim volo hoc vos diligenter cavere, ut quantum potest fieri, ne tales videamini. Itaq; verbis vestram minuite potestatem: ubi id salva potentia vestra fieri potest cedite.

3. Fugite verò istam rusticam stoliditatem: de qua dixi: contra simulate omnem erga omnes humanitatem, atq; adeò etiam benevolentiam & amicitiam. Quam res minimi negocij est blandè arridere? manum attrectare, dicere, mi Domine? At non creditis mihi quantum in eâ re sit momentum ad propulsandam invidiam, adjungendos hominum animos, stabiliendam potentiam.

4. Volo vos præterea in religiositate egregios simulatores: in promittendis operis & beneficijs liberalissimos esse etiam erga eos ubi vobis non est animus.

Epilogus Hæc sanè superbia doceret, verum mei A. longè nos aliud Christi humilitas &c. Subijciatur dehortatio ex scriptura.

## *Exemp. XXVII.*

*Orat. IV.*

## Oratio Avaritiæ.

**Ingressus.**

Corvo olim persuasisse vulpeculam in fabulis est: ut abijceret caseum quo pransurus erat corvus, quod diceret vulpecula, & multis alijs causis esse insalubrem casei usum, & imprimis calculum generare: verum eo consilio, ut abjecto isto potiretur & vesceretur vulpecula. Idem sane pleriq; mihi videntur facere: qui graviter adversus avaritiam stomachantur: passim dehortantur quoslibet. Sed hòc eventu: ut interim his ipsis dehortatoribus nihil sit avarius. Ut non tam vitiorum odio adversus avaritiam exardescere videantur: quam ut eo impunius solis, & amotâ ut putant his artibus à se omni suspicione, per avaritiam grassari liceat. Sive potius est ea humani animi imbecillitas, ut facilè quidem vitij hujus & aliorum etiam turpitudinem animadvertamus, maximè si in alijs adhærescat: interim si nos ab ejusdem stratagematis & machinationibus oppugnemur, facilè superemur: & ad partes ejus ac defensionem transeamus. Rectè igitur, piè, salubriter avaritia reprehenditur, vitari jubetur, vitandi consilia suppeditantur. Sed pessimè, [redacted], maximè impiè & perniciosissimè ab ijs præceptis discedunt qui ea alijs dictarant. Ubi mirari liceat, quæ causa abstrahat. Dicam vobis A. ipsa quodammodo Avaritia istis ad

aurem insusurrat quasi venena & incantamenta sua, quibus omnē mentem excutit seq; penitus in hominis animū insinuat eundēq; occupat.

Mi homo, inquit, turpissimum sane est ita avaritiæ deditum esse ut multi (Narra quæ faciant sordidi homines: fæneratores, defraudatores, perjuri) item alij qui non sunt tui ordinis homines nihili: & quorum opera vilissima est quam tamen avarissimè elocant plane impudentissimè.

C. rei præsentis vel quid fiat malè.

Neq; tamen scio placere tibi poterit illorum simplicitas & stoliditas: qui vel prodigunt opes & profundunt pecuniam temerè: nusquam honestiores sibi visi, quam ubi non pepercisse ipsos pecuniæ ulla relicta sit suspicio. Neq; istos approbare poteris, qui per ignaviam negligunt rem faciendi occasiones 2. Non habent curam suorum 3. nimis vili locant operas suas 4. Nimij hypocritæ sunt in eo dum fugiunt avaritiæ nomen, interim negligunt se & suos.

II. quid fiat contarijs modis.

Principio: Licitæ sunt divitiæ, habuerunt eas Patriarchæ: prophetæ adeo: tot pij, Sacerdotes, Reges &c. Tum ad eas acquirendas opus est studijs tuis: Dat Deus omne bonum sed non per cornua taurum, Grande est quod exigis? alij obtrectant? primum more fit. Deinde invidia est potius quam justa reprehensio.

Cogit. rerū præteritar. vel eorum quæ facta rectè ab alijs sunt.

Divitias ne dederis mihi orat sapiens! At interim si Deus dederit num reijciendæ sunt? habes multos liberos: olim egebunt ut possint tueri familiæ dignitatem.

Cog. rerū futurarum vel quæ fieri poterant

Epilogus: Hæc Avaritia dicit: Neq; id dubium esse debet. Quanquam enim vera quædam admiscuit: tamen malè eo abutitur, ut persuadeat ut assentiamur in turpem multorum ordinum quæstum, unde pleriq; omnes malè audiunt. Aliter enim scriptura &c. commenda αὐτάρκειαν.

## *Exemp. XXVII.*

*Oratio I.*

## Idolopæiæ. Super controversiis religionis dicuntur sententiæ,

*Mosis, Prophetarum, Apostolorum*.

Præfatio, & appellatio ad istos judices.

Maximam & aliarum rerum humanarum omnium & in religio-

nis potissimum negocio perturbationem esse, non orationis apparatu ad docendum, sed lacrymarum copia ad deflendum per opus esse facile mecum existimabitis mei A. Nam primum quibus privatis publicisve in rebus quid non turbatum est? (enumera aliqua si vis) deinde in re fidei quanta miseries? quanta sectarum opinionumq; varietas? quantæ hinc animorum disjunctiones; quæ bellorum & calamitates & minæ?

Quid igitur hic agendum? principio inde firmissima petenda consolatio quod dictum est ab Apostolo: Oportet esse hæreses: ne putemus hoc deprecando nos consequi posse, aut eam temporum felicitatem aliquando fuisse aut fore, vt illæ nullæ sint. Oportet esse hæreses: ita fert mundi conditio: ita consiliorum divinorum sapientissimorum & optimorum & saluberrimorum ratio postulat: ita hominum meretur impietas & ingratitudo. Cui bono autem? Ut qui sinceri sint ita constet. Ergo hæresis non tam seducit homines, quam improbitatem & incredulitatem hominum, quam callidissimè dissimulare noverant in lucem producit.

Quare doleamus quidem eam Ecclesiarum calamitatem, si grassantes in eas Pseudoprophetas noverimus. Interim & illud cogitemus, quod Dominus dicebat Samueli qui super Saule abjecto, nimis contristabatur: Usquequo lugebis Saulem? quem finem scil: faciet iste luctus tuus? quin cornu tuum oleo imples? Mitto enim te ut alium mihi regem ungas, virum secundum cor meum. Neq; enim Deo opus est hominibus, qui à se transfugiunt. Itaq; hominum quidem istorum miseriem deflere licet: sed Ecclesiæ & Dei, quasi & his aliquid de felicitate ab istis diminutum sit, non item.

Nos ipsos sic immunes ab errorum contaminatione præstare poterimus: si divino verbo legendo, meditando, assentiendo firmiter insistamus. Caveamus ab illa humani cordis malitia: quod arrogat sibi judicandi etiam in ipsa divina dogmata potestatem: ut dicat hoc placet, illud non item, illud arduum creditu, illud rectè &c.

PROPOSITIO. In ejus fidei simul, præter Rhetoricæ facultatis, exercitium, Adolescentes quos videtis assidere susceperunt in se causam quasi Ecclesiæ & communis pietatis agendam: & sustinebunt personas Mosis, Prophetarum, Apostolorum & horum verbis enarra-

bunt

bunt hodie ſcripturæ & Dei brevem ſuper iſtis controverſiis ſẽtentiam.

( Pete benevolentiam. 2. Compella Moſen ut dicat ſententiam & ut poſtea reliqui item dicant.)

## Oratio Moſis Zelotis.

*Oratio II*

*Co. rerum præteritarum.*

PROPOSITIO. Quid meam ſententiam audire deſideratis quam dudum dictam & ſcriptam à me poteratis meminiſſe?

O munde ſtulte & deſipiens! Hæccine reddis Deo benefactori tuo, ut adeò audacisſimè ori veracisſimo ejus contradicas! Nimirum ita ſemper fuiſti contumax: ut divinum verbum abnegares, & fingeres incredulitati tuæ prætextus aliquos, ut eò audacius à Dei voluntate diſcederes. Ita primi tui parentes. (narra hiſtoriam diſcedentium à verbo 1. parentum primorum: 2. Caini 3. primi mundi, temporibus Nohæ 4. Populi Iſraelitici ſub duce Moſe 5. univerſi mundi ſegregãtis ſe ab Eccleſia 6. Item exempla contraria: obedientium verbo & inhærentium in litera: potisſimum Abrahami & Noahi)

II. In me deſiderabatis alia atq;: balbutiem: uxorem Æthiopiſſam: quod homo vobis præeſſem. At quid in hoc doctore veſtro Ieſu Dei filio deſiderare poteritis? Quare igitur verbis ejus non obſequimini?

III. Ego, pro Dei ſancta voluntate & temporum illorum conditione, multa de Lege clarisſimè docui: ſed de Evangelio plura typis & figuris quam verbis. Quare gratisſimis animis accipite illam lucem Evangelij quam nunc Filius vobis revelavit, & nolite per malitiã in eâ claritate tenebras aut verborum obſcuritates fingere & comminiſci.

Sed video vos ab inprobitate non diſcedere: video meorum temporum imaginem quandam & quam ſimillimam conditionem in his ſeculis. Primum univerſi contemtores eſtis verbi: pesſimi hypocritæ, veſtra ex pietate lucra quæritis, Deum non verè amatis, ut meus olim populus. Deinde vos Pontificij in eò genere delinquitis, in quo olim populus meus, quando ego in monte Sinai abſens legem excipiebam ( fiat comparatio. Illi nolebant me ducem, & mea ſacra: ita vos reſpuitis Chriſtum, eligitis veſtrum Aaronem qui faciat vobis peculiaria ſacra &c) Vos Calviniani autem eſtis ipſisſima Coris, Dathani, & Abirami cohors & factio ( fiat comparatio: illi turbaturi ali-

quid, Mosen calumniabantur: ordiebantur à cæremonijs: volebant item videri apti & digni Sacerdotio & rebus magnis ac sacris tractandis. Ita Calviniani, frequenter hæc disputant, Lutherum hominem esse &c.)

Co. rerum futurarum vel consilia

Nunc ad vos me converto, quibus salus sua chara & cordi est, Principio commendatum sit hoc præceptum meum Deut. 12. v. 8. & 32. (Adde paraphrasin) Deinde etiam alterum illud reverenter cogitare Deut. 18. v. 15. &c. hæc jam impleta est scriprura. habetis sanctissima verba filij Dei consignata sacris literis: Maledictus qui ab his vel unguem latum discesserit &c.

Orat. III.

## *Exemp. XXVIII.*

## Oratio Prophetarum: dicta ab Esaia Consolatore.

Cog. rei præsentis.

O misera sane Ecclesia! quæ tot tempestatibus oppugnaris! (Enumera aliquas calamitates) omnium gravissimum quod est pateris ab hæreticorum & falsorum doctorum perversitate. Sed noli propterea animum abijcere mea Ecclesia. Nam etiamsi fremuerunt gentes, & Reges consilia inierunt, & principes inter se conspirarunt de te opprimenda: Tamen illa sunt inania consilia: quia adversus Dominum &c. (applica reliqua ex ps.) Iam quidem magnus furor & artes callidissimæ sunt in hæreticis ingenijs: sed quando summum videtur imminere periculum: ibi Dominus: surgam, inquit, &c. ps. 12. 5. Ille igitur nunquam vos deseret, mea Ecclesia: & dabit vobis doctores secundum cor suum, qui vos doceant veram salutis viam, & portabit vos in sinu suo: & erit propugnaculum adversus omnes istas Diaboli oppugnationes. Nunquid enim mater pati posset ut sibi à latrone sui charissimi liberi dilaniarentur &c. Es. 49. 15. ille vestros doctores armabit scientia & animi præsentia, ut audeant se contra hostes vestros doctores & principes opponere. Sicut fecit in collega meo Jeremia, quem cum mitteret, hæc promittebat Jer. 1. 17. &c.

Co. rerum præteritar.

Nolite putare aut mea aut ullius hominis memoria fuisse aliam temporum felicitatem. Semper omnibus nobis colluctandum fuit adversus falsæ Doctrinæ pestem. Habui ego Es. 9. habuerunt alij singuli

guli collegæ mei ſuos oppoſitos pſeudoprophetas. Imò horum ſemper maximus fuit numerus: cum nos ſaltem ſinguli pro veritate ſtaremus (Narretur Hiſtoria Eliæ, & diſcedentis à Religione populi Iſraelitici)

Forſan & illud à me poſtulatis, ut declinandæ hujus peſtis quoddam compendium commonſtrem? Neſcio aliud, mei amici, quam illud quod dudum dedi. Eſ. 8. 19. Nunquid v. 20. Hoc ſacerrimum Domini os nunquam vos fallet. Vos ſaltem ne faciatis quod iſti qui ad collegam meum aliquando adibant Jer. 42. &c. Sed Eſ. 8. v. 13. 14. Co. rerum futurarum vel conſilia

## *Exemp. XXIX.*

## Oratio Petri Apoſtoli. *Orat IIII.*

Propoſitio. Rectè quidem collegæ mei adhortati vos ſunt, ut adverſus hæreticorum corruptelas in verbo ſuo vel Dei potius fortiter pedem figeretis. Illud verò præterea mihi admonendi eſſe videmini, ne ea res vobis dubitationem pariat, quod etiam ſeductores iſtos videtis ad ſcipturarum aſylum & aras quaſi perfugere, & hinc ſui defenſiones parare. Nam reverà Indocti ſunt homines: etiamſi videantur ſibi & mundo ſapientiſſimi: neſciunt ſcripturas; non intelligunt doctrinam Spiritus Sancti, ſemper diſcunt nunquam perveniunt ad agnitionem veritatis. Quod inde adeò fit, quia volunt ſcripturæ ſapientiam ſecundum ſuam ſtultitiam judicare. Itemq; peſſimè depravant, corrumpunt & torquent ad ſuas vanitates & mendacia, ſcripturarum lucem ac cæleſtem veritatem. Quam indigni iſti ſunt quam guſtent, ſcil. cum tantoperè præ ſuis furfuribus faſtidiant. Vos autem habetis ſermonem propheticum & noſtrum Apoſtolorum etiam. In eo revelatum eſt vobis omne conſilium Dei, Et rectè facitis dum huic attenditis & obſequimini: Eſt enim vobis pro lucerna: ut non poſſint vos fallere laquei falſæ Doctrinæ à Diabolo poſiti. Hinc poteſtis facilè refutare omnes falſas opiniones; & ipſi perfecti evadere in fide & pietate. Co. rerum futurarum vel conſilium.

Nam quæ eſt his temporibus falſa doctrina quæ non perſpicuè damnata ſit præſertim à nobis Chriſti Apoſtolis? (Enumera præcipua dogmata: pontificia: Deinde Calviniana: & ſingulis aliquod perſpicuum ſcriptutæ dictum oppone e. g. Pontificij dicunt ſuum Pontifi- Co. rerum præſentiũ,

cem esse Ecclesiæ universalem Doctorem, qui falli & errare non possit. At non hanc impiam & impudentem doctrinam Christus noster ipse coram condemnavit? quando Matt. 20. 28. &c.) Verum hoc nos, hoc Christus prædixit, fore ut existerent pseudoprophetæ: ne quis propterea dubitare de Dei verbo & promissionibus posset. Neq; enim illi quicquam nocere poterunt ijs qui credunt in Christum Jesum. Hi enim norunt internoscere inter vocem Christi & Diaboli. Itaq; absq; horum periculo grassantur lupi isti.

Co. rerum præteritar.

EPILOGUS. Vos autem commendate pias animas vestras Deo & Episcopo ac pastori vestro: & si diligitis Christum amate verbum ejus, fugite vocem peregrinam: Et cavete pseudoprophetas: vos pastores autem vigilate: pascite gregem &c.



## EXEMPLA DESCRIPTIONIS

Descriptio Poetica septem insularum fortunatarum.

*Exercitium primum: Præfatio.*

Exord.

Dicatur de laudibus hujus Progymnasmatis. sc. 1. valdè delectat 2. docet perspicuè. 3. Ingenium oratoris ostendit.

Propositio

Exercere nos volumus porrò in hoc scribendo progymnasmate.

Confirmatio.

Quia non aliter difficultas, quæ sentitur in hoc genere descriptionis, superari potest.

Propositio altera.

Qui adsunt adolescentes describere volunt fortunatas insulas.

Declaratio

De fortunatis insulis, audivisse mihi videmini (adferantur quædam ex libris Cosmographicis) sed de ijs nihil nunc dicemus: Sed de alijs quibusdam, quas fingemus sitas ad meridiem, illis terris quæ non dum cognitæ atq; exploratæ sunt.

Confirmatio.

Habebit ea res plurimum delectationis. Atq; ut institutum nostrum rectius intelligatis paulo altius repetendum est. Sunt quidam homines, qui ita sibi felices fore videntur, si aut divitiarũ, aut voluptatis, aut honorũ quanta ipsis sufficereut, h. e. infinita suppeteret copia.

Alij majorem quam humana fert conditio & in hominibus eſt virtutis ſinceritatem & in fortuna proſperitatem deſiderant. Quam inepte utriq; agant: id propoſitum nobis eſt hoc figmento ante oculos ponere. Petat benevolentiam auſcultationis. Concluſio

*Exercitium ſecundum.*

*Summaria orbis terrarum deſcriptio.*

Exord. à commendatione argumenti

Primum eſt jucunda hæc conſideratio: ſc. animo complecti tantam orbis habitati molẽ, tot regna, tam vaſtas regiones.

Secundo eſt neceſſarium. Terram enim natura quaſi domiciliũ nobis univerſis conceſſit: ut turpe ſit atq; ingratum, hoſpitum quaſi proprium ignorare: & quibus illud accidat, ij non abſimiles ſint avium pullis, qui ubi ſemel ex teſta ſua prorepſerint, eam præ ſtupiditate non curant amplius.

Propoſitio

Exponam vobis quo terrarũ loco fingamus poſitas eſſe, de quibus præſens inſtituta eſt oratio, inſulas fortunatas. Quare univerſi terrarum orbis imago quædam & quaſi idea prius animo concipienda fuerit.

Ipſa Expoſitio.

PARS PRIMA. Terra eſt quaſi pila: quæ pendet in medio aere.

SECVNDA PARS. Mare & terra ſicca ita inter ſe commiſcẽtur, ut efficiant unum rotundum orbem.

TERTIA PARS. Quinq; ſunt partes terræ, ſive regiones ſive Zonæ ut vocant 1. Meminiſtis de Vrſa in cælo vel ſtella quam Germani vocant, den Wagen.

Huic urſæ quæcunq; terræ ita ſubjacent, ut Vrſam rectâ ſupra caput aſtantem habeant: illæ dicuntur habitare Zonam frigidam (deſcribas hic reliquas Zonas)

QUARTA PARS. Aliter ſic etiam dividuntur ut dicantur tres eſſe quaſi magnæ regiones, terræ habitabilis, ſive tres continentes ut vocant: orbem noſtrum, Americam & terrã Auſtralem. Noſter orbis eſt, qui complectitur Europam, Aſiam & Africam. America alias orbis novus: eſt quaſi terra ſub pedibus noſtris ſita: in quam navigatur ultra Hiſpaniam. Terra Auſtralis occupat partem illam orbis verſus Auſtrum: nec dum cognitum eſt qualis illa ſit, & qui homines, imo an homines ibi habitent.

Quinta Pars. In hac Australi terra fingimus positas fortunatas Insulas. Eas quasi nuper inventas, quales descripturi simus, nunc vestræ in discendo industriæ est cognoscere.

*Exercitium tertium: Descriptio primæ Insulæ, Chryses vel Argyrarum.*

Exordium

Stolidissima est illa in vulgo pecuniæ cupiditas: qua ultra quam rerum nostrarum postulat necessitas, infinitæ divitiarum copiæ expetuntur. Fiat expolitio. 1. Per ἔκφρασιν vel Periphrasin. 2. Per Inductionem. 3. Per αἰτιολογίαν. 4. Per simile. 5. Per exemplum. 6. Per contrarium. 7. Per conclusionem. Secunda pars. Huic hominum plerorumq; stoliditati illudere voluimus, hoc, quod nunc afferemus figmento. Non Fabulæ meræ sunt, quod adeò vos præmoneo, quæ producentur de Chryse vel Argyris Insula. Sed ita fabulæ sunt, ut ridendo verum dicere allaboraverimus: vel sub illis figmentis turpes istorum cupiditates ridendas propinare voluerimus. Facitè igitur attenti ut adsitis, sic rectius de felicissima Argyrarum conditione cognoscetis.

Propositio

Ipsa descriptio.

Insula est inaccessa: obsita multis scopulis. Inter hos natant vastissimæ marinæ beluæ: hic visuntur cete. ( Discribantur ) Item Phocæ & Hippopotami & alia monstra. Unus saltem angustissimus transitus vel alveus est, qua navigatur in portum: vocant rivum Sancti Benedicti. Sed idem repertu perdifficilis est?

Secunda p.

Insula altè prominet ex mari: ut ultra decem miliaria possit conspici & mirabili quidem pulchritudine. Quia montes marinis fluctibus pro littore oppositi arenulas vel Scobes habent partim aureas partim argenteas. Quare Solis radijs collustrati montes illi splendidissimũ atq; incredibilem fulgorem longè lateq; dispergunt.

Tertia pa. descriptionis. Ipsa regio & partes.

Insula dividitur in Respublicas quatuor. 1. Est Tyrannis. 2. ὀλιγαρχία. 3. δημοκρατία. 4. Mista forma. In Tyrannide Princeps arcem habet munitam ( describatur arx munita, à spacio, à forma, à vallis, muris, turribus, machinis bellicis, militibus præsidiarijs) Ipse Princeps prodit rarò, multis cinctus est stipendiarijs: vultu pallidus corpore macilento: vestitu sordido & lacero. Subditi conspiciuntur multi iu aulæ limine, supplices, in terram abjecti, præsertim si Princeps

exe-

exeat aliquo: alij de alijs præfectorum injurijs conqueruntur. Sed etjamsi accipiat libellos supplices, princeps: tamen ubi in pontem venerit, undè ex arce ad urbem transitur, hic in aquas plerumq; abijcit. (Addantur alia Principum tyrannorum, sive sua tamen lucra quærentium signa indicia.) In Oligarchia, Magistratus lautissimè vestiuntur: victitant atq; ædificant splendidissimè. Videre licet incedentes &c. (Describatur Consul aliquis aut Senator superbè se inferens: Vestitus: gradus: vultus: screatus: salutatio: Oratio: ministri &c.) In Democratia confusa omnia, & suspicionum plenissima: quotidiè querelæ in foro & circulis, de Magistratuum negligentia, imò peculatu. Præterea sermones crebri de melius elocandis bonis publicis. Ubi hi aliquando ferbuerint sermones, tumultus excitatur &c. (describatur seditio populi poscentis rationem à senatu, & Magistratuum mutationem.) Mista forma ijsdem quidem turbatur malis, Sed magis occultè res geritur, & ex insidijs.

*Quarta pa. Fructus regionis.*

Principio, quod incredibile esse sanè sentio argenti atq; auri nullum est in hac regione precium. Verum ita facilimè hoc mihi assentiemini, si de copia intellexeritis. 1. Fluvij aurum vehunt pro sabulo. Indè etiam poma, etiam fruges atq; omnes fructus aureos nasci, certò ad nos relatum est. Deinde artium istarum, ut ita vocem auriferarum usus vulgatissimus. Rustici ibi Alchimistæ sunt: tum furari, defraudare, latrocinari, honestissimi artificij locò habetur &c.

*Epilogus.*

Non possum nunc dicere de bellis, victorijs, hostibus, legibus, alijs institutis hujus provinciæ: non quod voluntas dicendi aut materies desit, aut quod in auscultando non operæ precium aliquod fieri censeam: sed quod reliquis etiam dicendi locus relinquendus sit.

## *Exercitium Quartum. Insula 2. Argos vel Argi.*

*Exordium Propositio*

Homo ad laborem natus est: & impietas mera est perpetuum otium sibi optare. Quod si quis ita ignavus sit, ut omninò ad labores animum applicare nolit, huic author essem, ut in istam Insulam Argos navigaret: quæ altera est inter fortunatas: & de qua institui vobis commemorare.

*Narratio vel descriptio.*

Primum portus & accessus facilis est. 2. ipsa regio per se fertilissima omnium rerum necessariarum. 3. nulli magistratus neq; civitates neq; pagi: nulli opificum stridores: neq; seritur neq; metitur.

4. Domus & raræ & semirutæ per vetustatem. 5. Homines sordidi: oculi nocturnis lemis obsiti: caput impexum: vestes pendulæ & semilaceræ &c. Viri, mulieres, adolescentes, virgines, pueri singuli describantur ignavi scilicet. 9. Depressior est insula & incolæ nullas opposuerunt aggerum moles, itaq; sæpè irruptionem facit mare: & non fructus tantum avehit, sed ipsos homines etiam. Frigus molestissimum est: Exposita est enim insula Austro istis locis frigido vento Ideoq; in hyeme graviter affliguntur: quod neq; ex terra quicquam suppetat, neq; illi satis tempore in hyemem sibi consuluerint

Conclusio

Et tantum quidem de Insula Argis habui: quæ sive vera sunt sive ficta, miseram sanè ignaviæ conditionem videntur demonstrare.

*Exercitium Quintum Insula, Tertia Bromia.*

Exordium

Vera animi jucunditas ex literarum virtutisq; conscientia persentiscitur. Quam quia pleriq; ignorant, adeo ad ignavas homineq; indignas cibi & potus voluptates sese abijciunt.

Propositio

His ego hominibus ita voluptariæ rei studiosis consulerem, ut quantum possent se in Bromiam Insulam conferrent. Est enim hæc inter fortunatas insulas rebus ad gulam pertinentibus refertissima, quod nunc porrò ex me cognoscetis.

Descriptio Insulæ.

I. Rex Bacchus Regina Ceres describantur, 2. Opifices nonnulli. 3. pleriq; cives Musici, describantur organa Musica varia. 4. Choreæ frequentes, describantur. 5. Arbor quædam singularis (fingatur altitudo, & crassities, colores & figuræ foliorum) fert fructus quater in anno: hyeme lanam & adeo continuam illam ut non opus sit texti, sed ipsa usum vestis præbeat. Eadem arbor veris tempore fert pomi quoddam genus instar ovi: unde postea si Solis calore foveantur illa poma, excluduntur atq; evolant omnis generis aves columbis nostratibus, anatibus atq; anseribus non absimiles. Sub autumnum nascitur quiddam ex eadem arbore secundum corporis figuram ovem referens, sensibus tamen carens. Narrant autem etiam carnes habere nostratibus agninis non planè dissimiles. In hyeme arbor visco obseritur. Atq; hoc collectum & soli expositum ajunt in auri laminas concrescere, Præterea & Illud mirabile habet arbor ista, ut si dextro latere tenuissimum foraminulum aperiatur fluminis instar magnam vini rubri copiam profundat, si sinistro tantundem albi. Et hujusmodi sanè

ſunt quæ de Bromia inſula referuntur. Quibus etſi ego ipſe parum aſſentiar, tamen puto non defuiſſe, quibus rerum adeò lepidarum narratio ſi non utilis tamen jucunda fuerit. Epilogus.

### *Exercitium Sextum Inſula 4. Cythera.*

Exordium

Vetus fabula eſt de veneris monte, ſed magis obſcæna ſunt quæ narrantur quam ut ingenuæ aures ijs auſcultandis operam dare debeāt. Omnis enim orationis obſcœnitas peſtilenti quadam contagione ipſum animum vitiat ac corrumpit.

Propoſitio

Speramus igitur rem & gratiorem veſtræ ſanctimoniæ & Reipub. utiliorem facturos nos eſſe, ſi intempeſtivorum amorum turpitudinem magis caſto figmento de Cytherà vel amorum Inſula adumbremus. Quod ut faciam eò alacrius veſtra auſcultandi benignitate ſtudium noſtrum promovete.

Narratio. Parsprima Situs.

Eſt peninſula. Nam cum Bromia continentem aliquam terram efficit, reliquis verò partibus inacceſſa eſt propter ſcopulorum circum ſitorum multitudinem. Itaq; qui hanc Inſulam petunt, ad Bromiam naves appellunt, & inde pedibus in Cytheram tranſeunt.

2. p. Habitatores.

Habitatur Iuſula ab Amazonibus. Amazones in Thracia habitarūt, unde pulſos in hanc inſulā commigraſſe vero non abſimile eſt.

3. p. Deſcribatur Amazon.

In Cytherâ Amazones habent extructas arces elegantes: magis tamen ad alliciendos hoſpites, qvam hoſtes arcendos aptas. (deſcribatur arx elegans & picta).

4. pars.

Ipſa & veſtibula & limina ædium eleganter picta & ornata.

5. pars.

Humanitate in excipiendis hoſpitibus ſingulari: obviam procedunt: hilariter habent, aſſidet utrinq? virgo lepidiſſima: muſica artificioſa adhibetur: bibitur plus ſatis.

6. p. Crudelitas in hoſpities. Epilogus.

Nocte expilant hoſpitem: manè ſine miſericordia ê finibus ſuis eijciunt. Et hæc quidem de Cythera habui, quæ dicerem, quæ, ſi falſa vobis videntur, non multum erraveritis. Neq; tamen pro nugis haberi velim: quod veritatem quaſi nucleum intra ſe concluſam habeant putamina illa figmentorum.

### *Exercitium Septimum. Inſula quinia Alazonia.*

Exordium

Notum eſt ex Romana hiſtoria in remotiſſimas regiones abire juſſos eſſe, qui aliquo ſceleris exemplo integerrimos Reipub. illius mo-

res contaminaverant. Ea tempestate factum puto, ut arrogantium sui prædicatorum, tum aliorum fastuosorum hominũ turba in Insulam Alazoniam amandaretur.

Propositio

Nam est ea Insula isto hominnm genere refertissima, imò ab eo uno habitata, quod ex eis, quæ jam mox de Alazonia exposituri sumus pluribus cognoscetis.

Narratio. 1. pars.

Ipsa Insula multos montes habet, in quibus plurimus ventus gignitur.

2. p. Fortissima hominum sunt corda.

3. p. Est ibi mirabile quoddam hominum genus volatile: sed ventum coguntur expectare: brachijs annata habent alarum remigia.

4. p. Rex unus quidem, sed populus valdè seditiosus, ut sine horum consensu nihil ille tentare audeat.

5. p. Belliciosissima natio, non tantum fortiter expectant domi hostẽ, sed etiam foris ultrò provocant.

6. p. Vestitus Regis describatur.

7. p. Vestitus militaris Thrasonicus.

Epilogus.

Itaq; non infelix adeò est Alazoniæ insulæ conditio, quod utinam persuaderi possent, qui arrogantiæ studiosiores sunt, ut illûc navigare malint, quam ut apud nos omnia turbarent.

*Exercitium 8. Insula 6. Eutychia.*

Exordium

Vita nostra exposita est varijs casibus & calamitatibus: & frustrâ optamus, ut omnium rerum commoditates & successus ex sententia fluant atq; eveniant. (addatur expositio).

Propositio

Quod si quis sit ita morosus, ut hac communi humanæ naturæ conditione vivere recusaverit: hunc sane in hanc insulam Eutychiam juberem navigare. Quod hic planè ex istorum hominum ingenio vivitur. Forsitan quæretis, quæ sit illa Insula Eutychia? id nunc si auscultationis vestræ benigniter mihi operam præstiteritis, paucis planum faciam.

Narratio. Pars 1.

Insula utitur aère saluberrimo & suavissimo. Describantur venti, partes anni. E. g. hyeme nullum frigus, aut saltem non molestum: ut fornace succensa non sit opus.

Aestas nõ est gravis: Nullæ pluviæ, neq, pulices neq; culices &c.

p. 2. Sita est loco munitissimo atq; inexpugnabili: ideò neq; Tur-

cam

cam neq; alios hostes metuunt.

Domi tanta Civium omuium concordia & mutua inter se benevolentia: ut nulla cuiquam ab altero molestia exhibeatur: officia verò singulis ab omnibus ad fastidium usq; obtrudantur. P.3.

Ibi quicquid optas erit. Quod voles munus nescio â quo Deo, impetratur. Si quis esurit cibum lautissimum quemq; sibi exoptat dari: & ubi vix concepit votum, statim deliciæ illæ nescio unde in mensa adsunt &c. P.4.

Hic nulli morbi: Homines pulchri: læti atq; hilares: semper saltant ac jocantur. Vivunt secula tria, quatuor. Neq; tamen ullus est, quamvis maximè senex, qui meminerit se lacrymam ex humano oculo destillantem videre. P,5.

Vivi tandem abripiuntur in cælum. p.6.

Epilogus.

Vtinam humana stoliditas, quæ ita falsè de Eutychia insula narrari facilè agnoscit, & â singulis nobis vanissimè sperari tandem aliquando deprehenderet! Quis enim est, quin cum contraria omnia vitæ quotidianæ consuetudine omnes comperiamur, tamen vel in proximum annum non meliorem rerum humanarum usum & planè Eutychiæ insulæ conditionem auream polliceri sibi audeat? &c.

*Exercitium 9. Insula 7. Eusebe.*

Exordium

Longe plurima hominum pars improbitati dedita est: inde ergo tot exempla scelerum & turbarum in communi vita: neq; ullis legibus hoc unquam assequi poterit vel una respublica, ut malitia humani ingenij planè extirpetur &c. (addatur expolitio)

Propositio

Quod si cui Reipub. divino quodam fato contingeret, dubiũ non est, quin ea omnium felicissima habenda esset. Id vel hinc colligere licet: sc. ex insulæ Eusebes descriptione: si vobis in ea auscultanda operæ vos precium facturi videbimini.)

Narratio

Insula non magna est. 1. Duo sunt ad eam aditus ad formam literæ Y &c. 1.

Una est Respublica regnum scilicet. Rex καλοκάγαθος statura mediocri, facie perhumana ac clemente &c. (describatur corporis figura & vestium cultus.) 2.

Rex tanta est dignitate aut charitate potius apud suos, ut nullis utatur satellitibus vel corporis custodibus. Domi aut orat aut philoso- 3.

phatur. Postea progreditur in Curiam: ibi videas circumfusam turbam plebis. Ille autem singulos admittit, in lectica sedens, ut salutet, ut manum osculentur.

4. Cives omnes honestissimi homines: describantur vultus, incessus, vestitus, negocia, sermones.

5. Opum nihil quisquam proprium possident, aut videntur saltem possidere. Etiamsi enim singuli habeant domus suas, hortos suos, penum, pecuniam, fructus suos, tamen si alicuicunq; ijsdem opus sit, liberrimus aditus patet &c.

Epilogus. Et hujusmodi sanè insulam Euseben esse & credere & optare impune licet: sperare autem fortassis frustra esset.



Oratio I.

## EXERCITIA THESEOS.

### *Exemplum I.*

### *An bellum sit gerendum.*

#### *Pro sententia Negativa.*

EXORDIUM ab occupatione. 1. Præmonitio. Credo ego A. non defore, qui ubi orationis nostræ argumentum intellexerint à nobis dissentiant, & illud omnino in hunc locum non adferendum fuisse arbitrentur.

2. Sententia Adversarij. Nam de bello dicturi sumus: an bellorum gerendorum ratio atq; institutum illud nimis, ut videtur, inter Christianos frequens, non ab his tantum sed ab omni humanitatis nomine planissimè ablegandum sit: an verò ferri atq; excoli possint etiam à Christianis, ut pacis ita etiam armorum studia, quantumvis ab Ethnicis accepta. Sed quid Marti cum Minervâ, dicetis? quomodo non ineptè ad hæc literarum ocia & silentia, illa de armorum strepitu & tumultibus oratio introducetur?

3. Ratio à simili. An non enim qui apud virgines de meretricibus, in Theologorum consessu de blasphemijs, in honestissimorum hominum convivio de scurris instituerit sermonem, non ridebitur solum

lum, sed pro importunissimo homine habebitur? neq; id injuriâ, cum non tantum orationem ad auditores non accommodaverit: sed etiam laudi ac studio sibi videatur duxisse, ea potissimum sectari, quibus alijs afferret molestiam. Eodem etiam nos videmur condemnari posse crimine qui ad dicendum prodeuntes, illud ad vos argumentum apportamus, quod vestris studijs vitæq; institutis maximè adversum atq: inimicum est. Quid enim belli studijs commune esse poterit cum pacis artibus? quid militum castris cum Musarum hortis: quid lituorũ cantibus cum literarum silentijs? quid deniq; huic ocio atq; quieti, cum istis turbis atq; agitationibus?

4. Nostra præmonitio. 5. Sententia nostra.
9. Ratio pro nostra sententia. 7. Solutio contrariæ orationis.
8. Amplificatio. 9. Conclusio, addantur.

II. Propositio Sentio igitur à bellorum feritate abstinendum esse ijs omnibus, qui humanitatis nomen tueri volunt. Atq; ut rationes quare ita sentiam, intelligatis, pauxilli temporis usuram ad explicandas eas à vobis mihi concedi peto.

III. Confirmatio Argumentum I. ab honesto. Parum honestum est homini ad eam pugnandi rationem descendere, quæ beluarum potius quam hominum est. Etenim beluis videmus concessa esse â naturâ ea arma, ut corporis robore inter se contendere possint. (Fiat inductio) solus homo inermis natus est ut defensionem sui non à violentiâ armorum, sed humanissimâ rationis disceptatione petendam meminisset. Vt vere non minus inepte armis uti homo videatur, hincq; sui defensionem petere, quam si bestiæ ratione se defendere conarentur.

Argumentum II. ex eodem loco. Accedit quod summa impietas, crudelitas horrenda, scelera alias inusitata atq; inaudita, in bellis non exerceantur tantum, sed impunè grassentur adeò. (declaretur hoc de singulis istis vitijs.)

Argumentum III. ex loco 2. à damnoso scil: Nulla salus bello verè dixit Poeta: nisi quod verius etiam dici potest: nulla non ex bello calamitas atq; miseries. Quæ enim rei vel publicæ vel privatæ pars in bellicis tumultibus non certissimo exposita est periculo? Neq; enim tantum fortunæ & opes tum pxivatorum tum Reipub. hostium

rapinis atq; latrocinijs: sed etiam vita cujusq;, sed etiam libertas, sed etiam religio sacraq; & penè ipsa æterna salus alieno ludibrio ac dominatui per illam temerariam bellandi cupiditatem objiciuntur.

Argumentum IV, ex loco 3. injucundo. O miseram illam Reipub. faciem, quæ mili tum prædæ ac libidini exposita fuerit: ô spectacula fæda atq; horrenda! ubi videas passim non privatas tantum ædes, sed curias, aulas, templa hostili conflagrare incendio: passim vias cadaveribus honestissimorum hominum & tibi familiarium oppletas, videas strictum barbari ac pessimi militis gladium aut pectori aut cervici imminentem tuæ: audias te indigna, ipso autem authore nebulone dignissima convicia: qui te jubeat thesaurum prodere, ex ædibus migrare, manibus post tergum revinctis esse, tundat, raptet, prosternat: etiam charissimorum tibi vel cæde faciem conspergat, vel alijs injurijs oculos atq; animum adeò maceret.

IV. Confutatio. Quæ quanquam ita sunt in promptu ut neminem facilè latere possint, tamen eam invenias multorum avaritiam, ut prædæ, quam sperant, cupiditate, ultrò bella dari exoptent. Dicunt enim, ita vel armis maximè & rem & gloriam reperiri. Ut ignavi animi sit, & ad res præclarè gerendas inepti, illam per arma concertationem temere detrectare (subijciatur Responsio.)

Objectio 2. At enim, inquiunt, necessaria sæpe est belli gerendi ratio. Multa enim est humanorum ingeniorum iniquitas: & quo quisq; ferè est innocentior & ad ultionem sui tardior, eò frequentius ab aliorum malitia & nocendi libidine appetitur (subijciatur responsio)

V. Epilogus. Fiat repetitio propositionis & argumentorum: & addatur gravis aliqua sententia e. g. Ut in beluas vel Diabolos potius degenerasse videantur, qui tanto profundendi humani sanguinis quasi furore exarserunt.

Orat. II.

## *Exemp. II.*

## Altera sententia Affirmativa.

Exordium à reprehensione adversarij. Si tantum in consilijs dandis ea spectanda essent, quæ honestatis utilitatisq; aliquam præ se

speciem

ſpeciem ferrent, ſententia hodiè hic dicta eò habenda eſſet ſalubrior ac laudabilior, quò videri cuiquam minus conſideranti poſſet utilior atq; honeſtior. Verum rectè præcipiunt, tum qui de oratorijs, tum qui de politicis inventionibus præcepta congeſſerunt: non tantum illa quæ dixi honeſtatis atq; utilitatis quaſi ſpecimina attendenda eſſe dum conſultamus: verum etiam illud videndum, num libera ſit conſultandi facultas, & an non ipſa neceſſitas ita ad quædam ſuſcipienda adigat, ut non niſi fruſtra & ſtolidè, quæ ex alia parte utilitas, atq; honeſtas ſit, commendetur. (Declaretur hoc exemplo ficto febricitantis: cui aliquis perſuadere ſatagat, honeſtum & utile eſſe vinum bibere.) adverſat:

Propoſitio. Eadem ſtoliditate facere mihi videntur, qui à bellis dehortantur, quod quam honeſtiſſimam & utiliſſimam pacis conditionem depingunt: tum multa dicunt de bellorum incommodis ac turpitudine. Quicquid enim de iſtis omnibus ſit: in eo tamen hi conſultores errant peſſimè, quod non vident eò tempora noſtra recidiſſe, ut etiamſi parum commodum ſit, aut cum noſtrâ laude fiat, tamen omnino belligerandum ſit.

Confirmatio. Magna eſt enim temporum atq; hominum malitia: omnes eò intenti, ut ex aliorum incommodis ſua comparent commoda. Itaq; nulla major ad injurias illecebra, quam ſi improbi homines impunè ſe eas inferre poſſe ſibi viſi ſunt. Ut qui bella & arma ſuſcipienda prohibeant idem mihi facere videantur, ac ſi vetent incendium ab ædibus, lupum à ſtabulis, & omnem aliam calamitatem à fortunis noſtris prohibere. Eſt ea licita ratio, & ab omnibus ſanæ mentis hominibus cupidè apprehenditur, ut ſi qua vis aut injuria afferatur eam omnibus modis à uobis depellere connitamur. Argum.1.à neceſſario. Concluſio per ſimile. Propoſitio major.

Neq; caret hæc bellorum ratio omni virtutis commendatione. Nam eſt fortitudinis arcere vim à tuis, rapinam à patria, ſacrilegia à templis & aris. Fortitudo autem eſt virtus præclariſſima (dicantur laudes fortitudinis.) Argu. 2.ab honeſto.

Et mirabiliter ſanè accidit, cum publicis bellis nihil videatur calamitoſius, ut tamen ſi illa prudenter adminiſtrentur, maximo Reipub. emolumento futura ſint. 1. Repremitur contumacia hoſtilis 2. Juventus exercetur bellicis artibus 3. Vires Reipub. adaugentur ex victo- Argu. 3. ab utili.

ria 4. metu illo & calamitate luxuries atq; improbitas civitatis imminuitur, tum pietas atq; innocentia major efflorescit 5. celebritatis quædam nominis ex virtute civibus acquiritur.

Confutatio. Respondeatur ad argumenta superioris orationis posita in confirmatione per negationem consequentiæ &c.

Conclusio. Quare orandus quidem est Deus, ut bellorum tempestatem à Rebuspub, nostris longissimè arceat: interim si aliena improbitas pacem publicam turbaverit, non detrectanda est justitiæ & patriæ defensio necessaria: maximè cum in eadem & gloriæ materies & multorum emolumentorum spes sita sit præclarissima.

## Exemp. III.

Oratio I.

# An Philosophia sit docenda apud Christianos pro sententia Negativa, Oratio I.

EXORDIUM ab occupatione. Ita ferè fit A. ut si quis sententiam à vulgi judicio paulò abhorrentem dixerit, non attento quibus eam rationibus muniat, falsum dixisse judicetur. Quæ sane iniquissima non dicendi solum, sed vivendi etiam ratio videtur. Quid enim iniquius, quam ita non tantum ad aliena sed vulgi etiam judicia obligatum esse, ut ne transversum quidem, quod dicunt, unguem pene sine scelere ab eadem discedere liceat. (addantur confirmationes) 1. vulgus imperitum, ut cæcum ductorem sequi nos jubeat, qui ad sententias vulgi ableget 2. Nulla major dissensio quam recte sentientium & vulgi &c.

Propositio. Itaq; his fretus ausus sum hic proponere sententiam, à vulgi quidem, quod fateor, opinionibus, sed non à veritate item discrepantem. Sentio igitur non recte fieri id quod vulgo fit, ut Philosophia Arist. & unica illa in Christianorū cætibus scholasticis teneræ juventuti instilletur. Jam vos non idem mecum sentire, ignorare non possum. Itaq; illud vos oro, ut sentire mecum possitis, quod spero, rationes quas in eum finem afferam, animis attentis auscultetis.

Confirmatio. Multa impietatis semina latent in literis illis Ethnicis. Primum. Impietas quædam est ita naturam, & quæ ex ea emolumenta capiuntur, considerare, ut non potissima & frequentissima Dei authoris & largitoris fiat mentio. Nihil horum fit in Aristotelicis præclari istius viri libris. Quid dico fit? imo contraria fiunt omnia:

Arg. I. ab inhonesto.

nia: dum quæ in cælo generantur pluviæ, nives, cometæ, alia meteora: in terris metalla, fruges, animalia, & quæ alias in mari & universo mundo producuntur, ita suis causis tribuuntur, ut Deo nullus relinquatur locus (Enumerentur alia, e. g. Abnegatur creatio & finis mũdi, & immortalitas animarum).

Præcipuæ virtutes sunt erga Deum fides, humilitas, oratio: Erga proximum misericordia, charitas: Erga nosmetipsos castitas & sobrietas: Quid de his omnibus habet Aristoteles? quæ autem his demtis poterit esse vitæ honestas? porrò quos ille posuit virtutum titulos, quid in istis ostendere mihi possis, quod præter vanas subtilitates, & vocabulorum grammaticas expositiones, ullam vim ingenerandæ honestatis contineat? Arg. II. ex eodẽ loco.

Philosophiæ studium præterquam quod nulli ad pietatem emolumento est, etiam damno nonnulli videtur esse. Etenim sit aliquis versatissimus in Physicis & Metaphysicis Aristotelis: nunquid propterea ad fidei intelligenda mysteria paratior accedet? imò ineptior. Quod quò quis humanæ sapientiæ præsidijs se magis instruxerit, eò vehementius majoriq; studio cælestem sapientiam, humanæ adversariam à se propellet. Porrò quæ in Ethicis de moribus præcipiuntur, num pietatis quædam semina & initia sunt? ita quidem nonnullis, sed mihi non item videntur. Quomodo enim ad pietatem prodessent, quæ Dei diviniq; cultus tanquam præcipuæ in pietate partis ingratam quandam oblivionem invehunt? Arg. III. à damnoso vel inutili

Non dicam nunc de alijs incommodis, quæ in omnem humanam vitam ex Philosophiæ studijs apportantur: quod alacria aliquando adolescentum ingenia, quæq; alijs saluberrimis rebus distineri poterant: sicut Hercules ad Augiæ expurgandum stabulum, ita illi ad philosophicas literas magno Reipub. damno relegentur. Ar. IV. ex eodẽ loco.

Qui mihi ubi è Philosophico ludo progressi fuerint, sua quidem opinione egregie sapientes, sed reverà strenue desipientes: ubi ad rem ventum fuerit, & seria agenda sint, Philosophi in vita h. e. asini ad lyram deprehenduntur &c. Arg. V. ex eodẽ loco.

Et cum omnia studia liberalia suâ quadam jucunditate animos alliciant, si à vanis professorum promissionibus discesseris, nihil in literis his, quod magnopere delectet, facile reperietur 1. omnis adole- Arg. VI. à molesto.

scentiæ ætas impendenda est, & in rebus obscurissimis quidem, & ita sanè ut pòstquam quadam ingenij luce multoq; multorũ annorum indefatigato studio istas tenebras perruperis, pro nucleo vermiculi stercora h. e. pro sapientiæ, quam sperabas segete, meros nugarum tribulos & lappas invenias.

Conclusio. Itaq; si meo quidem arbitrio res ageretur censere longè utilius & magis ex pietate facturos adolescentes, si maturè pro philosophicis nugamentis, sapientissima sine omni dubio divinæ scripturæ documenta arriperent. Quæ ad ingenij subtilitatem pertinent, mallent ex ingeniosissimis sacræ scripturæ libris, quam ex cæco h. e. stulto Aristotele discere: quæ ad mores & probitatem: ex pietatis potius fontibus, sacris scil: literis quam ex istis rivulis & lacunis haurire.

## *Exemp. IV.*

## Oratio II. pro sententiâ affirmativâ.

EXORDIVM. à reprehensione adversarij. Nullam, ajunt, non à sanâ ratione tantum sed communibus penè sensibus adeò absonam sententiam reperiri, quin eadem suos defensores & patronos nanciscatur (poterunt adduci exempla, αἰτιολογία, simile, contrarium) Atq; hoc adeo ex re præsenti venit in mentem mihi: ubi adversus philosophiam declamatum est, idq; iniquissimè postulabatur ut hujus ex christianis scholis omnis relegaretur usurpatio. Quâ sententiâ non dicam quid iniquius, sed quid ab humanis non animis tantum sed auribus magis abhorrens? & tamen eadem suis quibusdam rationum fulcris niti atq; exstructa esse videbatur.

Conclusio vel applic.

Verum ut intelligatis quid falsitati veritas intersit, & quàm parum firmitatis habeant illi per sophismata connexi argumentorum nodi 1. pro philosophia retinenda pauca quædam disceptabo. Quid enim opus est in re expeditâ pluribus? Deinde illas sophismatum insidias quasi disturbabo.

Propositio

Confirmatio. Vere dictum est, quod communi tritum sermone in proverbij consuetudinem abijt: Ars osorem non habet nisi ignarantem. Ut non tantum philosophicæ illæ liberales & ingenuæ literæ, verum nihil sanè quod ab arte aliquâ & ingenio aliquid cognominis trahat,

Argu. I. ab honesto.

trahat, ſine indubitatâ ignorantiæ ſuſpicione h. e. ignominiæ & infamiæ macula contemni queat.

Dei donum ſunt illa humanæ ſapientiæ in prima creatione impreſſæ veſtigia ac reliquiæ. Ut ipſum authorem & hujus majeſtatem læſiſſe videatur, qui eas quadam contumeliæ labeculâ contaminaverit. Arg. II. ex eodẽ loco.

Accedit quod in Philoſophiæ vituperatione hoc mirabile evenit, ut accuſari ea non poſſit, niſi ab ijs qui accuſandi vel diſputandi contra eam rationem ex ipſa Philoſophia hauſtam, nefariâ quadam ingratitudine, in matris ſive magiſtræ ſuæ viſcera quodammodo converterint. Argu. III.

Quid enim Philoſophia, niſi quædam de natura & mundo univerſo accuratè ſubtiliterq; judicandi: de moribus & probitate ſalubriter monendi ac præcipiendi: omniaq; adeò quæ mente & oratione perficiuntur, artificioſè ac dextrè adminiſtrandi quædam methodus ac ratio? Quibus rebus qui carere vitam humanam poſſe aſſeveraverint, non minus ferendi ſunt, quàm qui veſtium, qui culinariæ artis, qui magiſtratus aliarumq; rerum neceſſariarum uſum è medio ſublatũ concupierint.

Inſtruit Ethica Juris conſultum, Phyſica medicum, Politicus autem eſſe aut Reipub. inſervire ſine Politices cognitione, quî poterit quiſpiam? Ita oratoria facultas & Logicæ ſtudium adeò cum reliquis, ut vocant facultatibus connexa ſunt atq; cohærent, ut fruſtrà de ullis in his progreſſibus ſpem tibi facere, aut ſi quid miſerè & multo labore tandem collegeris, ſine Logicarum artium adjumento nihil quicquam ad communes utilitates conferre poſſe videaris. Ar. IV. ab utili.

Confutatio. Reſpondeatur ad argumenta ſuperioris orationis ex præceptis Theſeos.

Concluſio habet repetitionem argumentorum in confirmatione poſitorum: & adhortationem ad Philoſophiæ ſtudium.

## *Exemp. V.*

*Oratio I.*

## An Philoſophia ſit diſcenda à Theologiæ Studioſo-Sententia Negativa.

EXORDIVM. à neceſſitate argumenti. Temeritas peſſima eſt A. in ſtudijs aut occupationibus aliquibus ita degere ætatem, ut

non ratione certà ad ea perductus sis, quam exponere alijs facile possis. Quod multi faciunt, ut vel more aliorum quibus cum vivunt aut alio impetu animi stulto ad vitæ aut literarũ aliquod gen9 studij se appellāt.

Propositio. Vt igitur eam temeritatem devitarem & mecum multi: judicavi rectè me facturum, si non mecum, sed hic in publico considerarem: rectè ne fiat, quod vulgò fit ut ad studia Philosophiæ ætatem conferant, atq; operam hic consumant etiam illi, qui S. literarum studijs se devoverunt. Ego verò non rectè fieri contendam. Verum quò magis abhorret hæc mea oratio à consuetudine & vulgi auribus, eò æquius esse puto à vobis hujus causæ disceptatoribus mihi pro veritate & omnium commodis hanc contentionem subeunti benevolas & ab omni præjudicatu vacuas aures patefieri.

Confirmatio. Præmonitio. Tribus verbis inquiunt bona causa. Ita hic facilis res. Propositio major: Hoc primum à vobis mihi quærendum, possitisne sacram scripturam in hac causa ferre judicem? non potestis recusare pro vestrâ pietate (h. e. Quod S. scriptura docet, de eo porrò dubitandum non est) Itaq; jam evicta est causa: quid postulabitis amplius? quid potest ferri clarius illâ sententiâ?

Arg. I. ab inhonesto.

Minor Col. 2. v. 8. 9. Ier. 10. v. 2. 1. Mac. 1. v. 14. 15. Rom. 1. v. 22. (urge verba.)

Magnam, inquiunt, Philosophiæ utilitatem esse. At ego potius in discendo illud spectandum censeo, quid necessarium, quam quæ utilia sint: quod horum nimia multitudo sit ideoq; & necessaria negligantur dum sectamur quæ passim utilitatis aliqua specie arrident: & temeritatis incurratur suspicio vel crimen dum animus alijs atq; alijs utilibus, ut putat, discendis inhiat.

Arg. II. à contrario necessarij vel temeritate. Major per occupationem.

Et fugit intereà, fugit irreparabile tempus,

Omnia dum capti circumvectamur amore: secundum Poetam.

Minor.

Quicquid igitur fit de Philosophiæ utilitate non oppono me, non contrà contendo: Nego necessaria esse ejus sapientiæ Ethnicæ studia homini Theologo: itaq; vix absq; certissima temeritate suscipi sentio. (Probetur minor per inductionem officiorum Theologi) omnis Theologiæ ratio distribui potest in discendi studium, & officij administrationem. Neutrobi opus est Philosophiâ. Etenim hauritur S. Theologia ex unico S. literarum fonte per devotionem orationis, lectionis

onis frequentiam, meditationis assiduitatem: (fac ironicam inductionem: de usu Philosophiæ in precibus, lectione, meditatione) Administratio officij consistit iu consolando, instituendo, adhortando & adversarios veritatis refutando. Hic dicent opus Philosophiâ? Respondeo quâ parte! Num ex Physicis, Metaphysicis &c. advocabis unde consoleris? &c. stultè primum: deinde etiam impiè cum verbo suo ista addi subsidia nolit Deus 2. Tim. 3. v. 16.

At Logicâ, inquiunt & Rhetoricâ opus præsertim ad refutandum hæreticos? Respondeo: Ergo hæc iam ad philosophiam pertinent quod aliâs acerrimè negari solet ab ijsdem ut vocant Peripateticis. Dicant ergò his potius opus esse quam philosophiâ. Respondeo 2. Neq; his adeò opus: modo firmiter inhæreatur veritati. Nisi putas non doctè aut graviter consolatos fuisse, aut adhortatos aut adversarios refutasse prophetas & Apostolos sine his artibus.

Epilogus habet 1. repetitionem. 2. adhortationem ut bonas horas malimus in pervolvendo S. codice, quam in vanis Ethnicorum nugamentis collocare.

## *Exemp. VI.*

### *An philosophia sit discenda à Theologiæ studioso.* *Orat. II.*

### Oratio Apologetica pro sententiâ affirmativâ.

EXORDIVM. Redditur causa suscepti argumenti.

Si eorum studia atq; operæ commendantur, qui vel quolibet arrepto dicendi argumento in eo ingenium vel experiuntur vel exercent, quod ipsa industria laudem optimo mereri jure videatur: multò minus ingratum vobis futurum spero A. institutum & consilium meum, qui præter mei exercendi honestam, ut puto, voluntatem, etiam ut orationis argumentum cum aliquâ vestrâ audientium utilitate conjunctum esset operam dedi. Ostendatur 1. huius argumenti utilitas 2. necessitas in præsenti positâ occasione, sc. quando veræ utiliq; sententiæ de Philosophiæ usu contradictum est.

II. pars Exordij. Excuset ingenij tenuitatem modestè, & mediocriter per occupationem. Quanquam sum tenui ingenio: tamen putavi rectè hujus causæ patrocinium à me suscipi. Non enim quod à Scævola factum narrat Livius, ut cum de patria liberandâ à Porsen-

næ obſidione conſilium cepiſſet, non prius aggrederetur quàm indicaſſet ſeuatui, idem in omni publica calamitate exigi poterit. Sed juſtum cenſeri debet omne publicis malis occurrendi ſtudium etiam ſi propter moræ periculum authoritatem publicam expectare non poteris. Qemadmodum in incendio extinguendo non Magiſtratus expectantur imperata, ſed impellit ipſa calamitatis in alio commotio & miſericordia &c. Ita huic perverſæ & pernicioſæ opinioni tanquam pervagaturæ flammæ etiam meâ aliquâ operâ obſiſtendum cenſui.

Propoſitio. oſtendam Philoſophiæ ſtudia eſſe Theologiæ ſtudioſo neceſſaria 2. Quod huic ſententiæ veræ dubitationum ab adverſario aſperſum eſt, abſtergere connitar.

Argu. 1. à neceſſitate

Confirmatio. Officio ſuo fungi Theologus non poteſt imperitus Philoſophiæ Ergo &c. ( probetur Antecedens ) Etenim multa & magna quidem requiruntur in eo qui ſe Theologum profitetur. Eſt enim Theologia ſapientia quædam & faſtigium omnis humanæ eruditionis, & habet quandam de omnibus alijs ſcientijs judicandi authoritatem. Quod ſanè nemo facere poterit, niſi omnis humanæ ſcientiæ fontes illos, Philoſophiam ſcil. egregiè deguſtatos habuerit ( Digreſſio: oſtendatur quod ex Ethicis, Juriſprudentia: ex Phyſicis medicina efluxerit.) Sicut controverſiarum omnium inter cives judex conſtitui non poteſt: niſi qui leges tanquam fontes actionum juſtarum probè perceptas habeat. Sicut de re nummariâ conſtituere non poteſt: niſi qui auri argentiq; valorem & naturam ex Phyſicis alijsq; artibus diligentiſſimè perceperit, atq; hauſerit &c.

Simile.

2. Proſyllogiſmus.

Quæ ab omnibus ſciuntur non ſine dedecore ignorantur ab ijs qui eruditione omnibus antecellere debere judicantur. Philoſophia autẽ diſcitur paſſim: non ab ijs tantum, qui in his literis adhæreſcunt, ſed omnium, ut vocant, facultatum ſtudioſis. ( Ennumerentur exempla Iↄtorum, Medicorum, Theologorum, qui egregij fuerint Philoſophi.)

3. Proſyll.

An non requirit D. Apoſtolus à Theologo ut poſſit &c. Tit. 1. v. 9. & 2. Tim. 2. v. 15. hæc qui fieri poſſũnt abſq; Philoſophiæ cognitione? Quid enim Philoſophia niſi definitiones & diſcrimina virtutum: tum admirabilis divinæ virtutis & veritatis in naturâ obſervata imago?

Hinc igitur & exempla peti poterunt, unde hominum incredulitas confutetur: quod fecit Lutherus in concione contra Sacramentarios, & sine illis definitionibus qui potest recte ulla adhortatio aut alia doctrina institui, ut vel seipse doctor, vel populus hunc intelligat? Rursum in ijsdem naturæ mysterijs quasi rudia & impolita ingenia adolescentum possunt expoliri. Quemadmodum in athleticis exercitijs ad serias ac bellicas operas præparantur. Hic & monstrosa ingenia fastum discent deponere, ut cum difficultatem in apprehendendis naturæ arcanis deprehenderint à sacris attentandis absterreantur: Et commoda ac quieta ingenia in his ludicris ad occurrendum veritatis oppugnationi præparabuntur. Arg. 2 ab utili.

Confutatio. Argumentum I. Scriptura reprehendit Philosophiæ studia. Resp. Nusquam. Qui enim reprehenderet, quæ homini divinæ imaginis reliquiæ factæ sunt. At Col. 2. v. 8. 9. Scriptum est. Resp. per indignationem adversus libidinem corrumpendi sententias scripturæ. Solutio à simili fallaciâ: Si quis dicat vinum reprehendi Eph. 5. v. 18. & contendat omnem hujus usum esse tollendum &c. Ier. 10. v. 2. Astrologorum prædictiones reprehenduntur: Quarum vanitas passim reprehenditur etiam à Theologis 1. Marc. 1. Comædiarum Ethnicarum spectacula prohibentur Rom. 1. v. 22. Idololatria Ethnica. Hæc nihil ad Philosophiam.

Argumentum II. Quærit adversarius ubi sit locus Philosophiæ? Resp. in lectione & meditatione: Legere enim non est tantum oculis percurrere: sed judicare, in succum & sanguinem tuum convertere. Meditari est cum alijs etiam conferre; Quorsum opus est Philosophiâ.

Epilogus 1. repetitio fiat 2. oratio ut Deus conservet artes liberales.

### *Exemp. VII.*

## An magistratus sit tolerandus inter Christianos. Oratio I. pro sententia Negativâ.

EXORDIVM docilitatis causa narrat occasionem.

Anni fermè octoginta sunt A. cum in Suevia primum, deinde etiam alijs Germaniæ partibus ea oriretur multorum opinio, maximè qui iniquius per magistratus sui avaritiam & inhumanitatem habe-

bantur, tollendam esse penitus ex omni hominum memoria istam Principum & Nobilium, & eorum omnium, qui ita miserè impotentem vexent plebeculam, non appellationem tantum sed potestatem etiam atq; adeò sanguinis reliquias. Neq; ea res privatis tantum obmurmurationibus clanculum fota, sed armis publicis tandem attentata atq; adeò gesta fuit. Confluxit enim amplius centum millium multitudo, pro æquitate, pro pietate, pro christiana ut narrabant, libertate, adversus iniquos, impios & crudelissimos heros suos vel Tyrannos depugnaturi. Neq; tamen tantum manu & vi, sed ratione etiam rem tantam aggressi videri volebant. Arma igitur eorum contrarijs Principum armis oppressa sunt. Quibus autem rationis & argumentorum quasi machina mentis causam suam tuiti sint, spero operæ precium fore, ut mecum recognoscatis.

Propositio. Hæc igitur adversus magistratuum imperia videntur conqueri posse, qui ijs continentur 1. injusta ea esse atq; impia adeò. Deinde temeraria, & demum cum multis subditorum damnis atq, incommodis conjuncta. Hæc ergò tria querelæ hujus membra explicanda esse mementote I. de iniquitate 2. de temeritate. 3. de damnis imperiorum.

Pars 1. de iniquitate.

Confirmatio. Principio A. cum natura ita omnes homines genuerit, ut plurimarum earumq; maximarum rerum indulserit copiam: nihil tamen aut majus aut preciosius videtur contulisse, quam quod liberos nos & nostræ potestatis produxit. Quod si igitur opes non nisi per furtum alijs eripiuntur, fama, non nisi per contumeliam, valetudo & vita non nisi per scelus & parricidium: quo facinoris nomine appellabo illā alijs eripiendæ libertatis machinationem?

Arg. 2. ex eodem loc.

Iniquum est pares qui sunt, non frui commoditatibus paribus: iniquius, eos qui pejores sunt, pari vel meliori fortunâ ac loco esse, quam bonos & commodos homines: iniquissimum, sceleratissimū quéq; ac nequissimum non tantum melius habere, sed etiam per improbitatem alijs bonis viris abuti ad confirmandam malitiæ suæ potentiam.

Prop. min.

Omnes sumus pares: ex communi nati parente: ex uno limo formati, communem trahentes aerem, sub eodem viventes dio vel cælo. Neq; possunt illi titulorum strepitus discrimen interserere, neq; ex collo suspensum aurum: neq, ullæ aliæ ineptiæ, quibus se jactat magist-

tuum vulgus: virtus, si quod est discrimen, verum facit: scil. hic, quò quisq; humilior est, eò vel per Magistratuum injuriam, vel naturæ bonitate est innocentior. In illo autem altero ordine nobilium & Principum, Deus bone, quanta vitiorum immoderatio? quam effrenis ad luxuriem, ad scelera, ad omnia nefanda improbitatis genera atq; exempla, audacia & profusio?

Beluas eâ conditione natas esse meminimus, ut humanis voluntatibus earum subsint servitia. Hominem autem ita conditum esse divinæ scripturæ commemorant, ut & bestijs, & alijs, quæ terrâ mariq; continentur, tanquam Dei vicarius quidam præsideret: hic à Deo ipso ordo constitutus est, ut non tantum humano generi vim inferre per parricidium, sed cum Deo ipso belligerare videatur, qui ex hominibus natos ad beluinam servitutem abripiat. Arg. 3. ex eodē loco.

Superbia est vitium & fugienda: Alijs velle imperare & meliorem videri est superbiæ E. est vitium & fugienda. Arg. 4. ex eodē loco.

Aliorum labore partis opibus tanquam tuis velle frui est injustitia & extremè vituperandum: Verum Magistratus, quæ sunt sanguine & sudore subditorum parta bona non tantum ad se trahunt, sed sæpe in turpissimos usus profundunt E. hoc injustitia est & extremè vituperandum. Arg. 5. ex eodē loco.

Luxuriare, sanguinem profundere, invitis hominibus aliud atq; aliud imperare atq; extorquere crudelitatis est. Verum Magistratum evitare oportet qui ab istis immunis esse velit E. absq; crudelitatis suspicione, imò crimine magistratus nec geri nec appeti poterit. Arg. 6. ex eodē loco.

Cum in Israelitico populo ea opinio ex Ethnicæ viciniæ contagione, ut fit, obrepsisset non fore Rempub. salvam, nisi & communi omnium gentium more princeps vel magistratus eidem præficeretur: cum ipse populus per Samuelem Prophetam eam rem ad Deum retulisset: quid? num sapiens & pium hoc esse institutum Deus respondit? Num placere sibi ostendit? Tantum hoc absuit ut eo facto Israelitarum, tam graviter exacerbaretur, ut in pænam insignis temeritatis, regiæ potestatis vel servitutis potius jugum populo suo imponere se non dissimularet. Eant ergo quibus ista placent, & multa de prudenti, fructuosissimâ alijsq; plurimis causis commendanda regnorum sc. institutorum ratione declamitent. Arg. 7. ex eodē loco.

Pars 2. confirmationis de temeritate imperiorum. Transitio. Argum. 1.

Præterquam enim quod ex ijs quæ hactenus adduximns satis intelligere potuisse vos arbitror, quam tota adeò iniqua sit magistratuum constitutio, etiam eorundem origo multis modis temeraria est. Non est à Deo constitutus magistratus: quippe qui non homines unum principem alterum Rusticum fecit, sed unum Adamum creavit, ex quo universum nostrum genus æquali omnes natalium dignitate propagarentur.

Argum. 2.

Non est à prudentibus hominibus introductus magistratus: quippe quò quisq; prudentior eò & libertatis communis studiosior, & impatientior acerbissimæ omnium servitutis.

Argum. 3.

Neq; est, quod dicant, ab universo populo & plebis multitudine operam magistratuum desideratam atq; accersitam. Primò enim si omninò eorum auxilium aliquando imploratum est, ideò sine dubio imploratum est, ut à præsenti fortè ab hostibus intentatâ injuriâ Rempubl. expedirent, non ut amotis istis ipsi sub amicorum nomine hostes se obtruderent, & æternâ Tyrannidis iujuria Rempub. divexarent.

Argum. 4.

Narrant de equo cum communibus ipse & cervus uterentur pabulis, invidisse equum cervo &c. Idem sanè multis contigisse credendum est, ut cum inter se inviderent explendæq; invidiæ causa Tyranni alicujus auxilia implorarent, in hujus potestatem inciderent. Malè quidem illi, sed hic pejus: Quam illi per stultitiam amiserunt libertatem scil. eam hic per scelus occupavit.

Argu. 5.

Magistratus nocent 1. Corporibus per supplicia 2. Nocent fortunis civium per avaritiam, per luxum, per bella temeraria, per odia privata 3. Tandem nocent animabus, quod cum Deus solus rex noster esse debeat, illi Deo debitos honores sibi conferri postulant.

Conclusio habet 1. repetitionem 2. promissionem quod contra hanc sententiam erroneam mox veritas defendenda sit.

## *Exemp. VIII.*

## Oratio II. pro Magistratuum dignitate.

EXORDIVM à difficultate rei. Fit nescio quomodo A. sed tamen fieri certissime constat, ut semper difficilior accidat veræ justæq; causæ defensio quàm ejusdem oppugnatio.

Ne longius abeam, vel ex hac controversia quæ hodie proposita est, quod dixi intelligere potuistis. Quid enim aut verius aut justius, quā magistratus authoritatem debere salvam atq; integram, imò sacram, inviolatamq; esse? & tamen idem quam facilè oppugnatu sit, & quam multis rationibus attentari, & quasi machinis bellicis affligi atq; concuti possit, ex oratione ejus, qui ante me dixit cognovistis. Verum quanta cum difficultate ejusdem justissimæ sanè verissimæq; causæ patrocinium conjunctum sit, mallem alium potius experiendo didicisse quam me conquerendo hic vobis molestum esse. Sed jacta est alea: potius quicquid erat difficultatis sustinendum, quam veritatis justitiæq; defensionem temerè deserendam censui. Qua in re si quod æquum bonum est me censuisse judicare potestis A. vos oro, ut quo favore veritatem & justitiam, quo æquitatem & communem humanitatem, quo universi humani generis salutem deniq; prosequimini eodem auscultandi studio hanc actionem & pro magistratuum dignitate susceptam orationem comprehendatis.

Propositio. Dicam de duobus: Primò, instituam exponere rationes, ut puto, gravissimas & sanctissimas pro retinenda magistratuum authoritate. Ostendam quàm multis modis necessarium sit ut sub magisttatuum tutela vivamus. Deinde varias utilitates ejusdem rei commemorabo. Quæ ubi explicata fuerint: tum demum à leviculis & contumacibus hominibus aspersæ magistratui reprehensionum maculæ abstergendæ erunt.

Confirmatio. Atq; ut inde proficiscatur orationis meæ initium, certè quicquid dicatur de varijs ex magistratu oboriuntibus incommodis, negari non potest, summam atq; in evitabilem hujus ordinis in humanâ societate necessitatem esse. Primò: Est mandatus à Deo Magistratus Rom. 13. 1. Paral, 19. Gen. 9. Propositio major. Quæ Deus instituit hæc abrogare velle extremæ & dementiæ & impietatis est, & cum certissimo conjunctum exitio. Conclusio. Itaq; non minus scelleratè quæritur & sacrilegè, sit ne Magistratui præstanda obedientia, quam si quis profanissimus homo quærat, an divino Numini suus cultus admovendus sit. Arg. I. ab honesto.

Non potest esse Respub. salva, nisi salvo Magistratuum ordine. Propositio major. Quæ ad Reipub. salutem pertinent, omninò de- Arg. 2. ex eodemloc.

fendenda ſunt. E. Magiſtratus eſt defendendus. (probatur minor per ſimilitudinem) corpus ſalvum eſſe non poteſt niſi anima ſalva, cujus prudentiâ regantur corporis membra. Magiſtratus autem ſunt Reipub. pro anima (Applicetur ſimile per partes: Item afferatur hic Apologus Menenij Agrippæ, qui eſt apud Livium lib. 2. decad. 1.)

Arg. 3. Sine Magiſtratu non poteſt defendi Reſpub. ab injurijs. Propoſitio major. Injuriæ ſunt omninò prohibendæ: & quæ huc proſunt, ſanè Reipub. pernecesſaria ſunt E. Magiſtratus eſt neceſſarius. (Probatur Minor per inductionẽ) Injuriæ aliæ externæ aliæ domeſticæ. Externæ ab hoſtibus inferuntur, & facilius quidem, ſi Reſpub. quaſi truncus capite ſcil: magiſtratu ſpoliata, ad ſui defenſionem inutilis ſit: Injuriæ externæ inter ipſos cives exiſtunt per furta, convicia, homicidia, latrocinia. Hæc impunitate capient incrementa, & ubi magiſtratus defuerit, impunita erunt.

Arg. 4. ab utilitate. Tranſitio. Præterquam autem quod magiſtratuum inſtituendorum neceſſitas ſumma eſt, etiam hoc ex ordine conſervato derivatur utilitas maxima. 1. Virtus habet præmia quaſi apud Magiſtratum depoſita: ſceleribus item certæ pœnæ ſunt. Inde itaq; virtutis ſtudia propagantur, ſcelerum autem machinationes impediuntur. Sub Magiſtratu leges ſalvæ ſunt, licentia impedita. Hic ſenibus ſua reverentia, viris honor, adoleſcentiæ pudor ſuus conſtat integer. Non pauperes à locupletum injurijs & contumelijs, non divites à tenuiorum rapinis & invidiâ quicquam metuunt. &c.

Arg. 1. & 2. Confutatio. Venio nunc ad eam orationis partem, ut quæ in Magiſtratuum criminationem dicta ſunt, ijs reſpondendum ſit. Quid igitur ajunt qui Magiſtratui malè volunt? Dicunt libertatem à ſubditis eripi per Magiſtratuum imperium.

Reſp. 1. per negationẽ conſequẽt. Reſpond. Quaſi vero hominũ & non Dei arbitrio imperia diſtribuantur, quemadmodum ſcriptum meminimus: Dei ſunt regna & cui ille voluerit diſpartitur. Itaq; fruſtrà occlamatur pares ſumus, liberi ſumus, meliores ſumus, ergo imperio digni & qui ſubſimus alijs indigni ſumus. Cum Deus contrà jubeat ac clamet: Ex limo terræ omnes eſtis, omnes mea creatura eſtis, omnes meus populus eſtis, omnes ſub meâ poteſtate eſtis: ita quo ego quemq; loco eſſe juſſero, eo acquieſcere vos deberis.

Reſp. 2. per inficiation: Præterea neq; hoc rectè dici poteſt liberos nos eſſe omnes qui propter peccatum ſervituti obnoxij ſumus peſſimæ. Pares nos eſſe

qui propter statū inter homines diversum, ordinē divina lege constitutū alij superiori alij inferiori loco esse debemus. At meliores inquiunt illi sæpè qui subsunt ? sæpius & frequentius nequiores. Verum ut aliquid largiamur tandem, concedamus eam, quam petunt omnibus communem libertatem: an verò propterea negabunt se sub Magistratu & legibus posse vivere? istæc quidem jam licentia non libertas est (definiatur licentia & libertas & ostendatur discrimen) Ita porrò quod ajunt, pares omnes natos esse: de communi nascendi origine negare non possum: nego de vivendi conditione. Quemadmodum enim ex ijsdem alvearibus prorumpunt apum examina: quia tamen quæ dux inter apes nata est & corporis magnitudine, & alarum ac cutis quasi fulgore, & tandem quibusdam quasi prudentiæ simulacris reliquas apiculas antecellit, ideò etiam peculiare & regium inter illas officium administrat: ita qui peculiaribus ingenij fortunæq; ornamētis humanæ societati divinitus commendati sunt, non videntur in turba, sed eminentiori quasi inter homines loco vitam debere transigere. Resp. 3. per distinctionem.

Ad argumentum III. Beluæ serviunt. Resp. 1. etiam alia multa faciunt beluæ à quibus tamen homines non abstinent 2. Homines non sunt beluæ? at multi vivunt belluino more. Resp. 1. per negationē consequēt.

(Ad argumentum IV. respondendum est per Inficiationem & distinctionem: item ad argumentum V. & VI. Ad VII. Negandum quod hæc fuerit causa cur Israelitis Deus irasceretur. Resp. 2. per inficiationem.

Conclusio habet repetitionem locorum confirmationis 2. preces, ut Deus pacem & Magistratum conservet.

## *Exemp. IX.*

## An Nosocomia instituenda Oratio

### I. Negativa.

EXORDIUM à causa suscepti argumenti. Eum putant optimum militem fore qui ante in ludicris athletarum certaminibus corpus bene exercitatum afferat, quàm ad serios bellicos labores accedat. Idem censeo de literariâ ut vocant militia judicandum, sc. eum in his progressus felicissimos facturum qui antè animum in scholasticarum exercitationum tyrocinijs benè versatum habeat, quam ad eruditionis occupationes graviores in Repub. se conferat.

Propositio. Eo consilio quæstionem de nosocomijs, an eorum institutio Reipub. salutaris sit ego & quidam collega mens disceptandam suscepimus. Et mea quidem oratio in eâ parte versabitur, ut omnem nosocomiorum institutionem improbet atq; impugnet, Vos facite ut totius causæ hujus auditores quieti æquiq; cognitores assideatis.

ἀξίωσις.

Arg. 1. à damno.

Confirmatio. Quæ cum Reipub. manifestissimo nocumento conjuncta sunt, tolerari non possunt. Nosocomia autem multum afferunt nocumenti Reipub. Nam 1. multis sumtibus ædificandæ sunt, & sartæ tectæ servandæ domus & varia in his conclavia itemq; suppellex 2. occasio sunt multis vel simulandæ mendicitatis quod mollius habeantur in nosocomijs quam ipsi privatim suis sumtibus possent vivere 3. Etiam peregrè ex vicinis locis multa confluet mendicorum unda ad illa sua nosocomiorum receptacula: 4. ab inhonesto: Deus prohibuit ne mendici ulli essent inpio populo E. multò minus grandis mendicorum cætus instituendus est. Itaq; potius dandum aliquid est egenis præ manu unde vitam tolerent, aut etiam cognati vel amici horum admonendi, ut calamitati succurrant. 5. Quod charitatem impedit impium est. Nosocomia impediunt, quia tangimur misericordiâ tantũ eorum qui ab oculos obversantur. Itaq; si omninò tolerandi sunt mẽdici, non in nosocomia detrudendi sunt ubi abditos tum nulla nos attingat commiseratio, sed ad singulorum ostia misericordiam atq; opem nostram implorent.

Confutatio. Dicent fortassis contrariæ sententiæ authores: hospitalitatem tamen virtutem esse ad quam pertineat nosocomiorum institutio. Respondeo per inficiationem minoris: non pertinent ad hospitalitatem nosocomia: imò hanc impediunt potius dum qui laxè habitant divites potissimum pauperum fastidio hos ad nosocomia ablegant. Dicent: Necessitatis cujusdam esse, quod cum vix tandem paucissimi reperiantur, quos privata pauperum tangat cura, publica eis providendi provincia sustineatur. Responde per negationem consequentiæ. Ego verò ita potius sentiam erratum corrigendum esse, ut humanitatis & misericordiæ admoniti homines gravius adversus paurum calamitatem afficiantur, quam ut hi in illâ immisericordiâ, illi in perpetuâ miseriâ relinquantur.

Conclusio. Quare cum tot extent nocumenta à nosocomijs,

cum præterea horum institutio honestate repugnante facta sit, sentio quæ iniquè introducta sunt, æquissimè posse abrogari.

### *Exemp. X.*

## Oratio 2. Affirmativa.

EXORDIVM. Invidiam ajunt cum assentatione & fortassis alia plura & imprimis hoc commune habere, quod non nisi splendidissimis fortunis inhiet. Ut mirum videri possit, quid in mentem venerit adversario, cur pauperum in nosocomijs decumbentium miseriam oratione insectaretur. Verum eam in multorum ingenijs judicij perversitatem deprehendas, ut, quoniam ex contradicendi studio famæ aliquam materiam & industriæ laudem acquirere sibi videntur posse, ea potissimum convellenda aggrediantur, quæ quam saluberrimè constituta sunt. Ut tantò sibi videantur sapere rectius, quantò plures approbatores habuerunt ea, quæ impugnant.

Propositio. Cum igitur illud in istorum perversitate veritatis corrumpendæ studium animadvertamus: quantò nos pro veritatis patrocinio vigilaciores acrioresq; esse oportebit? Itaq; hac causa non diffido, quin facilè probaturus sim vobis voluntatem meam pro saluberrimo nosocomiorum erigendorum instituto hodiè depugnandi. Illud saltem restat, ut quo ego fortè minus huic oneri ferendo sum, eò major vestra in me judicij vestri æquitate sublevando adjungatur humanitas.

Confirmatio. Quod tibi velles fieri, alteri debes facere. Iam si in hanc calamitatem incidisses, ut omni exutus rei familiaris copia, præterea orbus fortasse aut desertus à cognatis & amicis item valetudine afflictus adversa, non haberes, quo te receptares: malles ne in hujusmodi constitutus calamitate omnes urbis angulos perreptare, singulorum implorare misericordiam, in via pernoctare publica? an verò velles publicis sumtibus ædificatam domum quorsum egenorum & calamitosorum turba reciperetur? hoc velles scio. Ergò in aliena calamitate idem statues. Argu. 1. ab honesto.

Multò commodius distribui possunt eleemosynæ. Quia per Magistratuum curam quantum cuiq; opus est impartietur. Cum vagans mendicorum turba, alij plus quam satis est, alij minus consequantur. Arg. 2 ab utili.

2. Non

2. Non possunt irrepere in mendicorum ordinem, qui morbos, aut paupertatem, aut aliam deniq; mendicitatis causam ementiuntur: quod nosocomiorum præfecti in eam rem diligenter inquisituri sint. 3. Honestiori disciplina contineri poterit in nosocomijs degens miserorum turba, quæ aliàs circumvagata videbitur sibi sine lege esse, ideoq; vel quidlibet audendi habere licentiam. 4. Sæpè inde deterrentur homines â conferendis eleemosynis, quod cum plerumq; ex nequissimis nebulonibus cōfluat mendicantium colluvies, inde metuant sc. ut satis dignis eleemosynas impertiantur, Quare majori voluntate illos adjuvabunt, qui recepti in nosocomia, quasi publico testimonio aliorum misericordiæ commendantur.

Resp. ad Argum. 1. Confutatio. Sumtibus opus est; at eò majores hi profunduntur, si absq; nosocomijs est, quò majori prudentiâ Magistratuum in nosocomijs sumtus in pauperes distribuuntur.

Argum. 2. Illa incommoda nulla esse, quæ legibus præcaveri possint

Argum. 3. Per distinctionem, aliam esse nostrorum temporum, aliam istorum rationem. Argum. 4. Neq; nosocomia sed mendicitatem prohiberi: & hujus tollendæ quoddam remedium in nosocomijs positum esse.

Argu. 5. Ridiculum est. Non enim jubemus nosocomia in solitudine ædificare. sed in civitate, in civium conspectu: adeoq; æquius est ad misericordiam pietatis recordatione, quam sensibus admoneri.

Epilogus. Habet 1. repetitionem. 2. adhortationem, ne quis sit ita scabioso ingenio & perverso, ut convellendis & cauillandis ijs, quæ publicè instituta sunt, delectetur.

## *Exemp. XI.*

## An Scholæ sint instituendæ literariæ.

### Sententia I. Negativa.

EXORDIVM I. Occasio. Galli cum irruptionem fecissent in Græciam potitiq; essent optimis instructissimisq; Bybliothecis: ajunt Ducem belli jussisse, ut libri omnes illi in forum afferrentur comburendi. Cum id omnibus placuisset, quippe barbaris & osoribus literarum: extitisse unum quendam versutissimum ut apparet hominē, qui ne id paterentur, studiosissimè dissuaserit. Cum causam consilij omnes mirarentur, hanc dixit. Si rebus fortunáq; versis & mutatis

Græcos ſuperiores vellent: tunc id utile eſſe conſilium. Quod ſi ſe dominari, Græcos ſervire mallent, libros relinquerent, apud quos illi deſidentes arma & rem bellicam viris cederent. Utinam a. barbari iſti tantum ita ſenſiſſent: & non in plurium animos fortè una cum barbarie ea pervaſiſſet opinio, à literis animorum fortitudinem & induſtriam corrumpi, ad deſidiam atq; ignaviam abijci homines.

Propoſitio. Cum igitur hujusmodi verba & criminationes jactentur palàm & publice: nemo mihi ſpero vitio vertere poterit, ſi eadem in hanc cathedram afferam. Præſertim cum non eo id facturus ſim animo, ut literarum ſtudijs aliquam ignominiæ labeculam aſpergam, ſed ut vel patienter ad hæc convitia audienda adjutem, vel occurrendi ijs vobis occaſionem præbeam.

*Argumentum I. ab honeſto,*

Confirmatio. Hæc in ſcholarum & literarum reprehenſione videntur afferri poſſe: primum quod nullum Scholarum veſtigium in Sacris literis extet. Quod ne in reliquarum quidem Rerump. præſtantiſſimarum rebus fortiſſimè geſtis, Aſſyriorum dico, Perſarum, Græcorum primorum, Romanorum. In Græcia primum extitiſſe & literas & Scholas, ab otio ita rectè dictas: Quod cum Græci otium longiusculum nacti eſſent, præ ingenij vanitate & ad alias nugas & ad literas ac ſcholas ingenium converterint. Prop. Maior. Æquius a. omninò eſt nos Eccleſiæ & piorum, Præterea fortiſſimorum atq; optimorum hominum exempla vitæ inſtituendæ ſpectare quam ignavorũ & levium.

*Argumentum 2. à damnô.*

Jubent & hoc obſervari, quod quam diu à literis abſtinuerunt & Græci ac Romani, armis rebusq; præclarè regendis florentiſſimi fuerint. Poſtquam a. ijdem vtriq; frequentius in ſcholis quam caſtris conſpici ceperunt, & plus literarum ocio quam armorum occupationi honoris habuerunt, ceſſim iviſſe omnem priſtinam vtriusq; gentis gloriam. Vt virtuti ſummæ videantur eſſe cum literis inimicitiæ: ſcilicet quibuscum ijsdem mænibus vti ſe non poſſe ſatis iſtis exemplis comprobatum dederit. Idem poſſe etiam aliorum onnium ferè gentium hiſtorijs confirmari. Neq; aliam rationem eſſe cur Turcæ ſuos

ſubditos

ſubditos á literis abſtinere jubeant, niſi quod eosdem literatos ſimul & fortes cives ſe habituros diffidant.

*Argumentum 3. ex eodem loco.*

Accedit quod nullus ordo magis detractet imperium ſuperiorũ quam literati. Tum ſi ipſi præſunt, nullus qui magis negligenter & iniquè adminiſtret. Videntur enim ſibi per ſapientiam ſcilicet indigni, qui alijs obediant non eadem ſecum, aut meliora etiam ſapientibus. In Magiſtratu a. cum cupiditatem hominibus omnibus inſitam non exuerint, per literas ſeu per calliditatem impunius ſibi peccare videntur poſſe.

*Epilogus repetat.*

Epilogus. 1. Argumenta. 2. Propoſitionem 3. iterũ moneat, ſe non proponere hæc, cauſa reprehendendarũ literarum. ſed excitandi omnium induſtriam ad literarum ſuſcipienda patrocinia.

## *Exemp. XII.*

Orat. II.

## An ſcholæ ſint inſtituendæ ſententia altera affirmativa.

EXORDIVM. Si ſemper quàm facilis cauſa eſt quæ diſceptanda ſuſcipitur, tam facilem etiam in eà meditandâ operam ſuam experiretur qui diſceptandam ſuſcepit: gratularer mihi A. qui ad ſcholarum patrocinium hodie me obtuli. Uerum plane hoc cotra omnem credo opinionem accidit, ut quæ defenſionem videntur habere facillimã quod perſpicuâ manifeſtaq; veritate nitantur, ea plus quàm ſperes negocij in cauſæ meditatione faceſſant. Sive hæc inde difficultas & operæ gravitas exiſtit, quod quò res vulgatior eſt, & omnium judicijs expoſita, eò magis contendendum videtur, ne oratio noſtra in ſententiarum quotidianarum adhæreſcens ſordibus auditoribus faſtidium nauſeamq; pariat. Sive ita nos ipſi in judicando ſæpe fallimus, ut plus de facilitate cauſæ nobis polliceamur, quam rectius attendentibus videri debebat.

Propoſitio. Itaq; pro ſcholis hodie hoc à me dicetur vel teſtimonium vel elogiũ. Si facilis juſtaq; cauſa vobis videbitur, eſt quod

eo nomine ipſis ſcholis gratuler. Modò illud memineritis ita facilem juſtamq́; eſſe, ut tamen in judicando noſtris his operis veſtrâ peropus ſit benevolentiâ propter meditationis, quam ſenſimus, difficultatem. Eam autem benevolentiam veſtram ita mihi probabitis, ſi in auſcultãdo ſilentio veſtro cauſam noſtram adjuveritis.

Confirmatio. Literæ ſunt reliquiæ imaginis Dei; Itaq́; ſanctæ habendæ: & omnibus modis fovendæ atq́; propagandæ. Imago enim Dei fuit ſapientia quædam ſingularis cum morum conjuncta innocentiâ. Quod ex Adami patet exemplo, qui adeò perſpectas habebat omnium animantium naturas, tum ipſam vocabulorum vim, ut Adami arbitrio omnibus animantibus, fortaſſis alijs etiam rebus nomina imponi voluerit Deus. Rurſum quàm ſapienter quàm caſtè judicabat de conjuge ſuâ? Hujus tantæ lucis reliquæ quædam ſcintillæ ſnnt quæ traduntur in philoſophiâ. Propoſitio Major. Sicut ſtulti & dementis hominis eſſet poſtquam omne patrimonium decoxiſſet, etiam paucos ſibi fortè reliquos factos nummos abijcere. Ita extremæ dementiæ eſſet, poſtquam in Adamo Dei imaginem perdidimus, etiã has reliquas extinctas cupere. Argum. 1.

Semper gentes cultiores literis dederunt operam: Iſraelitæ, Chaldæi, Ægyptij, Perſæ, Græci, Romani. Et barbaræ nationes, alienæ ab omni pietate & humanitate oderunt etiam literas. Et poſtquã ad mores manſuetiores potiſſimum ad chriſtianiſmum animum applicuerunt, ſimul literarum arripuerunt ſtudium. Argum. 2.

Propoſitio Major. Meliorum judicio & exemplis vivẽdũ eſt.

Patriarchæ nullâ aliâ cauſâ tantam in hoc ſeculo degerunt ætatem, quàm ut ſimul cum doctrina cæleſti prudentiam & ſapientiam humanam h. e. literas docerent poſteros. Quod autem tanta curâ propagari voluit Deus, non ſine profanitate contemnitur. Argum. 3. Prop. maj.

Quicquid olim fuit celeberrimorum virorum, ijdem à ſapientiâ & prudentia h. e. à literis commendati extiterunt, ut Joſeph, David, Daniel & alij in populo Dei. Apud Ethnicos tot reges, tot principes literati. Argum. 4.

Ex ſcholis tanquam ex equo Trojano prodeunt viri ad omnes Reip. partes ſubeundas promtiſſimi. Hinc milites, duces, oratores, conſiliarij, principes optimi. Hinc cives commodi qui non naturæ Arg. 5. ab utilitate.

reluctandum, sed per virtutẽ parendum esse Magistratui didicerũt&c.

Confutatio. Argumentum 1. Nulla exstant scholarum vestigia in omni antiquitate? Resp. At quanta hoc imperitia est, negare velle? Atq; ut ordiamur à sacris literis, an non manifesta in prima antiquitate videmus vestigia? Ædificatio arcæ Noachi: emissio columbæ: Iacobi ars circa oves. Josephi divinandi peritia. An non hæc à literis? Ergo didicerunt. Et quid aliud est quod toties leguntur Patriarchæ nomen invocasse Domini: nisi instituisse liberos & in Theologicâ & aliâ à Domino relicta hominibus sapientia?

Resp. per inficiation:

Argumentum 11. &c. ipse responde.

Epilogus habet repetitionem propositionis & argumentorum. 2. preces, ut Deus conservet scholas.

## *Exemp. XIII.*

## An studiosis literarum concedenda sint privilegia. Sententia 1. Negativa.

EXORDIVM. à difficultate causæ. Cum omnis pro veritate suscepta oratio difficilem à plurimis assensum impetret: tum illa displicet maximè, quæ licet pro veritate disputet, tamen quorundam hominum, præsertim eorum ad quos verba fiunt, commodis derogare videatur. Itaq; video quantum mihi ipse oneris imposuerim, dum adversus literarum privilegia apud literatos dicere institui.

Propositio. Uerum quæso vos A. ne sit apud vos sanctior commodorum vestrorum, quàm veritatis justitiæq; ratio. Quod si impetravero, ut impetrare me à vobis æquissimum est, spero faciam ut intelligatis, majori & Reipub. & vestro ipsorum damno hunc privilegiorum palpum obtrudi, quàm si communibus cum alijs legibus viveremus.

Confirmatio. Quæ sunt ergò illa præclara, quæ commemoratur literarum privilegia? quod à potestate Magistratus oppidani & inferioris exempti & immunes sunt qui literarũ studijs dediti sunt: quod tributa non pendunt & vectigalia: quod ad plebeorum judicum tribunalia non trahuntur: & si quid hujus generis est aliud. Hæc magnæ suæ laudi arrogant, felicesq; adeò prædicant se, qui his fruuntur

Arg. 1. ab honesto Prop. min.

privi-

privilegijs. Atquam circumſpectè non dicam, ipſi viderint. Non parent Magiſtratui cum reliquis civibus communi? ſi hoc felicitatis cujusdam eſt, ad virtutem aliquam pertinebit. Anne igitur juſtitiam appellare poterimus eam immunitatem: an fortitudinem? an temperantiam, an reliquarum virtutum aliquo nomine? Nullam video virtutis appellationem quæ huc accommodari valeat. Vnde efficitur cum nullius virtutis ſit eâ libertate gaudere, neq; felicitatis partem aliquam in eâ liberius vivendi poteſtate poſitam eſſe. De illis enim ſolis rerum præſidijs nobis gratulari debemus, quæ aliquod ad felicitatẽ adminiculum attulerint. Concluſio Prop. mai.

Quare neq; ejusmodi ſunt literarum privilegia unde gratulari nobis poſſimus: & præterea non minimum rei & literariæ & civili publicæ nocumentum apportant: 1. contemnunt Magiſtratum quem non metuunt: hinc ergo injurijs graſſantur cum coerceri ſe non poſſe credant. Itaq; turbant pacem publicam: alios ad nequitiæ invitant exempla. 2. Dum malè agendi impunitatem habent frugi eſſe & honeſtè vitam degere recuſabunt. 3. omnium odia in ſuum concitabunt ordinem. Nihil enim pejus odimus, quam vitæ improbitatem ad aliorum converſam injurias: & præterea impunè abeuntem per licẽtiam. Hinc tantoperè omnes in Tyrannos excandeſcimus. Argum. 2. à damnoſo Prop. maj.

Qui communibus fruuntur commodis publicis, etiam communia incommoda tolerare oportebit. Literati fruuntur communibus commodis, & pluribus quidem illis quàm cives reliqui. Fruuntur pace publica, communibus mænibus, foris, legibus, Magiſtratibus, fruuntur commeatibus & rebus venalibus, & fruuntur tantùm cum ipſi nihil conferant: agricolæ ex terra fruges aut alios fructus excolunt: mercatores aliunde, quorum inopia eſt, apportant: hæc ad varios civium uſus parant opifices: literati tantum numero & fruges conſumere nati E. ſaltem communia tributorum & vectigalium onera ſufferre debebant. Arg. 3. ab honeſto

Egilogus habet repetitionem propoſitionis & argumentorũ.

## *Exemp. XIV.*

## Sententia II. Affirmativa.

EXORDIUM. Excuſatur facilitas cauſæ. Si quis eſt A. qui

ubi me ad dicendum surgentem viderit, facilem levemq; causam pro literarum privilegijs suscepisse autumabit, ad judicium opinionemq; suam, etiam assensum meum ascribat. Quanquam ita ferè fit, ut quæ ab alijs geruntur, extenuandi causâ leviora atq; faciliora esse arbitremur: cum quæ à nobis administrantur, sæpè longè minoris negotij, in ijs plus ferè difficultatis experiamur quàm fateri commodum est. Verum non utar nunc hac defensione: fatebor quod res est, perfacilem & nullius vel saltem non magni negotij causam defendendam me suscepisse. Cum igitur hac parte ab ijs non dissentiam, qui me vel vituperandum propter institutũ meũ, vel saltem non probandum hoc judicant: tamen non nego, non deesse mihi in quo ab ijsdem dissentiam. Perfacile, inquiunt, est orationis & commentationis argumentum? Non inficior. Ergò non magnæ laudis in eo posita est materies? Non abnuo. Itaq; susceptum à te non oportebat, dicent? At hic authoritatem eorum sequi me non posse confiteor, Quod si illis vel ingenij bonitas vel ætatis progressio, vel exercitationum frequentia vel alia causa deniq; hanc felicitatem largita est, ut vel in difficilimis dicẽdi argumentis, ingenij famam ac laudem aucupentur: quæso, ne invideant alijs inferioribus hanc occasionem atq; oportunitatem, ab initijs facilioribus exercendo ad majores facultates provehendi.

Propositio. Dicam igitur pro literarum privilegijs ea, quæ ab hac ingenij mei inopiâ & tenuitate excogitari poterunt. Nullâ quidem confisus dicendi excogitandive facultate: sed vel exercendi mei, vel veritatis defendendæ causâ impulsus.

Confirmatio. Imperator Babylonius Nabuchodonosor, cum delectos ex omni juventute captiviâ Judaicâ quatuor adolescentes Danielem & socios tres cognatos, literarum humanioribus studijs destinasset: sapienter judicavit, eos qui scientiâ & vitæ genere è vulgi numero eximendi forent, & victu cultuq; corporis, omniq; adeò vitæ commoditate præ vulgo afficiendos atq; exornandos esse. Itaq; non ad bubulcorum concilia: non ad institorũ commessationes, non ad militum contubernia & cohortes ablegavit: sed domi suæ & in aula & de mensâ suâ ali, eodemq; secum pane, ijsdemq; epulis victitare, atq; idem vinum bibere imperavit. O sapientem Regem, ô benignum principem: ô magnificum Imperatorem. Itaq: dignum liberalitatis suæ

Argu. 1. ab honesto

præ-

præmium abstulit, ut non mendaciũ Poetarum aut Historicorum, aut Oratorum fictis laudibus, sed ipsius Spiritus S. veracissimâ prædicatione tàm præclari facti memoria omni æternitati commendaretur. Dubium igitur esse potest, literatos privilegijs ornandos esse, quos tãtus Imperator dignos judicavit, quos in familiam receptaret? an à tributis absolvendi sint, quos sumtibus suis, imo ijsdem quibus ipse vesceretur ferculis cibandos judicavit? an ad inferiorum Magistratuũ subsellia trahi debeant: quos penè filiorum loco adoptavit?

1. Numerentur variæ utilitates literarum 2. privilegiorum. Quia aliàs nemo volet literis operam dare, propter varias difficultates & damna privata, valetudinis, & rei familiaris: quæ hic exaggeranda sunt. Arg. 2 ab utili.

Singula opificia gaudent privilegijs suis, item milites gaudẽt ijsdem quibus literati. E. turpe esset hos à privilegijs istis excludi. Arg. 3. à necessario.

Confutatio. Ad argumenta superioris orationis respondeatur vel per Negationem consequentiæ: vel per inficiationem vel per distinctionem.

Epilogus. habet 1. repetitionem propositionis & argumentorũ. 2, laudem literarum.

## *Exemp. XV.*

# An exactionibus locupletandum sit ærarium.

### Sententia 1. affirmativa.

EXORDIVM ab excusatione iniquitatis in causâ. Si semper ab ijs suscipiendis negotijs abstinendum esset, Auditores, quæ difficultatem aliquam aut iniquitatem primo intuitu præ se ferrent, omninò universus consiliorum deliberationisq́, usus è vita ac societate humana tolleretur. Sæpè enim difficultas in rebus aut iniquitas in propatulo & quasi vulgi oculis posita: Quæ prudentum judicijs tanquã solis radijs disjicitur. Et contra fit ut quæ primâ facie honestissima & facillima apparent, rectius & penitius considerantium judicijs summa cum injuria summoq; cum periculo conjuncta esse deprehendantur. Quod si igitur in eo satis causæ esse putandum est in reprobando aliquo instituto, quod iniquius illud videri vulgo possit, aut aliqua com- Rat. prop. RatioRed-ditionis.

plicatum

plicatum molestiâ: in quo unquam negocio illa objici non potuerunt &c.

Propositio. Et hæc præfari ad vos volui A. quod ejusmodi argumentum orationis ad vos profero, in quo mihi hac via præmunienda peropus esse video. Censeo enim idq; vobis etiam persuadere annitar: Recte facere Magistratum, ut etiamsi ærarium habeant satis locuples; Tamen frequenter exerceant exactiones à subditis etiam tenuibus & egenis. Quod etiamsi ea res videatur aliquid habere difficultatis & iniquitatis: Tamen & æquissimè & saluberrimè fieri possit (Pete benevolentiam auscultationis.)

Arg. I. ab honesto. Prop. min. Prop. maj. Respo. per distinctionem. Ratio per Antisyll.

Confirmatio. Honestissimum est tributa præstare vel solvere Principi, adeò ut etiam scriptura præcipiat Rom. 13. & 1. Sam. 8. v. 11. non in bona tantum sed liberos & corpora civium jus utendi fruendi principi divinitus permittitur. Sed quid attinet illa in controversiam vocare quæ scripturæ divinæ constant authoritate? Objectio. At subditi querulantur: Et immisericordiæ cujusdam est horum sudore, lacrymis, sanguine, Principem victitare? Resp. Videndum an justæ illæ querelæ: an verò ex imperij impatientia. De quo enim plebecula non conqueritur? laborem, leges, Deum nollet: sunt igitur hæc omnia in istorum gratiam tollenda? Si multo sudore illis constant quæ principi solvunt tributa: cogitent neq; principem otiosum esse, aut non sudare, dum pro publicis omnium commodis vigilare & sollicitus esse cogitur: dum de omnium litibus cognoscere: dum hostibus publicis occurrere & adversus horum insidias quasi in perpetuis excubijs positum esse officium est.

Cogitent non principis sed Dei jussu solvi tributa. Recordentur quanta illis nummis emant commoda: Pacem, juris æquitatem, victus quærendi commoditatem.

Conclusio hic repetatur.

Argumentum 2. ab utilitate. Major est habenda publicæ quam privatæ utilitatis ratio. Iam omnis illa difficultas singulos ac ferè paucos tantum tangit: Interim commoditas inde existit multiplex erga universos. Nam pecuniæ rerum gerendarum nervi sunt: faciunt tutam Rempublicam à periculis. Ut enim princeps nullo ærario contemti sunt, ita locupletes à nemine facile lacessuntur.

Repe-

Repete conclusionem.

Arg. 3. à Necessitate. Major. Quid opus est quærere an ea fieri, vel facere liceat, quæ aliter fieri nequeunt?

Minor. Necessaria est collectio tributorum. Alias non esset Princeps, scil: qui non acciperet tributa. Ita neq; Respub. esset.

II. Non posset tueri authoritatem Princeps: Etenim non vi tantum, sed vita splendidiori Principi obtinenda est sua authoritas. Propter vulgi stultitiam qui quos sibi vita & victu similes & pares vident, hos non reverentur. Itaq; est opus aulâ, plurimis ministris, apparatu magnifico. Hæc non nisi grandi pecunia comparantur. Ut pulcherrimè in apologo Menenius Agrippa: Magistratus dixerit esse quasi ventrem in corpore humano. &c.

Arg. 4. iterum ab honesto. Consuetudo est lex non scripta. Sed tributa licet magna & gravia, sunt consuetudine diuturna introducta: Ergo, retinenda. Probatur major. Quemadmodum vulgus, ubi consuetudine inmunior est à tributis: putat rectè se facere si tueatur libertatem suam: Cur non etiam Princeps recte faceret, si eodem nixus consuetudinis jure tributorum exigendorum facultatem suam exerceret?

Epilogus repetat argumenta. 2. Propositionem orationis.

## An exactionibus sit locupletandum ærarium.

### Sententia altera negativa.

EXORDIVM à forti argumento.

Aurelius Antonius Imperator cum exhaustum esset bello Marcomannico ærarium, & extraordinario tributo subditos gravari nefas duceret: Omnem non modo suppellectilem suam sed etiam uxoris mundum, & quæ in delicijs habuerat vasa & alias res preciosas in forum produxit & proscriptas vendidit. Adeò privato suo incommodo ac damno Reip. propellere incommoda, quam subditorum calamitate aliquâ publicam calamitatem aliam luere & avertere maluit. Quod exemplum si principes nostrorum temporum imitarentur, nescio an rectius facturi essent. Hoc videor mihi videre, non tam graves subditorum de magistratibus querelas, neq; tam afflictum Reipub. & miserum statum fore. Illud autem pænè indignum videtur, etiam ra-

tionibus

tionibus defendi, quæ adeo contra omnem rationem atq; humanitatem videntur fieri.

Propositio. Non nego magistratibus tributa deberi: Illud dico gravari tributis subditos, ultra necessitatem Reip: exigi ab egenis etiam & calamitosis, non recte mihi videri fieri. Qua de re dum breviter expono sententiam meam, quæso benignè patienterq; me audiatis.

Confirmatio. Arg. 1. ab injucundo. Major. Princeps quis non mallet ita se comparare ut subditi sibi perpetuo de hujus magistratu gratularentur, omnia bona ipsi dicerent ac precarentur: Quam ut invisus atq; odiosus omnibus, aut lacrymas videre & gemitus perpetuos audire aut exorationibus obtundi cogeretur? Minor. Jam nihil ferunt impatientius subditi qnam exactionum frequentiam. Præsertim si ipsi jam sint exhausti, principes locupletes.

Arg. 2. ab inhonesto. Tyranni leguntur sæpius usi varijs artibus in extorquendis pecunijs à civibus, ut Dionysius. Metuunt enim sibi ab horum viribus. Unde has omnibus modis accidere satagunt. Boni ac commodi Principes facilè in præsenti copia sua acquieverunt: Majorem commodorum quam suorum habent rationem. Alexander; Alphonsus. Unde illud Tiberij ortum: Boni Pastoris est &c.

Arg. 3. à Damno. Non poterit amplificare ditionem princeps, ille nimium vehemens & avarus tributorum exactor: quod nemo facile volet hunc Dominum: à quo res suas se tutas habere non posse videt. Cives ipsi oderunt: Et optabunt saltem cum facere non poterunt, ut vel ab isto imperio vel à vita sua expediantur. Quæ vox debet esse acerbissima principi, si cives optent non vivere potius quam sub hoc Principe vivere.

## Confutatio.

### Ad Arg. I. Per negationem consequentiæ.

Non nego: sunt præstanda tributa: sed etiam hoc affirmo: non esse ea nimia exigenda. 1. Sam: 8. Non Regis sed Tyranni mores prædicuntur. Quod boni reges nunquam leguntur eo usi more: imò Achabus punitus, quod eis uti vellet.

Ad Arg. 2. per neg. c. Locupletent ærarium Principes? sed non extenuent interim facul-

cultates Civium. Alias inſanientis inſtar ſuâ carne ſtomachi famem conabuntur comprimere.

Contemtus potius Principi exiſtit ex luxu authoritas comparatur virtutum ſtudijs, clementia im primis & liberalitate. *Ad Arg. 3. perinficiat*

Per diſtinctionem. Duplices Conſuetudines, malæ & bonæ, Illæ abrogandæ hæ tuendæ. *Ad Arg. 4.*

Epilogus habet 1. repetitionem dictorum. 2. Proteſtationem.

Quod etiamſi Principes in eo genere peccent: Non tamen cujusvis ſit ſuos reprehendere. Quod illi per officiũ ſunt Patres patriæ. At non eſt piorum liberorum animadvertere velle in parentum vitia. Et ſolus Deus ſibi reſervavit officium judicandi de principibus: Itaq; ſi quis hoc auſus fuerit, Dei majeſtatem lædit.

## *Exemp. XVII.*

## Num cives ſint exercendi artibus militaribus

### Oratio prima negativa.

Exord: ab occupatione. Quanquam & vulgo & rectè illi mores reprehenduntur, ſi de qualibet publica conſuetudine, judicandi licentiam tibi arroges: tamen citra hujus reprehenſionis periculum me facturum eſſe arbitror, ſi oſtendero vobis, quid in eo more deſiderem, quo publico multæ civitates utuntur, ut cives ſuos artibus bellicis exerceant. Addatur ratio propoſitionis, e. g. quia etiam rectè conſtituta convelluntur. Addatur ratio redditionis, quia hoc inſtitutum magis conſuetudine temerariâ, quam certa ratione introductum eſt.

Quod ſi ad cauſæ hujus veritatem, veſtra in ea judicanda attentio acceſſerit: non dubito, quin facili negotio cognituri ſitis, majori Rerumpub. commodo fieri, ſi ea exercitia abrogentur quam primum, quam ſi conſerventur. *2. pars propoſitio or.* Conjuncta cum Reipub. damno, omnibus modis removenda ſunt. Illa exercitia bellica civium, ſunt conjuncta cum Reipub. damno, E. ſunt removenda. *Conf. arg. 1. à dãnoſo* Probatur minor, quia & publicum & privatum damnum afferunt. Publicum quidem: quoniam ferociam civium animis ingenerant: ut & Magiſtratui obedientiam vi detrectent, & quod viribus ſuis confidant, facile movenda eſſe cenſeant bella finitimis. Et hæc quidem publica incommoda ab his

exercitijs bellicis proficiſcuntur: nec minora illa derivantur ad ſingulos. Principio enim illi qui exercentur, à labore, cui in officinis ſuis vacare debebant, prolabuntur ad ignaviam: delectantur crebrioribus deambulationibus, commeſſatione, & alijs ocij generibus. Deinde, quia ſæpius in conſpectum publicum artis probandæ cauſa prodeundum eſt hinc veſtiuntur ſplendidius, abſumunt facultates, in egeſtatem devolvuntur. Quid quod paulatim audentiores effecti rixarum occaſiones non tantum facile arripiunt, ſed ultro quærunt.

Argu. 2. ab honeſto. In melioribus ſemper cives inſtituendi ſunt, ſed meliores ſunt pacis artes, E. in his potius inſtituendi ſunt cives, quam in exercitijs bellicis. Probatur minor, primum à vituperatione & deteſtatione belli. Nulla ſalus bello &c. Secundo ab inductione & commendatione artium pacis: e. g. Ut cives pietati ſtudeant, ita Deum protectorem habebunt. Ut probitati & humanitati: Ita nemo offendere eos ſuſtinebit: ut prudentiæ, quod hæc magis quam arma metuantur.

Arg. 3. Cujus rei nulla cauſa eſt, nullus uſus, ea ſtultè ſuſcipitur. Exercitiorum bellicorum nullus eſt uſus, nulla cauſa vel neceſſitas intet cives ſcilicet. E. non debent exerceri cives. Probatur minor per conceſſionem vel diſſimilitudinem: Omnino ſane opus eſt artibus bellicis: Sed ut eæ à civibus exerceantur non eſt opus. Alia enim éſt ratio civium alia militum. Hi ex armis victum quærentes rectè horum exercitijs occupati ſunt. Illis hoc opus hic labor eſſe debet, ut in perpetua pace degere liceat: & ut prudentiæ opumq; præſidia, ad bella ſi quæ inciderint, militum conductitiorum operis propulſanda collecta habeant.

Confutatio. Dicat fortaſſis aliquis: eam eſſe horum temporũ calamitatem, ut vicinorum injuriæ & violentæ oppreſſiones non niſi vi & armorum apparatibus evitentur. Reſponſio per negationẽ conſequentiæ: Non eſt opus, ut propterea ipſi cives armati ſint: quemadmodum ſine muris vix à violentia hoſtili tuti eſſe poſſumus, neq; tamẽ neceſſarium eſt, ut muri non mercenariorum, ſed ipſorum civium manibus extruantur.

Argumentum 2. Dicent ad fortitudinem & virtutem pertinere, reſpondetur per inficiationem, etiam ad audaciam & meticuloſitatem pertinet: quod alius ad nequitiam armis abutatur, alius ubi à paleſtris ad campum & rem ſeriam proditum fuerit, facile artis oblitus,

ad ingenij meticulositatem revertatur.

Epilogus habet primum repetitionem argumentorum, secundo propositionis.

## Exemp. XVIII.

## Num cives sint exercendi artibus militaribus.

### Pro sententia affirmativa.

Orat. II.

EXORDIVM à reprehensione adversarij. Utinam auditores ita multi reperirentur, qui vitæ in melius emendatione se à vulgi disjungerent moribus, quam frequentes ij reperiuntur, qui quod vulgo fit propterea reprehendēdū suscipiunt, ut ipsi præ aljis videantur sapere, non quod perperam illud fieri arbitrentur. Irrepsit enim ea dudum in mores publicos, non dicam qualis, cum vestra sponte hoc judicare possitis, consuetudo: ut passim, quid vulgo non rectè fiat omnes videant: Sed quod aliter fieri oportebat rarissimus quisq; in seipso emendet. Quare sapienter Poeta: Sensus inest cunctis tollitur arte malum.

Propositio. Quod mihi adeò ex hac re in mentem venit, dum orationem ejus vobiscum ausculto, qui usitata artium bellicarum exercitia inter cives reprehendere instituerat. Quid enim minus extra controversiam debebat esse positum quam saluberrimam esse illam civium exercēdorum disciplinam? Et tamen inventus est qui illam non cavillando, sed argumentis attentare posse sibi videretur: O insanam sapientiam, ò stultam rationem. Sed tempero mihi: ne justissima verissimaq; causa, rationibus defendi non posse & his indignationis præsidijs egere videatur. Dicam igitur, I. quæ pro retinendis militaribus exercitijs in mentem venerint. Deinde quod contra oppositum fuit argumentorum ea reprobabo.

Argumentum primum à necessitate. Propositio major.

Confirmatio. Quæ scitu necessaria sunt, etiam necessaria sunt discitu: vel non nascimur senes aut prudentes aut periti earum rerum quarum tractatione opus est in vitam: Uerum multo usu multaq; præparatione condiscere oportet quæ olim in vita rectè gerenda sunt.

Propositio major. Cives oportet scire artes bellicas. E. Cives oportet discere artes bellicas exercitijs. Probatur minor à diverso.

Non enim vivimus nunc aureo ſeculo ſed ferreo, nõ in Inſulis fortunatis, aut remotiſſimis à reliquo mundo locis, ſed in medio vicinorũ fortunis noſtris invidentium, in nos & res noſtras dominationem appetentium, omnes nocendi vias aucupantium. Itaq; armis inquam armis opus eſt, quibus & invidiæ occurratur, & dominatus propulſetur, & inſidiæ elidantur.

Argum. 2. à Iucundo. Propoſitio Minor. Graviſſimè delectat & vehementiſſimè, ſi ſpectes ex omni numero civum delectos juvenes viros, incedere armis politis, & omni habitu militari ornatos, & vultu ad ſeveritatem compoſito, & ingreſſu gallinaceo. Præterea noſſe nunc in acie ſtare, nunc ſigno dato ceſſim ire, nunc bellicas machinas diſplodere: iterum ficto prelio cum hoſte manus conſerere, aut aliud deniq; obire munus bellicum.

Arg. 3. ab utilitate. Ita otio ad negotia utentur cives & non ad compotationes. 2. Celebris fiet Reſpub. 3. Non facilè contemnetur à vicinis iniquioribus & infeſtis.

Confutatio. Ad argumentum primum, Reſp. per Inficiationem.

Ad argumentum ſecundnm, per negationem conſequentiæ.

Pacis artis habent ſuas commoditates ſed non ſolæ.

Concluſio habet repetionem 1. Argumentorum. 2. Propoſitionis.



# EXERCITIA AMPLIFICATIONUM. Exercitium I.

*Impietas demonſtratur eſſe valde mala.*

EXORDIUM. Docilitatis cauſa exponit quid ſit impietas. Quemadmodum pietatis nomen in eo verſatur officij virtutisq; genere quo Deũ & religionem proſequimur, ita impietas ad eos refertur mores quibus Dei cultus religionisq; res negligitur & quaſi peſſundatur, ſive ut dicam explanatius, impium eum vocamus qui ſine omni erga

Deum veneratione eſt, verbum Dei, ſalubres hujus admonitiones, iram Dei, ſalutem ſuam ſuſq; deq; habet: itaq; probitatis micam nullam quaſi colligens, omni ſtudio ad omnis generis nequitias incumbit.

Propoſitio. Verum vix opus erat ea impietatis circumſcriptione, cum optandum eſſe videatur ne ita ſint frequentia & familiaria hujus mali exempla, etiam inter chriſtianos, ut ſic inſolentia & raritas eam declarationem exigeret. illud verò omnino peropus eſt, ut quoniam nemo ferè ita ſtupidus & infelicis ingenij natus eſt, quin quid pietatis nomine reprehendamus intelligat, illud ſcil. quod parum pleriq; perſpicere videmur, quanta impietatis pernicies, quantū in eâ malum, quanta peſtis ac perditio mecum cogitatione percurratis. Non id agitur mei A. ut vel ego aures vobis demulceam vel vos temporis fallendi cauſâ illic aſſideatis. Salutis noſtræ omnium intereſt ut ad ea quæ afferentur attentiſſimis adſimus animis, penitus in mentem ac memoriam ea reponamus, ad omnem vitam omnesq; conſiliorum inſtitutorumq; partes adhibeamus. Quare quò cuiq; ſalus ſua eſt charior, eò attentior ut auditor ſit ſedulò moneo.

Confirmatio. Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam, dixit ſapienter Pſaltes vel Domini Spiritus potius pſ. 11. v. 5. Sapienter inquam dixit: Qui enim poterat vel majoris ſtultitiæ impios accuſaſſe, quàm dum maximo bono ſuo animæ ſuæ ſc. ipſos inſidias ac perniciē moliri inſimulat? aut quo pacto grandius deſcribi damnum poterat quā illo, quo unâ jacturâ omnia bona noſtra perdim9 ſc. ſi animæ damnum faciamus. Cogitate mihi ſi quis ita incontinentis eſſet animi & parum ſuarum rerum providens, ut theſauros ſuos in mare abijceret: Hic eſſet ſtultus. Rurſum ſiquis corpus ſuum læderet hic eſſet ſtultior & pro inſano haberetur & coerceretur vinculis. Quod ſi igitur ab animâ ſuâ violandâ non abſtineat hic eſt omnium ſtultiſſimus.

Pars III.

Comparationes fictorum exemplorum

Applicatio. Eâ inſaniâ laborare impios dicit Domini Spiritus oderunt, inquit, animam ſuam.

Non lædunt ſaltem animam ſuam (addatur extenuatio e. g. id quod per imprudentiam & fieri & excuſari poterat) non in periculum tantum inducunt (addatur extenuatio) ſed oderunt adeo h. e. ira irreconciliabili proſequuntur & ſeviunt, in quem autem? in animam ſuam, in ſeipſos, in eos quibus nihil ipſis eſſe debebat charius, cū nemo

ſeipſo amiciorem habeat. O amentiam (adducatur exemplum per comparationem eorum, qui fame & inediá coguntur,ut propria membra abſumant. Demonſtretur quod impij ſint miſeriores & crudeliores in ſeipſos) oderunt animam ſuam inquit pſaltes, qui credas? (fiat hic enumeratio incommodorum quæ arceſſunt impij ſibi ipſis per partes e. g. oderunt, quia an non ille animam ſuam vel ſeipſum odit, qui maximorum cruciatuum ſciens volens ſibi ipſe author & faber eſt ut loquuntur &c.)

Porrò cum ita peſſimè ſibi conſulant impij, tum ipſo ſtudij genere quo occupati ſunt, certè ſe dant turpiſſimè. Diligunt iniquitatem dicit Pſaltes (Fiat conglobatio definitionum. 1. quid autem eſt iniquitas niſi &c. 2. Quid verò eſt diligere? 3. per Epanodon fiat perpetua antitheſis illarum definitionum e. g. Quid autem fando indignius id quod Deo adverſum eſt,ab homineDei creatura in delicijs haberi? diligunt iniquitatem homines,quid perverſius, quid deplorandum magis (fiat gradatio vel digeſtio ordinis e. g. ferri poſſet ſi abducti per infirmitatem fortè prolaberentur,ſi ſponte ſua aliquid in ſe conciperēt facinoris quidem ,ſed magno vel aliquo ſaltem pænitentiæ dolore torquerentur: addatur extenuatio: Sed diligunt, diligunt inquam (addatur immoratio.) iniquitatem.

Concluſio habeat dehortationem ab impietate.

## *Exercitium. II.*

## Oſtenditur quā grande vitium ſit Hypocriſis.

EXORDIVM à docilitate. Hypocriſis ſimulatio quædam eſt: & proprium eſt Theologis vocabulum,quo ſimulationem chriſtianiſmi notant. Simulationem autē quod eſt, ſi quis videri is velit qui non ſit. Chriſtianiſmi autem ſimulatio hypocriſis, quod eſt, earum conditionum unde chriſtianus quis conſtituitur ficta quædam adumbratio, ut ijs inſtructus & omninò chriſtianus eſſe videri quidem velis, cum tamen nihil minus ſis. Quæ verò illæ conditiones? 1. fides vel ut firma fiducia Chirſto adhæreas, Non enim Chriſti eſſe poteſt vel chriſtianus appellari qui fidem in Chriſtum non habeat. Atq; hæc prima chriſtianiſmi indicatio: altera, ut charitate vel ſeria aliorum dilectione affectus ſis. Etenim inde inquit Chriſtus, Ioh. 13. diſcipuli

mei agnoſcemini, ſi illo amoris mutui ſymbolo inſigniti fueritis. Quare is hypocrita appellabitur qui fidem in divinum verbum, & chriſtianam charitatem probè ſimulare noverit, à quibus tamen virtutibus abfuerit idem quam longiſſimè. Dubitari autem rectè videtur poſſe majorne hujusmodi hypocritarum præſertim his peſtilentiſſimis ſeculis numerus ac multitudo exiſtat, an verò vicij hujus atrocitas ſit tetrior & magis execranda. Quod omninò maximè deplorandum in humanis rebus accidit, ut homines naturæ quadam immanitate eò ferãtur in vitia præcipitantius, quò illa fædiora fuerint. Quid enim frequentius iſtis ſimulatoribus qui verbis, geſtu, vultu, maximè religioſis apparent: animo, moribus, vitâ, ijdem irreligioſiſſimi ac profaniſſimi. Sed quod de atrocitate hujus impietatis dicebamus fortaſſis non ita facilem in vulgus fidem inveniet.

Propoſitio. Itaq; ad eam demonſtrandam nunc porrò hanc orationis operam accommodabimus. Intelligetis ſpero, ſi attentè ac ſedulo animum adverteritis gravem eam atq; acerbam adverſus hypocriſin ſententiam dictam eſſe: ſed tamẽ non minorem, quàm ea dicta ſit hujus vitij atrocitatem eſſe.

Confirmatio. Argumentum 1. à comparatione. Si quis in ijs rebus aliquid ſimulet quæ ad aliorum dignitatem aliquam pertinent, indigniſſimè ferunt homines. Hoc dico, ſi quis nobilitatis, aut Poeticæ lauri, aut alius alicujus dignitatis titulos ementitus fuerit, Deus bone, quantis in hunc odijs exardeſcunt, etiam ij, quorum ea res aut nihil aut parum intereſt. Quod ſi quis eo maliciæ proceſſerit, ut quæ ad principis majeſtatem attinent, ea temerè ſibi attribuerit, monetæ fortè cudendæ poteſtatem, in hunc ſupplicio publico exempla acerrima ſtatuuntur. Neq; id injuria &c. (addatur cauſa vel approbatio).

Cogitate igitur mihi cum in humanis rebus ita ſeverè vindicãdum ſit, ſi quis ſimulatione contaminaverit rerum aliquâ æſtimatione commendatarum ſanctimoniam: quid illum tandem mereri cenſeatis, qui ſacerrimum atq; inviolabile pietatis nomen impia illa hypocriſi ſua profanaverit? (Fiat contentio per partes plurimas e.g, illic homines, hic Deus, illic res hujus mundi, hic res æternæ &c.)

Locus 2. conglobatio. Etenim ſi rem rectâ reputemus via, nihil eſt ſanctum ac venerabile ad quod violandum non proſerpat hu-

jus mali contagio. primò homines fallunt hypocritæ ( explicetur modus ) ſeipſos fallunt ( explicetur modus ) Deum fallunt, aut ſaltem fallere ſatagunt ( explicetur modus). Rurſum non tantum non virtuti operam dant ( explicetur hujus rei neceſſitas ) non tantum eos pietatis fructus non ferunt quos debebant, ( enarrentur hi ) non tantum quâ debebant vigilantiâ ab impietatis infectione ſibi non cavent ( explicetur hujus rei neceſſitas) Neq; tantum nocent exemplo ſuo alios ad improbitatem ineſcando vel abducendo (Addatur hujus rei turpitudo) ſed quod omnium graviſſimum eſt incurabili hoc atq; inſanabili cõtagionis genere & ipſi laborant, & idem alijs affricant. Fit enim in hac impietate quod alias in Phreneticis. Hi quò graviori conflictantur morbo, eò minus medicinam admittunt, quod non tantum pulchrè ſani ſibi videntur, ſed aliter perſuadere conantibus graviter iraſcantur. Unde in eo mentis vitio difficillima omnium ſi non impoſſilis & deſperata eſt curatio. ( Subjiciatur redditio vel applicatio, & in hac fiat ἐπιμονὴ vel congeries &c. )

Locus 2. à ſimili.

Epilogus habet 1. repetitionem propoſitionis 2. dehortationem ab hypocriſi.

## *Exercitium III.*

## Demonſtratur quam turpis ſit in rebus fidei Ignorantia.

Exordium : docilitatis cauſâ explicat quid ſit ſapientia & quæ huic oppoſita vitia. Ipſis vocabuli hujus quaſi literis vel ſono, quando ſapientiam appello ſcil: A. videtur in mentem noſtram inſinuare ſe rei cujusdam pulcherrimæ & maximè admirandæ cogitatio, Sapientia enim omnes credimus excellentem & maximè inuſitatam inter homines ſcientiam denotari, ut inter Philoſophos quidem nullum in tam plurimis optimis artibus diſciplinæ genus inveniatur cui ſapientiæ appellatio ipſis authoribus tribuenda eſſe videatur.

Propoſitio. Quod ſi cui cognitioni hoc nomen debetur: divinarum rerum illi à Deo revelatæ notitiæ jure meritoq; competet. Eò igitur erit quisq; ſapientior quò verbi divini peritior. Sapientior dico, hoc volo dicere nobiliori & præſtantiori ornatus ſcientiæ genere

Et

Et quoniam felicitatem hominis hinc metiuntur Philosophi ex cognitionæ scil: etiam istorum sententiâ idem erit felicissimus, qui in pietatis studijs laudabiles progressus fecerit. Quid igitur si quis salutis, pietatis Dei, verbi divini omnia ignoret? sine dubio erit miserrimus, & infra omnes homines infimus ut ille ait. Sed hoc etiamsi verè dicitur tamen ejusmodi est, ut paucos approbatores inveniat. Itaq; in eo nunc erimus, ut hujus ignorantiæ circa pietatem turpitudinem vobis ob oculos ponamus.

Confirmatio, Locus 1. à ratiocinatione sive amplificatione circumstantiarum. circumstantia 1. quid.

Quid enim ignorant isti homines quos sapientiâ divinâ carere dicebamus? seipsos (quam hoc sit turpe addatur) quod scil: non nisi ex divino verbo nostri hauritur cognitio: Deum (addatur quam hæc periculosa sit ignorantia) peccatum, justitiam, mortem, vitam, imò malum & bonum, dextrum & sinistrum. O gravem ignorantiam! (addatur comparatio à minori, si quis ita calamitosus sit, ut luminibus captus, neq; cælorum pulchritudinem, neq; reliquarum rerum venustatem oculis usurpet, neq; quorsum progrediendum sit, hunc sanè oportet esse hominem miserrimum (subijciatur redditio vel applicatio, cum extenuatione cæcitatis præ ignorantiâ hac.)

Porrò qui sunt illi hac ignorantiâ laborantes? Dei opus primum, à quo ad intelligendum atq; agnoscendum artificem suum procreati erant, ut infelicissimè evenerit ita malè artifici sapientissimo ingratum hoc opus sub manus successisse. Deinde in profundo quodam calamitatum cæno immersi sumus, ex quo non nisi per illam divinæ sapientiæ vel fidei in Christum scalam datur ascendere. Ut miserrimè nobiscum illis actum sit, quibus per ignorantiam hanc suam ab ipsis omnis emergendi spes præciditur. Demum ad cælestium regnorum hæreditatem vocati sumus. Verum ad quam nemo sanè adire poterit qui regna cælestia, jus hæreditatis suæ, & ad ea adeundi viam ignoraverit. (Exaggerentur porro aliæ circũstantiæ, item contrarium vel sapiẽtia, item Christi amor, qui ut nos ex ignorantiæ hujus miserie eriperet, ipse & nostræ hujus cæcitatis pænas dare & nostra sapiẽtia fieri voluit.)

2. Pars circumstantiarum ejus.

Epilogus habet 1. repetitionem propositionis 2. adhortationem ad serium studium in progressibus divinæ agnitionis faciendis.

## Exercitium IV.

# Scientia inflans exaugetur.

1. Cor. 8. 1.

EXORDIUM à docilitate. Divus Apoſtolus alicubi, Scientia, inquit, inflat, charitas verò ædificat. Inde ductum eſt ſcientiæ inflantis nomen. Neq; debetis exiſtimare, de profana aliqua hominum callidorum aut philoſophorum adeo & literatorum hominum ſcientia ſermonem eſſe Apoſtolo, eam ſcientiam quæ in Chriſtianis eſt, quæ rerum ad ſalutem revelatarum eſt, quæ divini verbi eſt, eam inquam omnem Apoſtolus inflare ait, h. e. ſpiritus quosdam, ut loquuntur, ſive ſuperbiam in animis piorum ingenerare, niſi charitatis ſtudiũ eandem ad ædificationem ſive communem utilitatem moderetur. Quod ſanè maximè mirum accideret, rem adeò nobiliſſimam & divinã, verbi divini cognitionem ſcil: rei pernicioſiſſimæ ſuperbiæ ſcil: nutriculam ac matrem exiſtere: niſi & divus Apoſtolus præmonuiſſet, & aliàs meminiſſemus, rerum optimarum corruptelas evenire aliquando peſſimas.

Propoſitio. Itaq; ut eò diligentius operam demus, ut quæcunq; rerum divinarum & ſcripturæ ſacræ nobis conceſſa fuerit cognitio, ea proximi vel aliorum utilitatibus ſerviat, quantum in illa inflante ſcientiâ, ut appellabamus mali ſit, quæſo paulisper mecum perpendite.

Confirm. Arg. 1. ex ordinis digeſtione.

Si quis videtur ſibi ſcire ille nondũ ſcit quẽadmodũ ſcire oportet ex ſcripturæ ſententia. Scire igitur ſive cognitum habere Chriſtũ, ſalutis negociũ, omne myſterium Evangelij, eſt ſanè divinũ planè S. Sancti donum: de quo locupletiſſima exſtat promiſſio: in ſcientia ſui Chriſtus juſtificabit multos. Uerum ſi ad illam divinam etiam ſcientiam & quæ vitæ æternæ promiſſionem habet, illud quaſi calamitatis acceſſerit, ut videaris tibi ſcire: ſive ut ex illa ſcientia dignior aut ſanctior alijs à te ipſo habearis, hosq; præ te contemnas: fiet illi ſcientiæ quod auro fieri ſolet aut alij metallo. Nam ſi hoc ærugine fortè obſeratur, niſi remedio aliquo maturè quis occurrat, illud univerſum exedetur & corrumpetur. Ita ſcientia vel notitia rerum divinarũ ſi inſolentiâ quædam tanquam ærugo eam corripuerit, inde univerſa abolebitur. Nondum ſcit qui ſcire ſibi videtur? Primum igitur malè collocavit omnem illam diſcendi operam, quod fortè in concionibus audiendis aut

auſcul-

auſcultandis præceptoribus fuit ſtudioſiſſimus. (Exponantur reliquæ partes quæ verſantur in diſcendo. Addatur deinde extenuatio quàm hoc tenue ſit damnum præ illo quod ſequitur). Rurſum fruſtra accepta ſunt illa initia æternæ ſalutis, lumen cæleſte, Spiritus S. pignus æternæ vitæ, inſitio in Chriſtum (addatur amplificatio hujus partis, & rurſum extenuatio.) Illud autē maximè miſerandum in hoc genere accidit, quod jam vel altero (ut loquuntur) vel utroq́, etiam pede in cælo collocati, inde ſeipſi in infernum præcipitant. Quia enim ſcientiam habent in Chriſtum: ideo in cælum evecti erant vel cæleſtium regnorum jus obtinuerant. Verum quoniam cognitionis indultam eam gratiam ad ſuperbiam convertunt, ideo idem cum Sathana damnationis judicium merentur, nempe ut ex filiorum Dei loco ad infernales ignes præcipites deijciantur.

Epilogus habet 1. repetitionem propoſitionis 2. Adhortationē ut ij qui præ alijs rerum theologicarum cognitione excelluerint, eò diligentius ſibi à ſuperbia caveant, quò proclivius eſt hinc in damnationis præcipitia periculum.

## *Exercitium V. Securitas*

## Oſtenditur eſſe pernicioſiſſimum vitium.

Exordium attentionis cauſâ narrat de Stoicis, quæ narratio per ſimilitudinem ad negocium præſens pertinet: quod poſtea docilitatis cauſa ſubijcitur.

Stoicos ajunt, Philoſophorum ſectam quandam fuiſſe, quæ & alia multa à communibus hominum ſenſibus abhorrentia & hoc inprimis abſonum affirmaverit, ſi ſapiens ſis ſive ſtoicæ Philoſophiæ ſacris imbutus etiam in mediâ flammâ conſtitutum nihil ab igne illo doloris perſentiſcere: & ſi præ frigore dentes concrepent, tamen illum dolorem adverſus ſtoicum hominem nihil quicquam poſſe (Fiat admiratio primum, deinde extenuatio præ illo quod ſequitur) ſi ſcil: ejusmodi quoddam genus hòminum daretur, qui vel naturæ immanitate quadam, vel per artes magicas æſtus vehementiſſimi aut acerrimi frigoris dolorem nullum perciperet (addatur quantæ ea res admirationi futura ſit. Item extenuatio præ illo quod ſequitur). Longè ma-

gis mirari licet illorum hominum vel incredibilem ſtuporem, vel diaboli in eosdem potentiam exhorreſcendam, qui in medijs inferni faucibus hærentes, iræ divinæ flammâ circumſepti, æternarum tenebrarum obvoluti frigoribus, non tantum nihil eorum quicquam ſentiunt, ſed etiam Jovi, quod ajunt, in gremio ſedere, in delicijs maximis vivere, felicitate ſummâ circumfluere ſibi videntur.

Propoſitio. Qui illi autem? quos uno nomine ſecuros appellamus, quaſi qui ſine curâ ætatem degant, neq; quis tandem rerum ſuarum aut ſeculi huius exitus futurus ſit, aut curent aut provideant. Deus prohjbeat, inquies, ne eo contaminemur periculo. Prohibeat ſanè, verum & noſtrâ vigilantiâ opus erit eò, ut penitius hunc ſalutis noſtræ ſcopulum & ſpeculemur, & ubi cognitum habuerimus fugiamus ſtudioſius. Itaq; primum oſtendam, quid mali vel vitij ſit ſecuritas: Deinde quantum inde derivetur incommodi.

Locus 1. à partibus antecedentibus & cõ ſequentib9 per deſc.itionem. propoſitio

Confirmatio. Principio A. eſt omnium animis noſtris ea à nativitate uſq; impreſſa perverſitas, ut cum ſimus quemadmodum poeta ait, in vitium credula turba, ſive facilè ijs aſſentiamur quæ in opinionem ac voluntates noſtras inſinuata, menti primum labem : deinde toti homini exitium afferunt: Contra nos comparemus in ijs quorum aſſenſus â nobis ſaluberrimè fieret, ut his nulla apud vos fides ſit. Eſt enim hæc ab Adamo uſq, ad nos propagata malitia ut facilè à nobis in dubium vocetur quod divino ore affirmatnm fuerit. (Narretur de Adamo) Eodem modo ſecuri homines incerta ac dubia habent quæ de divinâ irâ admonentur. Ubi autem ſemel illorum memoriam ex animo oblivio deleverit, ibi neq; ſcelus adeò nefandum eſt ullum, à quo illos indignitas abſtinere poſſit; neq; ita gravibus verbis concipi ulla admonitio poteſt, quæ illos vel quicquam moveat. Securi vel ſine cura ſunt (Hic immoremur vel verbis ſynonymis in varijs partibus hoc inculcemus.)

Locus 2. ab enumeratione incõ modorum

O miſeros illos & multis nominibus quidem. Si enim jure illos miſeros appellaveris, qui & in ſe peſſimè conſulunt, & adverſus Deum impij atq; ingrati exiſtunt, & bonorum maximorum jacturam reſarciendam faciunt, & malorum inexhauſtum pelagus in caput ſuum arceſſunt: certè iſti in ſecuritatem immerſi homines miſerrimi omnium cenſendi ſunt (Fiat Epanodos, vel ſingulæ iſtæ partes probentur ſepa-

ratim

ratim e.g. Quid enim poterant pejus in se consulere, quam cum hoc &c. faciunt? Qui ingratiores &magis impij adversus Deum deprehendi possent &c. Quomodo bonorum majorum facerent jacturam &c. Quæ mala sibi crearent &c.)

Epilogus habet 1. repetitionem propositionis 2. Adhortationem ad timorem Domini.

## *Exercitium. VI.*

## Desperatio quam turpis christiano homini sit.

EXORDIVM exponit quid sit desperatio. Ita naturâ comparatum est A. ut quibus secundæ res sunt, ij summum à Numine sibi favorem polliceantur. Quemadmodū qui in rerum angustias aliquas conjecti sunt, aliter sibi persuaderi non patiuntur, quin Deum adversissimum sibi habeant. Itaq; frustra apud hos agas, si ad aliquam melioris fortunæ spem erigi posse credas. Ita enim infeliciter secum actū putant, ut neq; divinæ gratiæ sibi iterum adjungendæ spem ullam concipiant, & eam infortunij sui gravitatem sibi fingant, unde nullo Dei auxilio eluctari valeant. Esse hoc hominum genus ita desperabundorum utinam verè negari possit, quanquam ignotum esse potest parum expertis: quod pauci palam profiteantur: imò adeo sibi ipsis constent de hoc morbi genere. Fit enim etiam hic ut optima ipsi de nobis polliceamur, etiam periculis implicati, & vitiorum contagionibus funestissimis. Illi igitur desperabundi, qui ubi fortè non satis ipsi prospiciunt quibus vijs aut abundare rerum copiâ, aut necessitatibus suis succurrere possint statim animum abijciunt, se excruciant graviter, mortem sibi exoptant.

Propositio. Quid verò in eo peccatur inquies! Id nunc porrò videbimus.

Confirmatio. Principiò an non Deus omnipotens? (fiat hic expositio vel dicatur hoc pluribus verbis synonymis) an non pluribus benignitatis experimentis clarissimis probavit amantissima & fidelissima de incolumitate & felicitate nostra consilia sua? an non debemus Deo hoc reverentiæ & honoris, ut modis nobis incognitis consulere illum rebus nostris posse, & ex promissis velle etiam, persuasissimum Argu. 1. à contrar.

habeamus? quanta ergò injuria diffidere Deo, omnipotentiæ Dei, aut amori (in his immorandum est.)

Argum. 2. à simili.

Si quis in aula vivat, & videat forte aut in culina nihil ciborum apparari, aut in ærario parum nummorum adesse, ideoq; in eam suspicionem principis sui fidem conjiciat, ut metuat an de alimento & stipendio sibi satis provisum sit: non tantum stultus ab omnibus habebitur, sed etiam intolerandam principi injuriam attulisse insimulari poterit (accommodentur hæc ad Deum & ad desperabundum.)

Arg. 3. Prosopopœia.

Quid si isti homines id quod à nobis omnibus metuendum est, inexpectato quodam raptu ad Christi tribunal sisterentur, ut causam hujus suæ diffidentiæ exponerent, quæso, quam eam afferre possent? Dicerent fortassis (affingatur excusatio) Sed responderet Christus (fingatur responsio.)

Epilogus habet repetitionem propositionis & adhortationem ad fiduciam erga Deum.

## *Exercitium VII.*

## Quantopere peccetur, si preces negligantur.

Si illud mihi divinitus felicitatis concessum esset A. ut de occulto quodam periculo, gravi tamen & quo omnium vestræ vel fortunæ vel valetudo infestaretur vos præmonere possem: idemq; præsentissimum huic malo remedium habere me profiterer: credo nemo apud vos aut adeò parum gratus existeret, aut ita negligens incolumitatis suæ, quin & attentissimo animo auscultaret me, & quæ recte à me monitus esse sibi videretur, ijs & uteretur cupidissime & mihi qui monuissem, aliquid benevolentiæ se debere judicaret (Fiat accommodatio vel Redditio, cujus hæc summa: Non quidem habeo vos monere de valetudinis periculo, aut fortunarum: sed de longè majori animæ scil: & æternæ salutis: Itaq: esse debetis attenti & animis libentissimis eam admonitionem admittere.)

Propositio. Quid igitur aut mali est de quo indicationem promittimus, aut medicinæ quam facere pollicemur? quod preces inter nos christianos adeò intermittuntur ac dicuntur negligentissimè: eam puto pestem ac perniciem nostram omnium esse periculosissimam: ut

quam

quam maximè opus ſit, ut quantum fieri poteſt eam negligentiam noſtram corrigamus, & ex Chriſti præcepto oremus indeſinenter. Quod ſi quiſquam parum hoc proſpicere poteſt, quid in ea re ſit periculi, huic ut conſulam, ejus periculi aliquam partem deformare vobis ſtudebo.

Confirmatio. Non oramus: quæ cauſa? aut quid impedit? oportet enim omninò difficillimam objectam cauſam eſſe quæ nos excuſet quare tàm neceſſarium, tàm gratum, tàm ſæpius præceptum ac requiſitum divini Numinis cultum prætermittamus? Nihil horum à nobis afferri poterit: ſed ſi quod relatu verum, dicendum eſt: Diabolus nos abſtrahit: Novit enim quantum in precibus poſitum nobis ſit præſidium, quàm minimè ferre Deus poſſit ut hic negligentes ſimus, quã maxime malo noſtro, nos orando ceſſemus. Quantæ igitur eſt imprudentiæ, quo & facilime tueri nos adverſus Diabolum, & Deo gratum facere poſſumus, precibus ſcil: eas Diaboli inſtinctu, noſtro damno ſummo, cum Dei offenſione vehementiſſimâ, ita à nobis curari negligenter? (Ita enumerentur reliquæ cauſæ, vel oſtendatur quantæ hoc ſit ingratitudinis in Deum, quantæ perfidiæ, quantæ ignaviæ, quantæ inſaniæ.) Locus 1. ab Enumeratione cauſarum.

Quid enim eſt preces dicere niſi Deũ Opt. Max. patrem tuum appellare, huic quid opus tibi ſit exponere, conqueri quæ moleſta accidant, quid porrò metuas aut quid cupias explicari, expectare ab eodem in his omnibus opem paratiſſimam? Ut preces ſint adoptionis noſtræ cæleſtis ſymbolum infallibile, in doloribus ſolatium efficax, adverſus mala ingruentia munimentum firmiſſimum, æternæ beatitudinis certiſſimum pignus &c. (Fiat concluſio per Antitheſin e. g. ut Deo primum injuriam faciant qui preces dicunt negligentius, ſcil: quod quantum in ipſis eſt appellationis paternæ honores Deo abrogent &c.) Locus 2. à conglobatione definitionum.

Epilogus habet 1. repetitionem propoſitionis 2. Adhortationẽ per Ethopæiam ut nos ipſos alloquamur & excitemus ad orandum: cogitemus: Mi homo debes cogitare hoc, illud &c.

## *Exercitium. VIII.*

### Adverſus κενολογίαν.

EXORDIUM. Docilitatis cauſâ exponit virtutem huic vitio adverſam.

versam. Eâ conditione omnes nati sumus A. ut divinorum in nos beneficiorum memoriam quotidianis imo perpetuis celebremus sermonibus. Etenim ita meritus est de nobis amantissimus Deus noster, ut sine teterrimo ingratitudinis crimine vel levissimo temporis momento oblivione aut silentio beneficiorum ejus multitudinem praeterire nequeamus. Et tantam ea recordatio ex seipsa jucunditatem habet, ut monstrum hominis certissimum sit qui ullius alius rei cogitatione suavius affici sibi videatur.

Propositio. Sed tamen non dico saepius invenias illud hominum genus, qui ita faciant, sed vix multis in millibus unum qui aliter: Adeò universi passim vanissimis nugis aetatem terunt, nullaq; ex re majorem molestiam quam ex Dei fortè divinarumq; rerum mentione injecta: nulla ex re voluptatem majorem capiunt, nisi si quid fortè aut obscaenitatis, aut ridiculi vel casus vel verbi, aut aliarum nugarum allatum sit. ô perversitatem!

Locus 1. à partibus per descriptionem.

Confirmatio. Itaq; ubi aut animi aut negocij causa sive in publico sive intra privatos parietes à paucis vel à multis conventum fuerit, nullum ibi locum illa Pauli admonitio reperit: Omnia quaecunq; feceritis, in nomine Christi Jesu aggrediemini, ut pater caelestis in omnibus inceptis vestris celebretur per hunc filium suum. Ridiculus fieret & insaniae cujusdam aut saltem hypocriseos suspicionem de se concitaret qui vel mutire de illo sacratissimo auderet nomine. Initium ergo sermonum inde repetitur ferè, quid rerum novarum scil. audiatur, ecquid allatum sit de Hispaniae Rege, tum de tumultibus Gallicis: & de novo Imperatore quid narrent. Hic si quid fortè quispiam ex rumusculis collectum habet, commodam nactus eam sermonis materiam, non tantum quid ajant exponit sed ipse de singulis suam interponit sententiam. Hoc non laudo, inquit, potuisset aliter fieri, quid si instituissent sic, illud tandem placet. Alius ex ijs qui assident, contradicendi partes sibi sumit, ostendit in quo à Narratore illo dissentiat: conferuntur rationes, contenditur acerrimè (fiat ἐπίκρισις vel judicatio) ubi ista frigent de publicis, ad privatos dilabuntur: narrant de consilio quodam istius qui prope forum habitat, & mirari se ajunt, quid homini in mentem venerit, cur istud adeò cupiat aut instituerit, aedificare fortè, aut ex aedibus migrare, aut novas emere, aut filiam suam

elo.

elocare diversi ordinis adolescenti, imberbi adeò atq; imperito & peregrino ac prodigo. Hic alius invehitur in stultitiam, alius conqueritur de luxurie nostrorum seculorum, alius alias nugatur nugas (narrentur alia de quibus fabulentur inter se homines, quid turbæ sit apud forum, quam annona chara sit, & quod nuper duæ ancillæ litigârint in hac vicinia pessimis ultro citroq; ingestis convitijs, & de generosis gallinis matris nostræ &c.)

Hæccine verò decent Christianum? 1. ita vitæ prodigum esse. Nam horæ istæ & dies & tempora quid sunt nisi vitæ quædam partes? Itaq; si temporis atq; ætatis nostræ minus prudenter impendium fecerimus, ipsam vitam prodigemus. Quid igitur magis stultum quam nugari? quod est, rem preciosissimam, vitam scil: cassa nuce vel vilius etiam vendere. Quid magis stultum (ostendantur variæ partes stultitiæ e.g. Delectari hominem nobilissimam creaturam rebus nihili: Ita abuti omnium re charissimâ, tempore &c. semper repetatur in initio, quid magis stultum &c.) Locus 2. Enumeratio conseq.

Epilogus habet 1. repetitionem propositionis 2. adhortationem ad commemorationem divinorum erga nos beneficiorum.

## *Exercitium IX.*

## Adversus juramenta temeraria.

EXORDIUM. Nullius, ajunt, sceleris eam atrocitatem esse, quin consuetudine ita efferentur hominum animi ut non tantum non pro vitio, sed ludo jocoq; habeant. Quod vel ex temerarijs juramentis doceri potest. Quid enim indignius, quam sacratissimam divini nominis memoriam horrendis illis juramentorum abusibus ita passim violari? Hominis aliquo honoris fastigio positi mentionem si quis non satis honorificam fortè fecerit, omnes contra officium facere sibi videntur, & à se etiam lædi putant eum cui contumelia facta sit: nisi quam indignissimè eam rem ferre se ostenderint.

Propositio. Verum quam remisso animo ac ludibundo, nihil sanè commoto eam divino nomini quotidie à multis per temeraria juramenta contumeliam fieri auscultamus? ô cælum ô terra.

Confirmatio. Zedechias Rex acceperat forte auditione librum quendam Jeremiæ Prophetæ ab Amanuensi hujus lectum publice: Arg. 1. à Comparatione Exempli

Misit ergo qui Baruchum advocaret, id enim nomen erat famulo Prophetæ, ut sibi etiam liber legeretur. Adsuit ille, legit sed quædam aliter exscripta erant ac minacius, quàm placere poterat aulicis. Itaq; ut hic gratificaretur quidam Regi ab epistolis, cultello scidit illas chartas, & in focum frigoris depellendi causâ fortè accensum abjecit. Nihil hujus à Rege jussum erat: neq; tamē ubi senserat, prohibuerat Rex, neq, adeo stomachatus fuerat. Hunc pietatis stuporem ita graviter ultus est Deus in Rege, ut oculos illos quibus divinum librum concremari spectasset à Babyloniorum Rege, huic Zedechiæ exsculpendos curaret. Quod indignus videretur qui solem, stellas, cælum, reliqua manus divinæ opera intueretur, qui chartis illis divini Nominis mentione insignitis temerariam exustionis vim allatam videre potuisset (fiat applicatio vel redditio, vel monstretur quod consimili in genere peccent qui fortè assident, aut alias auscultatores sunt, ubi profani quidam homines ad tertium quodq; verbum sine ullâ causâ per Dei divinorumq; præceptorum contemtum, juramenta inculcant. Monstretur similitudo item quod hi magis peccent.)

Locus 2. Quod si eos qui sine indignatione aliorum culpæ spectatores fuerunt tanta pænæ manet severitas, quid ijs futurum putabimus, qui ipsi hujus temeritatis in effutiendis illis juramentorum blasphemijs in se crimen admiserint? apud Moysen cum quidam iracundiâ provocatus divino nomine ad imprecandum ei cum quo contendebat abuteretur: ita indigna populo atq; atrox visa est hominis incontinentia, ut ad Moysen magistratum suum & negocium & hominem vinctum deferret. (Fiat judicium & approbatio quod rectè populus fecerit: postea extenuatio adjiciendo, Moysen fecisse aut statuisse gravius scil: dum & in vinculis hominem detinuit & non judicum sententijs sed Dei viventis voce de istius capite decerni voluit. Rursus hoc approbetur, postea extenuetur præ ultimâ Dei sententiâ scil: qui jussit istum lapidibus obrui. Fiat hic amplificatio hujus supplicij redditis causis cur non sit suspensus potius, aut capite truncatus, aut in mare abjectus. Fiat imitatio Ciceronis ex oratione pro Roscio Amerino de pæna parricidij.) Demum fiat applicatio exempli ad usum vel dehortationem. e. g. & ita quidem acerrimè judicabat Deus vindicandos esse nominis sui abusus.)

Ut graviſſimè illi errent qui non magnoperè in hoc genere peccari poſſe putant, cogitant ſcil: eam eſſe concionatorum moroſitatem ut nihil adeò rectum eſſe arbitrentur in hominum moribus, culpent omnia. Quid inquiunt, itane angelus quiſquam eſſe poteſt, mortalis qui ſit, ut nusquam ne in verbo quidem titubet? Etiam alij faciunt. Et quid minus à nobis aut nos impetrare, aut ſine iniquitate poſtulari poterit, quàm ut ita verba ſingula ponderata & proviſa adeò habeamus? Ferè enim incogitantibus iſta excidunt. Ridiculum Deum adeò ad iram proclivem, ut iſtis vel verbi unius offenſiunculis adeò excandeſcat (addantur aliæ excuſatiunculæ: Deinde contrà urgeatur Dei juſta ira cujus manifeſtisſimum ſignum ediderit in illo maledico.) Locus 3. Ethopæia.

Epilogus 1. habet repetitionem concluſionis 2. adhortationem ut crebris uſurpemus ſermonibus Dei laudes, peſte pejus ſcurriles divini nominis abuſus fugiamus.

## *Exercitium. X.*

## Quam graviter & periculoſè peccetur falſos Doctores ſectando.

EXORDIVM Docilitatis causâ exemplis monſtrat quale hoc peccati genus ſit. Ita ab omnibus usq; ſeculis uſurpatum invenimus, A. ut ſemper vanisſimarum opinionum figmenta plus approbatorum haberent, quam ij reperirentur, qui doctrinam cæleſtem ſectarentur (fiat congeries exemplorum e. g. Unus Noach juſtitiæ præco extitit, cum reliqua univerſi humani generis multitudo, injuſtitiæ atq; idololatriæ propagatores ſtrenui exiſterent: unus Abrahamus Deum verum cæli terrarumq; conditorem prædicabat: cum omnes mundi anguli idolorum cultoribus ac prædicatoribus opplerentur. Sic portò narretur de Elia, Micha, & Chriſto &c. Addatur ætiologia ſeu cauſa, ſcil: quod homines à corruptione, mendacij quàm veritatis, perniciei quam ſalutis amantiores ſimus.)

Propoſitio. Verum quo familiarius generi noſtro illud vitiū eſt, eò cavendum magis noſtrum eſt noviſſe: cū & ex ſe peſtilentiſſimum ſit & inveterati illius moris blandimentis aditum ad nos affectās

difficilius repellatur. Ostendam igitur si Deus benè voluerit atq; juverit, quam graviter quamq; periculosè hic pleriq; sibi indulgeant,

Locus 1. à comparat. exempli.

Confirmatio. Si ovis quædam ita simplex sit quod nunquam ungues lupinos forte experta est, ut persuaderi sibi non patiatur eam lupi esse crudelitatem, quam vulgo commemorent: Ex suo æstimet omnia animo: dicat placidum videri animal, tum blanditias atq; promissa lupi sibi forte facta ex aggeret; certè magno suo periculo dum proba esse & non malè suspicari vult, imprudens & stulta erit (fiat applicatio, monstretur similitudo, & quantò stultiores sint qui contendunt non esse adeò magnopere fugiendas falsorum dogmatum dissimulationes. Quanto scil majorum rerum jactura hic in metu reponitur.)

Locus 2. conglobatio per ἄρσιν καὶ θέσιν.

Qui enim illi sunt, quos cum fugere debebant, simplices Christianæ oviculæ, ultro se istorum dentibus dilaniandas objiciunt? non quadrupedes lupi, qui licet rarius, & non nisi extrema fame stimulātе, nonnunquam tamen homini ungues injiciunt, sed tamen vel telo vel inclamatis auxilijs, vel musici instrumenti clangore fugari possunt: aut si domi te contineas & hyemis tempore à sylvarum vastis solitudinibus abstineas, nihil ab istis metuendum habes (sic inducantur res aliæ similes per ἄρσιν vel negationem e. g. non sunt fures, non latrones, non diabolus; & singulis subijciatur ratio, cur minus ab istis periculum sit. Postea fiat conclusio in vero nomine Pseudoprophetarum, sc. quod sint Diaboli quidam incarnati, vel sub humana figura diabolicis artibus ad perniciem generis nostri instructi homines. Sic rursum alia potest fieri ἄρσις καὶ θέσις ab enumeratione earum rerum quæ ab hæreticis appetuntur: nempe non fortuna, non fama & pecunia, non valetudo, forma, vita, sed ipsa æterna salus: item ab enumeratione modorum quibus nocent.)

Epilogus habet 1. Repetitionem conclusionis. 2. preces ut Deus nos conservet ac prohibeat nobis illarum hæresium pericula.

## *Exercitium XI.*

## Quam graviter peccent parentes nimium liberis indulgendo.

EXORDIVM. Pro ridiculo habetur, si quis in bonis proprijs furtum committere posse arguatur. Quanquam cum verissimum sit, rideri non debet. Ita enim omnes judicant in ijs quæ à nobis possidentur adeò omnia nostro arbitratu agere licere, ut nullus hic peccandi locus sit. In quo errant sane tota, quod ajunt, via: cum quo propiori quasi charitatis vinculo res conjuncta nobis fuerit, eo delinquatur gravius, si non honestè satis sed ex libidine abutaris. Quod nihil adeò nostrum sit, quin à Deo ad nos profectũ, & ab eodem commendatum sit, cui etiàm administrationis nostræ ratio debeatur.

Propositio. Quare etiamsi fortassis difficulter persuaderi hoc sibi patientur parentes: tamen crimine se obstringunt detestando, si nimia in suos liberos indulgentia hos corrumpi siverint.

**Loc. 1. ex congerie explicante quid sit indulgentia.**

Confirmatio. Etenim dum parentes liberis suis nimium indulgent, hoc agunt ut blandiendo illis & oscula quasi inferendo pestem ac mortem afferant: & dum volunt amantes videri sobolis suæ, inimicissimi ejusdem & extremi exitij authores existant (inculcetur hæc eadem sententia alijs synonymis phrasibus.)

**Locus 2. à rationati:**

Etenim cum Deus nihil tibi conjunctius esse voluerit liberis tuis, qui non tantum nomen sed ipsam naturam à te accipiunt: cum nihil amabilius ac charius sit parentis appellatione; cum non tantum tutelæ tuæ liberos subjectos, sed etiam & ætate & prudentia te ijsdem antecedere Deus voluerit: quæ ea indulgentia est ita tantum quæ ante pedes sunt & non in longitudinem prospicere? Ita & tibi charissimos, & divinitus diligenter commendatos liberos tuá mollitie prodere? cogita quid sit patrem esse (subjiciatur definitio) quid liberi (Subjiciatur iterum definitio) quid vita liberorum? quid salus? quid officium tuum quid mollities ista (subjiciatur singulis definitio.)

**Loc. 3. ordinis digestio, secundum quam enumerantur incommoda per Ethopœiã.**

Vtinam cogitarent sæpiusculè parentes, quam infortunatos eventus illa infelix indulgentia sortiatur. nempe ubi per ocium, fractus atq; enervatus filius impunitate ad omnem nequitiam illectus, tandē tamen malo suo maximo sapere didicerit, & serò fortassis, An non omnem infelicitatis suæ culpam in parentem transcribet? Vtinam, inquiet, parentes meos aut nullos unquam nactus essem, aut non ita mei præpostere amantes: cur non verberibus durissimis coercuerunt, illam quam etiam mihi quippe homini naturalem malitiam esse ignora-

re non poterāt ( fiat excuſatio ſcil: ab amore paterno maternove &c.) 2. cur non minis me & ætatis luxuriem illam continuerunt ( fiat excuſatio e. g. ab affabilitate & moribus, ab iracundia alienis. ) 3. cur non alienæ inſpectioni ſeveriori commendârunt, imò cur ubi deliqueram illi me purgabant ultrò, laudabant adeò indolem, occaſiones amplius aliquid audendi ſuppeditabant. ( Fiat invectio per enumerationem partium qualitatis vel quot modis hoc turpe ſit.)

2. digeſtio. Nunc inquiet, hoc ego ob parentum ſtultitiam præmium fero 1. nihil didici, nec artes bonas, nec mores ſive quæ ad viri honeſti officium pertinent. Quo pacto aut humaniter cum hominibus converſandum aut colenda juſtitia. ( Oſtendatur 1. quam grande hoc malum ſit 2. extenuetur præ illo quod ſequitur ) 2. Nihil ſuppetit unde vitam tolerem. 3. malis aſſuetus moribus non poſſum mihi imperare quin & familiæ dedecus ſim & mihi vitæ periculum conciliem. ( Subjiciátur & his gradibus quæ monuimus ad gradum primum.)

Epilogus habet 1. correctionem iſtius Ethopæias quâ transfertur oratio figurata illa ad propriam e. g. Hæc igitur ſic dicere poterit filius indulgentius habitus à parente ubi adoleverit: eadem ſæpius ſibi dictare parentes oportet 2. Adhortationem ut acurata diſciplinâ mores liberorum fingantur.

## *Exercitium XII.*

# Adverſus Magiſtratuum tarditatem in vindicandis delictis.

EXORDIVM. Exponit quid hoc ſit vitij per exemplum. Quod ille in hiſtoria ſacra dicebat Pilatus ſcil: an neſcis tu omnem tui vel abſolvendi vel damnandi poteſtatem in mea unius manu eſſe poſitam, utinam verè affirmare poſſemus neminem inter chriſtianos magiſtratus reperiri qui ſit ita impius, ut idem cum Pilato ſentiat ( Subjiciatur hic antitheſis e. g. Verum pleriq; omnes ita ſentiunt qui cum poteſtate aliqua ſunt, ex ſua libidine omnia adminiſtrandi liberrimam facultatem ſibi eſſe. Deſcribatur hoc quatenus licentia utantur magiſtratus.)

Propoſitio. Verum magna Reipub. cum calamitate conjun-

ctum est adeò absq; severitate ulla magistratus officio præsidere, impunè abire scelera, plus gratiæ quàm iustitiæ tribui.

Confirmatio. Quod ut intelligatis, quæso huc animum advertite: Principio Dei judicia sunt inquit scriptura: Itaq, Dei est mandatum, Dei authoritas, Dei voluntas inviolabilis ut pænarum salubri acerbitate magistratus serpentibus morum malorum contagijs maturè medeantur, ut suppullulantem omnium scelerum atq, audaciæ segetem, legum suppliciorumq; acie tempestiva retundant, ac penitus extirpent (Eadem res dicatur atq, inculcetur formulis dicendi alijs. Quemadmodum & hæc sententia debet sic per synonymias urgeri scil: Itaq; Dei authoritatem violant. Rursum ista, qui in pænis exigendis negligentes sunt.) Argu. 1. à congerie

Si quis opilio cum mandatum habeat lupos persequendi, ita vel perversè misericors vel impudenter ignavus fuerit, ut vel non expleri à lupo famem suam putet indignum, aut ejusdem rabiei se obijcere pertimescat? nebulonem illum potius quam opilionem dixeris, & longè à familia tua arcessere vel expellere quàm domesticum esse mavelis (Fiat 1. Redditio vel applicatio e. g. Deus est quasi amplissimarum opum quidam paterfamilias: Imperia, Respub. regiones, Dei quidam grex sunt: præsides & magistratus quasi opilionū funguntur loco &c. Contexantur reliqua. 2. Adijciatur oppositio, quantò scil: hic majus peccatum sit in magistratu quam in opilione. Argum. 2. à compar:

Epilogus habet repetitionem 1. propositionis 2. argumentorum.

## *Exemp. XIII.*

## Meditatio passionis Dominicæ 1.

### Quis sit passus.

EXORDIVM attentionis & docilitatis causâ aditum communit ad thema. Quemadmodum in Salvatore nostro Christo Deus & homo: ita in ijs quæ piè de Christo credimus duo rerum genera, maximè alias inter se distantia, hic conjuncta deprehenduntur: scil: summa vilitas & majestas maxima. Vilitas in ijs occurrit historiæ hujus sacræ partibus, quæ oculis ac sensibus obversatæ sunt. Hoc dico, quod usitatâ inter homines nativitate ex materno utero infans

prodit

prodit: quod nutrimenti appetens in ſinu matris poſitus ab hujus uberibus dependet, & inſtillato lacte famem depellit: quod lineo aut laneo amiculo, nudis pedibus, habitu corporis ac totius vitæ geſtu nihil a reliquis mortalibus diſſimili totis annis 34. in terris inambulat: quod inſidijs invidorum appetitur, comprehenditur, vincitur catenis, mulctatur verberibus, amariſſime irridetur, cruci ſuffigitur, moritur deniq; & in ſepulchri tenebras abditur. An non hæc viliſſima conditio, & quæ omnium minime convenire videatur cum eâ, quam de Chriſto credimus, majeſtate?( fiat hic altera enumeratio partium majeſtatis & gloriæ Chriſti ) Atq; hæc cum ſit omnium maxima atq; auguſtiſſima, placuit tamen Deo illis quaſi vilitatis involucris, & ut Paulus loquitur, ſervili ſchemate occultare atq; obvolvere. Non quod illius gloriæ viſionem nobis invideat Deus, ſed quod fulgorem illius oculus noſter non capiat. Itaq; in illis integumentis, tanquam in ſpeculo imaginem ſolis inſpectandam propoſuit: ut nec vehementia divinæ lucis præſtingueretur fidei noſtræ acies, & diligenter intuentibus quantum ſatis eſſet ad reſtinguendam in nobis divinæ cognitionis ſitim, abunde proflueret.

*Locus 1. à conglobatione definitionũ.*

Quis igitur pro humano genere noſtro nobis debitas pro inobædientia pænas ſubijſſe perhibetur? Chriſtus, ſane ſecundum quod in temporis certa origine in mundum iſtum natus eſt, homo, noſter frater &c. ( aggerantur aliæ definitiones humanæ naturæ. Porrò oſtendatur magnitudo hujus rei, quod frater pro nobis mori voluit ) neq; tantum eſt frater noſter Chriſtus ſed idem Rex ac Dominus, idem pontifex maximus, idem unus inter Deum & homines mediator, mundi ſalvator, Diaboli deſtructor, vitæ inſtaurator, omnium ac maximorum bonorum author, unus humani generis author, delitiæ, ſalus, vita omnino &c. ( oſtendatur magnitudo hujus rei: vel quam mirabile ſit, illum eſſe paſſum Chriſtum ſcil. qui has omnes dignitates ſuſtineat.) Neq; tantum eſt Rex noſter Chriſtus aliquis ex numero noſtro electus: ſed ab omni æternitate ad hoc officium prædeſtinatus: quippe unus cum patre & Spiritu S. ante omnia ſecula Deus ( comportentur huc definitiones vel tituli Dei alij: Deinde demonſtretur quam hoc admirabile ſit, hunc pro nobis eſſe paſſum.)

*Locus 2. conglobatio ſimiliũ.*

Si paſtor oves ſuas ex lupi dentibus redimendi cauſa ſeipſum lu-

pinis dentibus obijciat: fidelem oportet et amantiſſimum ovium fuiſſe paſtorem. Si dux patriæ à periculo prohibendæ, aut militibus parcendi cauſa ſuum caput certiſſimæ morti devoveat, inuſitatam eam fortitudinem, pietatem, charitatem jure meritoq; nuncupabis: ſi ſponſus aliquis ut mulierem adamatam expediat, ipſe graviſſimum vitæ diſcrimen non detrectet: adeò admiramur atq; exoſculamur eam fidelitatem etiam in alieno homine, quaſi ad nos etiam aliqua ejus beneficij pars pertingeret (fingantut alia ſimilia hujus generis. Deinde ſubijciatur redditio, qua oſtendatur hujusmodi quid feciſſe Chriſtus, imò majus tantò, quo ipſe excelſiori loco eſt.)

Epilogus per Exclamationem repetat aliqua demonſtrationis capita. 2. Gratias Chriſto concipiat.

## *Exercitium XIV.*

## Meditatio 2. pro quibus paſſus ſit Chriſtus.

EXORDIVM. Non recedet malum à domo ingrati, inquit, ille, tanta eſt hujus vitij ingratitudinis ſcil. indignitas ut abeſſe non poſſit, quin certiſſima divina ultio eam conſequatur. Quod per ſe graviſſimum eſt ſcil. divinam iram habere adverſus te concitatam: tū in ingratitudine illud longè gravius exiſtit quod non recedit malum ſive neq; magnitudine neq; diuturnitate pænarum unquam fieri poteſt ut divinæ ultioni ſatisfiat. Neq; in ipſum ingratitudinis authorem tantum, ſed etiam in domum ſive poſteros ejus ea eduntur exempla, quibus alij ab ingratitudinis vitio, quantum fieri poteſt abſterreantur. Quod ſi ad eam vindictæ acerbitatem divina juſtitia inflammatur, etiam ſi in humano aliquo & vulgato beneficio ingratitudinis erratum interveniat: quid nobis metuendum erit, ſi in ſummis illis & nullo pacto, ſuo precio æſtimandis filij Dei erga nos beneficijs non ſatis gratâ mente recolendis, negligenter deprehendamur? An cauſam dicere poſſemus, quin non quidem hujus vitæ mala vel afflictiones, ſed inextinguibilis illius ignis, flamma ac cruciatus, non tantum non ad multorum annorum ſpacia, ſed ne quidem ad immenſa illa æternitatis ſecula, non à domo noſtra aut corpore ſed ab anima miſerrima non recederent.

Propositio. Itaq; diligenter nos ipſos exuſcitemus in memoria repetendis divinæ paſſionis beneficijs. Cogitemus imprimis quo indigniores nos pro quibus Chriſtus pateretur, eò digniorem paſſionem ejus, quam vel momentis ſingulis meditemur.

Arg. 1. ab ordinis digeſtione. Pars prima

Confirmatio. Principio amoris quadam vehementiâ incredibili impulſum eſſe Dei filium, ut vel morte ſuâ nos chariſſimos ſuos ex ea quam peccatis accerſeramus nobis, pernicie expedire non recuſaret. Sed conſiderate mihi quam adeo nihil in nobis reperiri liceat quare non tantum mori pro nobis præ amore ſed etiam amare debuiſſe videatur. Qui amant eligere ſolent vel qui pares ſibi ſunt vel aliquo gradu ſuperiores etiam.

Nos igitur Chriſto pares ? ita ſanè ut nulla major cogitari poſſit diſparitas. Dominus ille, nos ſervi: creator ille nos opus (ſic porro fiat comparatio & Antitheſis per plures partes.)

Pars ſecunda 1. Fiat extenuatio

Quanquam hoc mirum maximè, tamen non adeò inſolens, infimæ ſortis homines ſcil: à luminibus quaſi illis terreſtribus principibus dico, Regibus, Imperatoribus, in delicijs habitos fuiſſe. Etiamſi enim horum fulgor divinam illam majeſtatem non æquet, aliqua tamen ſimilis humanitatis atq; amoris imaguncula apparet, Quid igitur quod non tantum longè nos diſpares: ſed præterea nulla venuſtate aut gratiâ commendatos amore complexus ſit, an non hoc tandem ſupra omnia humanæ charitatis exempla excedere agnoſcemus? Eſtherem amabat Ahaſverus Rex pauperculam illam quidem, natalibus obſcuris: interim formâ excellentem, tum omnium maximâ dote virtute ſcil: inſtructam. ( Fiat Redditio ſcil: in nobis nihil tale eſſe quod allicere Chriſtum in noſtri amorem poſſet.)

Pars 3. Fiat extenuatio partis antecedentis.

( Fiat 1. extenuatio partis antecedentis ſcil: quod & hoc non ita inſolens dici poſſit ſi inter ſe ament fortuna diſpari, tum ubi nulla intercedat à venuſtate commendatio quod multum poſſit inter homines conjunctio communis ſanguinis, tum illa naturalis ad eos amandos proclivitas, à quibus mutuæ benevolentiæ aliquid ſperamus. Verum eò majoris admirationis hic in Chriſto amor eſt, quo minus in nobis illecebrarum iſtiusmodi ad animum Chriſti nobis copulandum. Etenim diviſerant inter nos & Deum noſtrum peccata: non ille amplius pater noſter qui creationis jure eſſet merebatur, ſed judex quem

noſtra

nostra peccandi libido fecerat. Non nos amplius filij Dei, quibus honoribus divina benignitas ultrò nos prosecuta fuerat: Sed degeneres, spurij, adulterina proles, quod ingenij perversitate hanc abdicationem attraxeramus ( pertexatur hæc enumeratio per alias partes seu antitheses. )

Epilogus habet Apostrophen ad filium Dei per repetitionem dictorum & preces ut per gloriam suam conservet nos filius Dei quos per ignominiam à perditione ereptos voluit.

*Exemp. XV.*

## Meditatio 3. Quo authore & impulsore passus sit filius Dei.

EXORDIVM attentionis causâ proponit rem dubiã. Mirum est illud quod in Matthæo legimus: Cum præmonuisset discipulos Christus de passione sua imminente, narrat divus Evangelista Apostolorum principem Petrum cum charissimum haberet magistrũ suum & omnipotentem Dei filium nosset, sevocato aliquò dixisse in aurem: Mi Magister ne feceris, prohibe quæso hoc abs te mali aliquo pacto. Plenum sanè ut videtur amoris & officij consilium: Verum quod non tantum nullum apud Christum locum invenit, sed etiam acerbissimum huic stomachum facit: ut gravissimè exardescens illud divinæ charitatis exemplar Christus, atrocissima in discipulum conijceret convicia. Non quidem nequam hominem, non scelestum, non veneficum, non latronem appellando: sed quod his omnibus gravius atq; intolerabilius est Sathanam. At quid ille meritus erat? quid fecerat? quâ re tantam bilem Christo commoverat? nisi quia ne Christus moreretur, author fuerat. Sapis, inquit, quæ sunt hominũ non quæ sunt Dei. Hominum itaq; sapientia est, tibi ut bene sit unicè circumspicere: aliorum incommodis minus moveri. Quemadmodum Dei sapientia est cum ipse sit felicitate abundantissimâ, alienæ humani generis scil, miseriei dolore percelli. Itaq; hac divina sapientia impulsus Christus & nostram culpam morte suà luendam voluntate suscepit promtissimâ, & amicum ut solebat appellare, fratrem adeò, discipulum, filium, Petrum dico, quod majorem sui quam no-

ſtri rationem habendam cenſeret vel in hoſtium numero accenſuit.

Propoſitio. O amoris genus verè divinum! ita amari nos à patre, ut pro nobis tradat filium? ita amari nos a filio, ut ſe quam nos mori malit.

Locus 1. à comparat:

Cogitate eſſe aliquem tantæ humanitatis principem qui à ſubditis de quibus benè meritus ſit incredibili quadam improbitate graviſſimè offenſus, non tantum ad pacis conditiones ultrò ſe offerat: ſed etjam ut quod damni à ſeditione datum eſt reſarciatur ipſe ſe opibus ſuis mulctet. Adeò rarum eſt hoc clementiæ inter homines genus ut non ſine audacia aut imperitia fingere vobis videri poſſim (ſubijciatur redditio e. g. unde æſtimandum venit quam infinitis ſpacijs humanam benignitatem divina præcurrat clementia. Etenim eramus etiam nos ſubditi &c. et Deus impendit in nos non opes &c. ſed filium.)

Locus 2. cōglobatio

Atq; hoc eò magis mirandum eſt quo major Dei benefactoris noſtri præ nobis ſublimitas. Quis enim ille ut motus eſſe aliqua ex nobis capiendi lucelli ſpe videri poſſit? qui nos, ut aliquo pacto digni ijs beneficijs agnoſcamur? Deus quidem tantas omnis felicitatis divitias, & ab omni æternitate quidem poſſedit: ut cum mundum iſtum produxiſſet omnesq; beatitudinis ſuæ theſauros in hunc effudiſſe credi poſſit, tantum tamen ſibi felicitatis retinuerit, ut non ſolum non ſenſibus, ſed ne cogitatione quidem quisquam conjectare poſſit, quantū gloriæ non dico ſibi reliquum fecerit Dominus ſed pijs ſuis olim indulturus ſit. Ille cæli terrarumq; & author & dominus &c. (Congerantur alia Dei Epitheta & deſcriptiones, & oppoſitæ deſcriptiones humani generis.)

Locus 3. congeries.

Pater filium pro mundo tradidit, ô mirabilem doni rationem! quid enim hoc eſt niſi quod eum quem habebat chariſſimum pro ijs qui meriti erant odium, graviſſimo mactari voluit ſupplicio: & pater hoc voluit, ne odio filij feciſſe credas quod fecit miro & ineffabili adverſus hoſtes amore. Ut & filium amaret à quo redamabatur, & homines à quo odio habebatur: & in eo inuſitati cujusdam amoris exemplum exhibere cogitaret, ut hominum amorem Deus: qui læſus erat benevolentiam eorum qui læſerant: omnipotens cum infirmiſſimis reconciliationem, unicis delicijs & amoribus ſuis filio ſcil: redimeret (efferatur ſic porro ſententia eadem verbis alijs.)

Epilo-

Epilogus habet gratiarum actionem ad patrem pro dato nobis filio.

## Exercitium XVI.

## Meditatio 4. Quid Christus pro nobis passus sit consideratur in genere.

EXORDIVM. Si rectè faciunt qui ut de se benè meritorum gratam servent memoriam, imaginem Benefactorum suorum de collo suspendunt: eò rectius ij facient, qui omnibus modis dominicæ passionis memoriam sartam tectam custodire operam dant, quo & beneficium hoc Christi omni humana beneficentia longè excellentius, & ipse author augustior existit. Non igitur ex collo suspendamus vel argenteas vel aureas vel ex alia materia crucifixi Christi imagunculas: quod id magis ad divitiarum ostentationem quam devotionem memoriæ pertinere videatur: Sed omnia in oculis, in mente, cogitationibusq; sit crucifixus Christus. Neq, enim aut aliud gratitudinis à nobis postulat hic salvator noster, quā ut creberrimâ recordatione mortem pro nobis à se aditam recolamus: aut salubrius non in præsens tantum sed in omne futurum ævum consulere nobis poterimus, quam vulnerum Christi pro nobis inflictorum frequenter recordando. Ut non tantum non abs re, sed etiam non sine magno pietatis commodo facturi esse videamur, si tempore admoniti quid quantumq; pro nobis passus sit Dei filius religiosa contemplatione intueamur. Non quod Dominicarum passionum aut numerum aut magnitudinem vel ulla mentis cogitatio complecti, vel orationis facundia æquare valeat: sed quod æquius sit quo possis usq; in ijs enarrandis progredi, quam invento forte difficultatis prætextu a salubri hac commemoratione abstinere.

Et initio quidem acerbissima sanè filius Dei ea sustinuit quæ patent & omnium obvia sunt sensibus, quibus tamen congerendis super sedebo & quod sponte vestrâ in illorum memoriam regrediemini & quod ea longè acerbiora sunt, quæ non item à lectore animi remissioris animadvertuntur. Hoc dico me præterire velle, quod nullum fere in humanis rebus calamitatis genus aut reperiri aut mente fingi

Locus 1. à comparat: Pars 1. per prætermissionem.

poteſt, quin aut idem illud aut gravius expertus ſit Chriſtus. Paupertas onus moleſtum & grave eſt? Pauperrimus fuit Chriſtus (ita enumerentur per interrogationem & ſubjectionem calumnia, perſecutio, exilium, infamia, fames & ſitis, tentatio Diabolica, contemtus in mundo, labor, vulnera, mors) amicorum ſenſit perfidiam, inimicorum fraudes ac dolos. A magiſtratu per vim appetitus eſt à plebe per ignorantiam & temeritatem, Regibus pro ridiculo ac delectamento, literatis pro odij materie: plebeculæ pro rumuſculorum argumento uſurpabatur. (Fiat ſic porrò enumeratio per partes oppoſitas e. g. in deſerto, in urbe vel inter homines, apud ſuos, apud peregrinos, noctu interdiu, in mari in terrâ, in vita in morte, incorpore in animâ.)

Nullum corporis membrum, nulla animæ particula, nulla in ſanctâ illâ carne ac humanitate Chriſti portio paſſionis hujus expers fuit. Caput baculis tundebatur, ſpinarum perfodiebatur aculeis, in cruce nullo ſubnixum fulcimento pondere ſui gravabatur. (Ita narretur de facie, linguâ, auribus humeris, tergo, manibus, pedibus, venis, tota corporis mole) Anima non tantum inuſitatis illis corporis cruciatibus una macerabatur, ſed qui præterea calamitatum ictus à corpore quaſi aberraſſent ab anima excipiebantur. Dico vel intelligi volo acerbitatem confictorum in Chriſtum criminum: ingeſtorum conviciorum multitudinem, odiorum immaniſſimorum indignitatē &c.

Hæc omnia inquam prætereo. Illud autem omnium ſummæ admirationis eſſe puto, quod divinæ iræ molem Chriſtus portavit (fiat hic congeries ſive immoratio) Illud imprimis paſſionis dominicæ opus admirandum facit, quod totius mundi peccata filius Dei tulit. (fiat congeries 2. Gradatio: ſi unius hominis, ſi unius civitatis, ſi unius regionis, ſi unius ſeculi peccata expianda ſuſcepiſſet Chriſtus: monſtretur in ſingulis quam hoc eſſet magnum) Illud dominicæ paſſionis onus ſupra quam credas aggravat quod infernalium cruciatuū intolerandum dolorem pro nobis accipere voluit (Fiat hic congeries 2. conglobatio definitionum inferni.)

Epilogus. Gratiarum actio per Apoſtrophen ad filium Dei, & deprecatio ut nos conſervet à peccatis immunes, pro quibus tam acerba paſſus eſt.

## *Exercitium XVII.*

# Meditario 5. Quod filius Dei ſanguinem ſudavit.

EXORDIVM. In hominum amicitia conjunctorum ſocietate ita obſervari ſolet, ut quod charitatis genus alter fortè præſtiterit, niſi ab altero mutuum in eodem genere fiat, hic perfidus eſſe & cõtra amicitiæ leges illud commiſiſſe jure meritoq; pronuncietur. Quod ſi in alienis cauſis ita judicamus: turpis inconſtantiæ foret ſi in eodem crimine fortè deprehenſi aliter aut melius de nobis ſtatuendum poſtulemus. Quorſum hæc, inquies? ex divinis literis poteſtis meminiſſe, quanto charitatis zelo erga humanum ſanguinem exardeſcat Deus, ut ſi fortè hujus quædam temeraria profuſio vel ab homine vel à beſtia admiſſa ſit gravisſimas pænas, Deus adverſus authorem decreverit. Quod ſi igitur divinum numen tantâ amoris vehementia noſtrum hominum ſanguinem comprehendit, non tantum non curat minimè, non tantũ non non ingemiſcit, non tantum non leviter dolet, ſed etiam amori ſuo, non ſatisfeciſſe ſibi videtur, niſi acerrimas pænas exigat ab ejusdem violatoribus, Quod ſi hoc, inquam, animo erga nos Deus eſt, quantò minus nos decebit remiſſo animo atq; abjecto auſcultare, à Deo noſtro ac Domino Dei Filio ſanguinem ſuum profuſum, quanto majori Zelo nos hic oportet efferueſcere, quanto ingemiſcere gravius, vehementius ſtomachari adverſus hujus doloris authores?

Propoſitio. Verum proh pudor ita evenit, ut quo religioſius hic officium noſtrum deſideratur, eò nos frigidiores ſimus. Excitemur, excitemur mei homines ex hoc non ignaviæ ſolum, ſed extremi exitij ſomno.

Confirmatio. Sudavit Chriſtus: & noctu ubi potius frigore tentantur corpora quam æſtu ſudorem eliciente. ſudavit Chriſtus & ſatis levi indutus amiculo, quod vix ab aëris nocturni inclementia corpus defendere ſufficeret, tantum aberat, ut ſui vel gravitate vel fultura calorem vehementioram excitare valeret. (Sic removeantur aliæ cauſæ e. g. non portabat onus, non opus faciebat quod quidem appareret: non erat lætus ſed triſtis) Sudavit filius Dei, quia nimis grandem illam iræ Dei & peccatorum mundi molem cervice ſua ſuſtinebat. Unde non tantum ſudoris quaſi rorem ſed pluvias atq; imbres & ſanguineos qui-

Locus 1. à conglobatione cauſarum.

dem

dem illos profundebat. Sudavit, & sanguinem quidem, quia multis aquis imò multo filij Dei sanguine opus erat, ad peccatorum humanorum immunditiem lavandam. Quare filius Dei sanguinis sui copiam non tantum in cruce ex vulneribus emittere, sed etiam in horto per sudorem ex omnibus venis effundere voluit. Deniq; sudavit & sanguinem quidem, quia largo lachrymarum flumine & sanguineo quidem ad deflenda totius mundi peccata opus erat: Itaq; Filius Dei non tantum ex oculis lachrymarum aquas stillare, sed omnibus partibus corporis quasi sanguinem plorare voluit ( cogitentur similes causæ.)

Locus 2. Enumeratio conseq. vel usuum per Apostrophen.

Huc ergò homines animum advertite & considerate salvatorem vestrum, Deum vestrum, ac Dominum vestrum in horto sanguinem sudantem. Ut pudeat quoties vos miseri ac perditi, inutiles creaturæ, perfidi servi in mundo, h. e. exitij faucibus omnibus delicijs circumfluitis. ( Sic reliqui attexantur usus e. g. ut hinc adversus peccata medicinam paretis, qui istorum sordibus & contagione vos infectos doletis &c. ut hinc evitetis peccata: superbiam, delicias &c.)

Epilogus habet 1. repetitionem 2. preces ad filium Dei ut hujus sanguis nos emundet ab omnibus peccatis.

## *Exercitium XVIII.*

## Meditatio 6. Quod Iesus sit cruci suffixus.

Cum in alia scientia penitus exploranda utilissima opera collocari putatur, tum nobis Christianis dubium esse non debet, quin nullum studium melius, nullas horas utilius, nullas operas rectius collocaturi simus, quam quas in cruce Domini Iesu consideranda adhibuerimus. Quod vel unicum D. Apostoli exemplum satis persuadere poterit. Paulum dico, qui non tantum omni humanâ, liberali quidem, cognitione imbutus: sed etiam cum in tertium cælum abriperetur cælesti & ineffabili perfusus sapientia: tamen nihil se scire profitebatur, præter Iesum crucifixum ( addatur ætiologia 1. per ἄρσιν 2. per θέσιν.)

Pro positio. Itaq; eodem etiam nos hanc meditationis operam conijciamus.

Locus 1. à comparat:

Confirmatio. ( Comparetur Christus cum Pelicano 1. quatenus hic quædam sunt similia 2. quatenus multa sunt dissimilia e. g. In eo

feli.


felicior Pelicanus quod ab inimico suo serpente scil: pullis mors allata fuit: Christo autem manus & mortem inferunt qui filiorum adoptati loco, animo maximè commiserante Christi vulnera ferre debebant.)

Illi verò manibus crudelissimis, vultu truculento, animo efferato in Christum involant 1. vestem diripiunt. Deinde ita nudum in terram prosternunt, in crucis lignum vel machinam applicant: alius dexteram alius sinistram arreptat manum: alius pedes captat: alius aut funes stringit, aut clavos expedit &c. (Describantur reliquæ partes ita ut fingas te coram astantem oculis spectare omnia, & ita oratione efferas.)

Locus 2. à descriptione partiũ

O rem omnium quæ unquam fando audita sunt indignissimam! Itane accipere oportebat, ô homines, vestrum hospitem, eundemq; Dominum ac Deum vestrum? qui ut vos olim in patris cælestis sui regnis liberalissimè habere posset, ideo ad vestram tenuitatem se dimittere non erubuit. (Fiat hic congeries.) Pudeat sanè cum universâ mundi fabricâ ad eam creatoris sui patientiam inenarrabili stupore percelleretur, nos solos relinqui, qui parum & culpâ nostrâ quâ eos cruciatus Christo peperimus, & Christi charitate, quâ istos perferre voluit, commoveamur (Fiat Prosopopæia sive fingatur oratio stomachantis adversus hominum peccata Solis, qui in Christi passione obscurabatur: templi Jerosolymitani, cujus velum rumpebatur: petrarum quæ mediæ dissiliebant: totius terrarum orbis, qui tremore quatiebatur: universæ demum naturæ quæ tenebris opplebatur. 2. Fiat Ethopæia sive fingatur oratio Judæorum & humani generis improborum potissimum, qui illuserint Christum in cruce suspensum. Demum affingatur oratio Christo, quâ ille omnibus ignoscat: omnes ad sui meriti fruitionem invitet: & toti naturæ imperet ut quiescat, & porro hominibus inserviendo officium faciat.)

Locus 3. à ratiocinatione sive circumst. ponderatione. 1. Circũst. 2. Circum.





# INDEX TERTIÆ
Progymnaſmatum partis.



Com-

SYLVULA EXERCITIorum.



Ex.

Ex.

FINIS.



Corri-



